Suspicientes
Dominus Dominus
HABSBURGO
AUSTRIACA
Augustinum S.
Domum

Ex Lib.
Joannis Disma Floriantschitsch
de Grüenfeld, Presbyteri.

JOAN. LUDOVICI SCHÖNLEBEN,
Carnioli Labacenſis, SS. Theol. Doct. Protonotarij Apoſtolici,

ANNUS SANCTUS
Habſpurgo-Auſtriacus;

Sive

QUINGENTI
Sancti, Beati, & Venerabiles,
UTRIUSQUE SEXUS,
Auguſtiſſimæ Domui
HABSPURGO-AUSTRIACÆ
SANGUINIS ET COGNATIONIS NEXU ILLIGATI;

Per ſingulos totius anni menſes & dies diſtributi:

QUORUM

Ex ſuppoſitâ & in Diſſertatione Prolegomenâ ſufficienter probatâ

ORIGINE

AUGUSTÆ DOMUS à CAROLO MAGNO,

Unácum Deductionibus Genealogicis

Brevis Vitæ Synopſis exhibetur, cum tribus Indicibus,

Quorum I. *Proponit Sanctos & Beatos, qui vel ſunt in proximis gradibus Conſanguinei & Cognati Habſpurgo-Auſtriacis, vel abijs immediatè deſcendunt.* II. *Exhibet Sanctos Habſpurgo-Auſtriacos ſecundùm menſes & dies.* III. *Deſignat omnes Sanctos Habſpurgo-Auſtriacos Ordine Alphabetico.*

Cum Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis,

& Approbatione ordinaria.

Ex Lib.
JOANNIS STEPHANI FLORIANTSCHITSCH
de Grienfeld. J. U. D.

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
ZU
LAIBACH

SALISBURGI,

Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Aulico-Academici Typographi & Bibliopolæ.

Anno Chriſti M. DC. XCVI.

Anno Labaci, ſeu Æmonæ conditæ, M. M. DCCCC. XVIII.

LEOPOLDO I.
MAGNO, ROMANORUM
Imperatori.
ELEONORÆ,
MAGDALENÆ,
THERESIÆ,
AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM
Imperatrici.
AUGUSTO GERMANIÆ, AC UNGARORUM
Regi,
IOSEPHO I.
Sereniſſimis
CAROLO,
MARIÆ ELISABETHÆ,
MARIÆ ANNÆ,
MARIÆ JOSEPHÆ,
MARIÆ MAGDALENÆ,
Auſtriæ Archiducibus.
CLEMENTISSIMIS
PRINCIPIBUS.
Felicitatem!

ANNUM SANCTUM, non alijs, quàm è Divæ Stirpis Miraculis concinnatum, & ſub meo primùm prælo defudatum Opus, *Veſtris ſubſterno Pedibus*, **Cæſarum IMPERATOR Sacratiſſime, Auguſtiſſima Romanorum IMPERATRIX, Germaniæ, ac Ungarorum REX bis Auguſte, Sereniſſimi, Sereniſsimæque AUSTRIÆ ARCHIDUCES,**

Maxi-

Maxima Domus Habſpurgo-Auſtriaca. Author equidem præſentis Operis, dum id adhuc typos fatigaret, fato præreptus eſt. Non potui tamen ego, neque debui pro humillimâ meâ in **Auguſtiſsimam Domum** devotione æquis oculis contueri, ut hoc monumentum, in divulgandum Glorioſiſſimæ Familiæ ſplendorem natum, peſſumiret. Sancta in eo, admirandáque ſunt omnia, **Principum quippe Habſpurgo-Auſtriacorum;** Quorum una, & ſingularis prærogativa eſt, conſtanti prodigio ſtuporem orbis exſuperare. *Quingentorum Seriem Beatorum* deprædicat, quos Cælo dedit *Sancta Domus*: ne immenſo tot Syderum lumine perſtricta terra diem perderet in meridie. Nihil illo comprehenditur, quod immortalitati non debeatur. *Optima ſiquidem vita* (Halicarnaſſeo aſſentior) *à glorioſo fine perennaturi nominis auſpicium exorditur.* Quòd ſi, aſſeverante Trajani encomiaſte, *Pulchrum imprimis eſt, non pati occidere, qui ſuâ ſe magnitudine ab oblivionis injuria vindicârunt;* quis tantarum famam Animarum pari dignitate extenderit, præterquam **Te, Cæſarum Maxime, Auguſtiſsima Domus Habſpurgo-Auſtriaca?** Quæ ſummis Virtutibus Gloriæ TUÆ præcurris æternitati. Non hîc ego me in domeſticarum TIBI laudum, quaſi quamdam infinitatem præſumptuosè immiſero; in quibus pro merito exaggerandis, nemo unquam deſudavit, qui non etiam oleum (quod ajunt) operámque perdiderit. *Unam* ſolùm, *Divinámque Tuam Clementiam*, **IMPERATOR LEOPOLDE,** venerabundus imploro: indul-

Diony. Halicar. lib. 53.

Plinius lib. 5. Epiſt. 8.

indulge veniam **de Tuis Totiúsque Auguſtiſsimæ Domûs** præconijs conticeſcenti. Ream omnino ſibi fecit vitam noſtram inſolens cumprimis decorum TUORUM magnitudo, **Monarcha Auguſtiſsime**; quia ob hæc TE dilaudare non poſſumus. Sed, ut tacere audeamus, in fiduciam nos erigit *Clementia Tua*; quam nemo unus deſiderat propitiam, qui TE ſemel aſpexit. Scilicet ex ſolis genio virtutum, gloriæque Majeſtate parem non fers, qui ſummos exceſſiſti: verùm & nulli affulges, niſi gratiarum radijs foveas, animes. Hinc promeritus es, ut TE velut præſens, ac ſaluberrimum Numen debito etiamnum homagio terrarum orbis adoret. Quinimo hoc peculiare factum TUUM eſt, ut, quæ olim Imperatorum dos prima audiit à Vopiſco, nunc prima virtutum ſit, poſtquam TU illam coluiſti. Enimverò ſplendidæ cuíque rei ab incidente Solis lumine illuſtriſſimum fulgoris accedit incrementum. Haud ergo difficulter veniam dabit laudum TUARUM immenſam copiam admirabundo ſilentio involventi: quoniam Divinis Virtutibus effeciſti, ut inter TUI injurias numeretur, TE ab humano calamo deprædicari. Quamquam & hoc in ſolatio ponam, quòd emendicatis non indigeant ornamentis, quæ ſynceri ſplendoris pulchritudine ſui admirationem extorquent. LUNAM æmulatur genuina virtus, quæ argenteo nitore inter altum noctis ſilentium omnes oblectat, omnes rapit. Hîc ego TE volo, **IMPERATRIX Auguſtiſsima**, quæ hoc *mirabilior Lunâ* es, quòd *Auguſtiſſimo Soli* conjuncta *non imminuto Lumine* diſpertiris *Meridiem*; hoc ILLI abſimilis, quòd *pleno* ſemper *orbe* inducis *orbi caliginem*: ut rationi repugnet, qui aliquem Virtutis gradum TIBI denegârit. In Tenebris radias, quia perfecto Splendore **maxima Sexûs TUI lu-**

minaria extinxisti. *Pietate* porro TUA quàm efficaciter influis! dum nemo TE vel sacris in odæis, vel publicis in virtutibus conspexit, qui sese illustri ardore succensum non stupuerit: eò sanctiori miraculo, quòd cœlestem formam in sublunaribus, id est, subjectorum TIBI mentibus expressisti. Denique & *Lucis mater es*, **Tantorum**, inquam, **Syderum Clarissima Parens**, quorum splendorem frustra sperâsset orbis, nisi à TE oriri potuisset. *In Austriaco* scilicet *Imperio*, loquor cum erudito scriptore, *sicut in cœlo, ubi Imperium est lucis, post solem principem æternum, sequitur immortalium astrorum firmamentum.* Horat. Pallavicinus in Rudolpho II. Enimverò quàm rectissimè. In hoc quippe *Austriacæ gloriæ firmamento* post *Augustissimos lucis Principes* **primus TU**, *velut primæ magnitudinis Sydus*, **bis Augusto** præfulges jubare, **Rex Auguste.** Equidem *Lux Tua* regni unius ambitu constringi nequiit, quæ suis aliquando radijs Orientis, Occcidentísque Imperia mancipabit. Bonum omen è tanto Sydere! quod Paucis abhinc annis supplex Ottomaniæ fastus in ablegato suo ad conspectum MAIESTATIS TUÆ fulgur, fatali sudore cohorrescens firmavit. Amodò nempe fulgura vibras in leone: unde non vanè divinamus, quo fulmine Marti conjunctus assurrecturus sis. Laudaverit aliquis Principes umbræ simillimos: ego *Luminis TUI magnitudinem* REX AUGUSTE, demissâ acie obstupesco; à quo *Augustissimi radij* vinci vellent, si summi non forent. Anton. Guevaræ. Horolog. Princip. lib. 1. cap 10. Æquo videlicet splendore MAIORUM TUORUM gloriam ita sustines, ut in hoc **HABSPURGO-AUSTRIACIS astris** coruscoPantheo admiraturus sis TUAM, quoties luce perstringêris alienâ;

nâ; ac toties (quod Principibus ſuis antiquitas ſolemni contulit apotheoſi)

. . . . . *Divisque videbis* Virgil.
Permixtos Heroas, & ipſe videberis illis.

Abſoluta Cœli Imago **Domus Auſtriaca:** Æmulo ordine concinnum illud ſtellarum ſyſtema aſſequitur *Virtutes Majorum*, quas MAXIMUS **Auguſtiſsimi Parentis Porphyrogenitus,** magnis radijs Orbi ſtupenti exhibet, utut minoribus ſcintillis, exacto nihilominus artificio, & ingenti compendio ſecundæ Sydus magnitudinis, **CAROLE Sereniſſime,** perfectè repræſentas. Spem ſuperâſti noſtram, vota præveniſti. TU quippe, cùm **Auſtriaci ſplendoris Majeſtatem in Auguſto Fratre** ad lucis plenitudinem excreviſſe ominabamur, prænuntiâ magnitudinis TUÆ claritate ſuboriris. Jam conſtanti ſtudioſitate tantum luminis adeptus es, quod mirabilem influxûs illius rationem liquidò declarat, quo politici regiminis cœlum Præſes intelligentiâ moturus es. *Muſis* porro *Gratias* ita conjunxiſti, ut affabili comitate ſubditorum animos, abſque libertatis præjudicio cogas in TUI amorem. Novo deinde portento ad *Auguſtiſſimi Solis* glorioſiſſimam ſemitam ita *curſum Tuum* dirigis, ut PATRIS mores ad votum Romani Sapientis non exigas, ſed approbes TUOS. Vos verò, **Archiduces Sereniſſimæ,** Matheſeos de celerrimo aſtrorum curſu placitum abundè comprobatis. Ætatem námque adultis jam virtutibus ita exceſſiſtis, ut illimis ille, & nativus ſplendor VESTER à fœculentæ terræ vaporibus maculam contrahere non poſſit. Hinc litem cælum inter, & terram accenditis, utrisque VOS ut *ſua Luminaria* vendican-

tibus. Integerrimam Virtutem VESTRAM, quâ terram tranſcenditis, incoinquinata illa mundi portio, & propria ſtellarum ſedes exambit: ſed non patitur orbis, præcipuis ſe deſtitui ornamentis, quibus cœlo concertat; & quos *Imperatoriarum Virtutum radios* in **Auguſtiſſima Parente** ferre nequit, in VOBIS delitioſiùs admirari concupiſcit. Receditis concitato curſu in MAJORUM VESTRORUM immenſam Lucem, quam in *Codice hoc*, tanquam limpidiſſimo in Speculo, clariſſimè perſpicietis in VOS refractam, & primævo nitore conſtantem. Et ſic favebitis taciturnitati de VOBIS meæ. Præſtabilius enim eſt, ineffabilia quæque admirabundo venerari ſilentio, quàm minùs dignè de ijsdem diſſerere.

Indulgebitis proinde *Clementiſſimum Vultum* **Magna Orbis Lumina**, quo Orbem irradiatis, Operi huic, quod Materiæ dignitate *devotiſſimam* in VOS *Voluntatem meam* abundè ſupplet: pro quâ demiſſiſſimè conteſtandâ etſi *Summum*, pro incomparabili MAGNITUDINE VESTRA *nihil* obtuliſſem. In hoc porro, ſi **dies omnes ſanctos & feſtos** perlegeritis, in mentem veniet, quanta ſit **Domus Habſpurgo-Auſtriaca**, quæ (hæc mea cum Authore Libri mens eſt) *dum Terra eam non capit, Cælum implet.* **Si menſes ſingulos Auguſtos à Glorioſiſſimis Anteceſſoribus** perſpexeritis, qui jam *quatuor abhinc ſæculis Romanum nobilitârunt Imperium*; Animis obverſabitur Circuli Quadratura à Numinis Providentiâ in **Auguſtiſſima Habſpurgo-Auſtriaca Domo** mirabiliter

In Præmonitione ad Lectorem.

liter expreſsa. Quam dum rurſum in **TE Auguſtiſſima Domus**, in *decimam ſeptimam ariſtam* procurriſſe, lœtus obſtupeſco, votis omnibus, ſanguinis, & vitæ profuſione demiſſiſſimè gratulor, in TE Poetæ vaticinium fidem ſortitum fuiſſe:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

At quia etiam bonæ & honeſtæ res, ſi intempeſtivè fiunt, non probantur; cum Lipſio, etiam temporis habendam rationem duxi, & in tempore me facturum exiſtimavi, ſi SANCTO OPERI huic, **Majeſtatitibus Veſtris** conſecrando, deligerem Diem, **S. LEOPOLDO, DUCI** OMNIUM HUIUS SANCTI ANNI *feſtiviſſimum*; quando etiam ritu veterrimo Regiæ Imperatorum ac ſummorum Principum fores, veſtibuláque coronis, aureíſque lemniſcis ornari ſolebant, & ſolenniſſimè celebrari. ratus *digniorem auro veteri* **ANNUM** *hunc* **SANCTUM**, ex quali tota porro Secula manatura, ac proventura exopto, ſperóque *ad Sacroſanctas Veſtras Manus*, me depoſiturum **IMPERIUM** quippe **SINE FINE DATUM**, ex **ANNIS SANCTIS** continuò fluxurum. Quo Voto nil dignius, nil æſtimabilius, totus Orbis precari poteſt, & vovere. Ex quibus tamen ego *Primus* hanc **FELICITATEM**, & *Ultimus*

Cicero 3. offic.

Imperatoriarum, Regiarúmque MAIESTATUM,

Sereniſsimi, Sereniſsimarúmque ARCHIDUCUM,

Servus

Joannes Baptiſta Mayr, J. U. C.
Not. Cæſ. publ. Typogr. & Bibliopola Salisburg. Aulico-Academicus.

FACULTAS
Reverendiſſimi Metropolitici Conſiſtorij SALISBURGENSIS.

DE *Mandato Rev*^mi. *Officij Metropolitici hunc* ANNUM SANCTUM HABSPURGO - AUSTRIACUM *per Dominum* JOAN. LUDOV. SCHÖNLEBEN *p. m. è plurium voluminum revolutionibus ordinatè convolutum, accuratè evolvi, & quia non tantùm ſine nube contra orthodoxam fidem, & ſine nævo contra bonos mores Jubilæum, verùm etiam tot Aſtris quot Cœlitibus* SERENISSIMUM *eſſe deprehendi, dignum cenſeo, ut quem* antiquus dierum *ante ſæcula ſelegit, legant per ſæcula antiquæ ſimul & novæ Familiæ, atque ſicut Auguſtiſſimæ Domûs eſt* PROPRIUM, *ita fiat ſingularum* DIRECTORIUM, *hoc addito, quod pij omnes mecum vovent, augurio:* Benedicet Dominus coronæ anni benignitatis ſuæ.

In Conſiſtorio 13. Januarij
M. DC. LXXXVII.

JOANNES BAPTISTA PRESCHERN, SS. Th. Doctor, Protonot. Apoſt. Em^mi. Cel^mi. ac Rev^mi. Cardinalis, Archiep. & Principis Salisb. &c. Conſiliarius actualis & Bibliothecarius, B. M. V. ad nives Canonicus.

Præ-

Authoris Præmonitio ad Lectorem.

ANguſtus eſt orbis Auguſtæ Auſtriæ; dum terra eam non capit, cœlum implet. Nullum totius Anni diem ferialem habet; omnes feſtos, qui faſtos ornant. Injurius illi eſt, qui aliquando eam feriari ſuſpicatur: niſi ferias eſſe credamus, nullo non tempore laborare pro cœlo. Hâc ego cogitatione imbutus ANNUM SANCTUM HABSPURGO-AUSTRIACUM, Anno Solari cõmenſuratum in menſes & dies diſpertior. Menſium initia adorno ſingulis Cæſarum Habſpurgo-Auſtriacorum nominibus, qui cùm numerum decimum quintum jam expleant, primum Annum in Ferdinando II. terminatum meditor, alterum verò à Ferdinando III. inchoatum: ut proinde tribus primis menſibus gemina obtingant Auguſta nomina. Hæc ne ſpectentur, aut legantur omninò nuda, libuit addere brevia illorum Elogia, eo ſtylo, quo ante annos triginta aliquot junior luſi, uno alteróve recenter addito, fortè quibusdam non diſplicitura, cùm potiſſimùm à Pietate materiam trahant, quæ totius cæteroqui libri argumentum eſt: licet non eâ elegantiâ ſcripta ſint, quâ hodierna lapidaria nitet. Diebus verò ſingulis ſuos aſſigno Sanctos, plerosq; propriis ſuis locis repoſitos, nonnullos verò alienis; quod conſultò factum. De quorundam enim obitûs aut natalis die certam hactenus notitiam indagare non potui; quoſdam verò cumulatim in unam diem concurrentes, in alios vacuos reponere libuit, ne ullus per annum dies vacaret. Interſero Sanctis & Beatis aliquot ſub titulo Venerabilis, aut Bonæ memoriæ, cùm quia magnæ virtutis, tum quia inſtituto meo apprimè deſerviunt; idémque olim à Radero, in Bavaria ſancta, nuper à Bucelino in Menologio, à Bollandi continuatoribus in Actis Sanctorum practicatum obſervavi. Titulos Sancti, & Beati non eo rigore adhibeo, quo moderni ſcriptores Bollandi ſocij, ſed Bucellino, Arturo, Wioni, Henriquez, & aliis ſubſcribo, nulli quòd ſciam propriâ authoritate tale prædicatum attribuens. *Quare non titulos ſolùm, ſed & Acta Synoptica in hoc Opere non aliter velim accipi, quàm Decretum felicis recordationis Urbani Papæ VIII. præſcribit.* Stylum non ubique æqualem offendes, id præmoneo. Multoties authorum, quos allego in margine, verbis utor: raro enthuſiaſmo quodam quaſi Poëtico incitatus, lapidariam æmulatus ſum; quia parcus temporis. Si omnia ad illam normam fuiſſent exigenda, Annus hic uno Anno non decurriſſet ad finem. Liceat dicere cum eruditiſſimo ſcriptore: *Neque enim ij ſumus, qui periodo phraſium periodos vitæ metiamur, & unâ duntaxat alterâve lineâ, de die laborioſiſſimè ductâ, noctem inſomnem ad aram Solaminij Grammatici tranſigamus: aliis aſſueti de Repub. literaria, & Religione, ſi opus ſit, emereri ſtipendiis.* Sed neque omnes delectat argutum illud ſcriptionis genus, quod ſcribitur, ut ſerpunt limaces; legi debet, ut

Inchof: præf: ad hiſt: Hung.

ut aves bibunt: unde nonnemo id appellavit *jucundam otiosi hominis occupationem.* Planior in rebus præsertim sacris elocutio, placet omnibus; qui res, non verba venari solent, denique multos adhuc Sanctos eodem jure, quo istos, hîc licuisset inserere: id verò secundis curis aliorum relictum est. Geneses singulis adieci singulas, subinde plures, de quibus respondeant Authores, ex quibus desumpsi, singulas ad amussim examinare, labor foret inexhaustus. Lazio, Henningi, Piespordio, Chifflетio, Bucelino, Reusnero, Rittershusio, & aliis, quos subinde ad marginem repono, subscribere libuit. Fundamentum penè omnium est Origo Augustæ Domûs à Carolo Magno, in Dissertatione Prolegomena Polemica sufficienter probata. Hinc propiùs alij, alij remotiùs ad cognationem Habspurgo-Austriacam pertinent, uti Schemata Genealogica ostendunt; alioquin ad tantum numerum opus non excrevisset. Quòd si hodie inter familias Nobiles, post decem, duodecim & sæpenumero plures gradus adhuc agnoscuntur cognationes, affinitates, & sanguinis vincula, eorúmque nomenclaturæ usurpantur, quis mihi prudens succensere poterit, quòd Sanctos nonnullos remotiùs cognatos & affines Habspurgo-Austriacis hic producam, ubi simul Sanctorum & Augustæ Domûs honorem promoveo? Sed obstrepet nonnemo, plures adhuc hodie supereſſe familias, quæ per fœmineum sexum à Carolo Magno originem trahant, nihil proinde ex hoc in Austriacam Domum specialis prærogativæ derivari. Huic ego paucis repono: me in Polemica Dissertatione huic Operi prævia satis ostendisse Prærogativam, & Primogenituram Austriacæ Domus respectu aliarũ Familiarum in Europa à Carolo Magno, ad hanc proinde principaliter & primariò spectare hos Sanctos, ad cœteras verò Familias secundariò & reductivè, ut constabit legenti *Partis II. caput VI. Prolegomeni*, præterquàm quod ultra centum inter hos numeraveris, qui Austriacis solis proximè sunt consanguinei.

Hæc te scire volui Lector Amice, Vale.

Ut faciliùs Connexio, Cognatio, & Consanguinitas Sanctorum cum Austriacis, eorúmque Majoribus dignoscatur, hîc Tabulas Genealogicas exhibere placuit.

A

Charibertus Rex Parisiorum Clotharij Magni filius.

Adilberga vel Adelbertha, vel Bertha, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum. 24. Febr.

- S. Ethelburga, Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum. 3. Sept. B.
- Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor S. Emma filia Clotharij II. Regis Francorum.
- S. Edburga Virgo 13. Decembr.
- S. Annas Rex Anglorum Orientalium, cujus patruelis S. Sigebertus Rex 13. Febr. Uxor S. Hereswida, soror S. Hildæ, mater sequentium, & ex priore marito —— S. Sethridæ.

Eavua Rex Merciorum. — Wipha vel Wibba Rex Merciorum. — S. Ermenredus Rex, Uxor Oslava. — S. Eanswida 12. Sept. — Ercombertus Rex Cantiorum, Uxor —— S. Sexburga, 6. Julij. — S. Ethelreda, 23 Jun. nupta Egfrido fratri S. Eldefledæ, cujus amita S. Ebba soror S. Oswaldi bis nupta Virgo. 3. Febr. — S. Witburga, 8. Julij. — S. Edelburga. 7. Julij. — S. Jurnimus.

Kenwalchius Ob. Anno 672. — Pendan Rex Merciorum. — S. Ethelredus. S. Ethelbertus. S. Dampneva. S. Ermēburga. S. Etheldrita. S. Ermēgitha. — S. Ægbrichtus Rex Ob. An. 673. — S. Ermenilda Regina Merciorum. — Lotharius Rex Ob. An. 685. — S. Earcongotha 7. Julij.

Kenwalphus An. 794. — S. Kenelmus. — S. Edburga. — S. Kinesdreda. — S. Kineswida. — S. Kineburga. — S. Mervaldus Uxor S. Domneva. — S. Merefinus. — S. Milgitha. — S. Mildretha. — S. Milburga. — S. Merevinus.

S. Ethelredus Rex. — Ceolredus Rex Ob. An. 716. — Wulpherus cujus Uxor —— S. Wereburga Virgo. — SS. Wulfhadus, & Rufinus MM. secundùm alios filij vel nepotes Eawæ Regis, patrui Pendæ Regis. — Kenredus Rex Merciorum, Uxor N. soror N. Egwini Episcopi. — S. Richardus Rex. Uxor S. Bonna soror S. Bonifacij Episcopi.

S. Wilibaldus Episcopus. — S. Wunibaldus Episcopus. — S. Walpurga.

B

Alla Rex Nordhanymbrorum.

Ceaulinus Rex.

Cuthwinus.

Elfricus Rex. — Ethelfridus Rex, Uxor —— Ava. — S. Edwinus Rex Nordhanymbrorum.

Chuta Rex. — Ceobaldus Rex. — N. Rex.

Ofricus Rex. — S. Oswinus. — S. Elba Abbatissa. — N. Soror N. — S. Oswaldus Rex Deirorum. — S. Oswig. Uxor —— S. Eanfleda Ux. S. Oswij Deirorum Regis. — Erericus Rex Nordthumbriæ.

S. Ceotulphus. — Kenredus Rex Saxonum Occidentalium. — S. Ceaduvalla Rex, Romam profectus, cessit regnum S. Ivæ An. 686.

Ethelburdus Rex. — S. Hicha. — S. Hereswida.

S. Neophyta V. M. — S. Adalbertus Archidiaconus.

S. Alfridus Rex Nordthumbriæ Uxor —— Elfleda Abbatissa. — S. Chutburga. — S. Chuenburga. — S. Inas Rex Saxonum Occidentalium, Uxor Ethelburga, cujus frater S. Erconwaldus Episcopus Londonienſis. — Ingelfus Rex Ob. An. 718. — Kentenus.

S. Ethelfreda V. 15. Febr. — S. Alefridus Rex. Uxor S. Kineburga filia Pendæ Regis. — S. Elfleda V. 8. Febr.

S. Rumboldus. — Egbertus Rex, Tritavus S. Eduardi Regis. — S. Aldhelmus Episcopus Schireburnenſis.

C

Egbertus Rex primus Angliam nominavit, quæ priùs Britannia.

Ethelwolphus vel Edelphus Rex Anglo: II.

Ethelbertus Rex IV. — Ethelbaldus Rex III. — S. Alfredus Rex V. — Ethelredus Rex VI.

S. Elfleda Uxor Ethelberti Merciorum Regis. — Eduardus Rex VII. Uxor Elfgiva. — Elstrudis Uxor Balduini Calvi Flandriæ Comitis, à quo post plures Generationes Austriaci.

Editha Imperatrix, Uxor Ottonis Magni, soror Adelstani. — Edgiva Uxor Caroli Simplicis Regis Franciæ. — Edmundus Rex IX. Uxor S. Elgiva. — Eldredus Rex X. — Adelstanus Nothus Rex VIII.

Eadgarus vel Edegarus Rex XII. Uxor I. Wethrita. II. Alfrida. — Edwinus Rex XI.

S. Eduardus Rex XIII. Martyr. — Ethelredus vel Egelredus Clito Rex XIV. Uxor Emma soror Richardi Normannorum Ducis. — Edmundus Clitho. — Editha Sanctimonialis Viltoniæ.

S. Eduardus Rex XIX. Anno 1043. — Edmundus Ferreum latus Rex XV. post quem Dani Reges. — Alfredus II.

Edmundus Ethelingus in Pannoniam relegatus, Uxor N. — Eduardus in Pannoniam Relegatus.

S. Margarita Regina Scotiæ. — S. Ædgarus.

I. INDEX

Sanctorum & Beatorum,

Qui vel sunt in proximis gradibus consanguinei, & cognati Habspurgo-Austriacis, vel ab ijs immediatè descendunt, in hoc opere producti.

JANUARIUS.

B. Odino Waldpurgicus, Abbas Rothensis in Suevia. 2. Januarij.
Ven. Margarita Princeps Bavariæ, Margaritæ Austriacæ proneptis. 5. Januarij.
B. Beatrix Marchionissa Styriæ. 9. Januarij.
B. Beatrix Attestina II. Sanctimonialis Ferrariæ. 18. Januarij.
B. Mar. Brabantina Ducissa Bavariæ. 18. Januarij.
Ven. Wiltrudis Habspurgica, filia Radepotonis Comitis. 20. Januarij.
Ven. Elisabetha Austr. Regina Galliæ. 22. Januarij.
B. Margarita Ungara, Belæ IV. Regis Filia. 28. Januarij.
B. Landolus Comes Habspurg. Episcop. 31. Januarij.

FEBRUARIUS.

B. Brigitta V. Abbatissa. 1. Febr.
B. Joanna Bituricensis Regina Franciæ. 4. Febr.
S. Hildegundis Marensis. 6. Febr.
BB. Amabilia & Elisabeth sorores V. V. Principes Bohemiæ. 16. Febr.
B. Edigna V. 26. Febr.

MARTIUS.

S. Casimirus Princeps Poloniæ, matre Austriacâ natus. 4. Martij.
B. Theophania Abbatissa Essendiæ. 5. Martij.
B. Agnes Monialis, Princeps Bohemiæ Junior. 6. Martij.
B. Chunegundis Andecensis. 7. Martij.
B. M. Barbara Bavariæ Princeps. 12. Martij.
B. Sancia Princeps Lusitaniæ. 13. Martij.
B. Gertrudis Silesia Abbatissa. 17. Martij.
B. Conradus Claravallensis, Princeps Bavariæ. 17. Martij.
B. Paula Vidua Princeps Mantuana. 17. Martij.
B. Richetza Regina Poloniæ. 19. Martij.
B. Clementia Homburgensis Monial. 21. Martij.
S. Bruno Abbas Hirschaugiensis. 23. Martij.
B. Stephanus Papa IX. 29. Martij.
B. Amedæus Dux Sabaudiæ. 30. Martij.

APRILIS.

B. Alberadis Comitissa de Urach, Monialis. 5. Aprilis.
B. Eberhardus Nellenburgicus Asceta. 7. Aprilis.
B. Adalbertus Archiepisc. Salisburg. 7. Aprilis.
S. Contardus Estensis Peregrinus. 16. Aprilis.
S. Leo Papa IX. ex Comitibus Dachspergensibus. 19. Aprilis.
B. M. Chunegundis Austriaca, Friderici IV. Imp. filia. 20. Aprilis.
B. Jolentha Ducissa Poloniæ. 23. Aprilis.
B. Hermannus Habspurgi Comes, Cluniacensis Asceta. 25. Aprilis.

MAIUS.

B. Maphalda Lusitana Monialis. 3. Maij.
B. Elisabetha Princeps Hungariæ, filia Agnetis Austriacæ. 6. Maij.
B. Gisela Regina Hungariæ. 7. Maij.
B. Beatrix Attestina I. Monialis. 10. Maij.
B. M. Joanna Princeps Lusitaniæ. 14. Maij.
B. Mechtildis V. Abbatissa. 31. Maij.

JUNIUS.

B. Agnes Princeps Bohemiæ Monialis senior. 7. Junij.
B. M. Agnes Austr. Regina Hungar. 11. Junij.
S. Adalbero Episcopus Augustanus. 12. Junij.
B. M. Henricus Pragensis Episcopus, Princeps Bohemiæ. 14. Junij.
B. Theresia Lusitana Regina. 17. Junij.
B. Ferdinandus Princeps Lusitaniæ. 18. Junij.
B. Aloysius Gonzaga Soc. Jesu. 21. Junij.
B. M. Wenceslaus II. Rex Bohemiæ, Guttæ Austriacæ Maritus. 21. Junij.
Ven. Anna Ducissa Lignicensis. 23. Junij.

JULIUS.

B. Henricus Princeps Bohemiæ, Episcopus Olomucensis. 1. Julij.
S. Otto Episcopus Bambergensis. 2. Julij.
S. Elisabetha Regina Portugalliæ. 4. Julij.
S. Udalricus Episcopus Augustanus. 4. Julij.
Ven. Margarita Austriaca, filia Maximiliani II. Imp. 5. Julij.
S. Udalricus Asceta. 12. Julij.
B. Maria de Odivelis Lusitana. 13. Julij.
B. M. Margareta Bohema Monialis. 13. Julij.
S. Henricus Imperator. 14. Julij.
B. Hermannus Contractus Asceta. 19. Julij.
Ven. Chunegundis Ducissa Mazoviæ. 22. Julij.
B. Beatrix Attestina III. Regina Hungariæ. 27. Julij.
B. Victor Papa II. ex Comite Calwensi. 28. Julij.

S. Hadeloga V. Abbatiſſa Kitzingenſis. *Genealogia.* B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.

S. Bruno Dux Saxoniæ M. *Genealogia.* Carolus M. Imperaror.

3. S. Berlendis Monialis. *Genealogia.* Seranus Comes Herbatilicus.

S. Wereburga V. Abbatiſſa. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

4. B. Joanna Bituricenſis Regina Franciæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

5. S. Adelheydis V. Abbatiſſa Vilicenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

S. Berthrada V. Abbatiſſa Colonienſis. *Genealogia* Eadem.

S. Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis. *Genealogia.* Eadem.

6. S. Amandus Epiſcopus Trajectenſis. *Genealogia.* Serenus Comes Herbatilicus.

S. Hildegundis Fundatrix Marenſis. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habſpurgicus.

7. S. Richardus Rex Anglo-Saxonum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Nivardus Abbas. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

8. S. Elfleda V. Abbatiſſa Streneashalæ. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Fancorum.

9. S. Mengoldus M. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

10. S. Auſtreberta V. Abbatiſſa Pauliacenſis. *Genealogia.* Badefridus Comes Palatij ſub Dagoberto Magno Rege Francorum.

11. S. Theodora Imperatrix. *Genealogia.* Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

12. S. Ermelindis Virgo. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

13. S. Ermenilda Regina Merciorum. *Genealogia.* Eadem.

B. Uratislaus Princeps Bohemiæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

14. SS. Euphraſia & Febronia V.V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rev Francorum.

S. Bruno Epiſcopus Ruſſorum. M. *Genealogia.* Ven. Bruno Senior Comes Querfurtenſis.

15. S. Oſwius Rex Nordthanymbrorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

16. S. Ethelfreda V. Monialis. *Genealogia* Eadem.

BB. Amabilia & Eliſabtha Sorores V.V. *Genealogia.* Henricus I. Imp. Auceps.

17. S. Sylvinus Epiſcopus Teruanenſis, Conf. *Genealogia.* Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

18. S. Angilbertus Abbas Centulenſis. *Genealogia.* S. Carolus Magnus Imp.

19. S. Withburga V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

20. BB. Albertus & Ockarius Comites Confeſſores, *Genealogia.* Grimoldus Dux Bavariæ.

21. B. Pipinus de Landis Dux & Maior Domus, Regum Auſtraſiæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Dux Brabantiæ.

22. S. Earcongotha Virgo Monialis. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

23. S. Merualdus Rex Merciorum Confeſſor. *Genealogia* Eadem.

S. Milburga V. Abbatiſſa. *Genealogia* Eadem.

24. Ethelbertus Rex Anglo-Saxonum. *Genealogia* Eadem.

25. S. Anglitrudis V. Monialis. *Genealogia.* Carolus Hasbanius Tongrorum Dux.

26. B. Edigna V. *Genealogia.* Ottobertus I. Habſpurgicus.

27. S. Leander Epiſcopus Hiſpalenſis Confeſſor. *Genealogia.* Severianus Præfectus Provinciæ Carthaginenſis.

28. S. Bertha Biburgenſis Fundatrix. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

B. Genovefa Palatina. *Genealogia.* Ex Ducibus Brabantiæ Carolingorum Authoribus.

MARTIUS,

1. S. Mercelmus Rex Merciorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

2. B. Carolus Bonus Comes Flandriæ M. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

3. S. Chunegundis Imperatrix V. *Genealogia* Eadem.

4. S. Caſimirus Princeps Poloniæ. *Genealogia.* Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

5. B. Theophania Abbatiſſa Eſſendiæ. *Genealogia.* Ermentrudis Habſpurgica filia Luitfridi Comitis, uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

6. SS. Kineburga & Kineswitha V. V. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

B. Agnes Princeps Bohemiæ Monialis. *Genealogia.* Premislaus Ottocarus III. Rex Bohemiæ.

7. B. Chunegundis Andecenſis. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habſpurgicus.

8. B. Iduberga ſeu Itha Vidua. *Genealogia.* Carolomannus Dux Brabantiæ.

B. Berengaria Princeps Hiſpaniæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

9. S. Hugo Epiſcopus Rotomagenſis. *Genealogia.* Clotharius Magns Rex Francorum.

10. S. Chrodegangus Epiſcopus Metenſis. *Genealogia* Eadem.

11. S. Oſwinus Rex Nordthambriæ M. *Genealogia.* Alla Rex Nordthanymbrorum.

12. B. M. Barbara Duciſſa Bavariæ Monialis. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

13. B. Sancia Princeps Luſitaniæ Monialis. *Genealogia.* Guilielmus Bolonienſis, Dux Lotharingiæ.

14. B. Mathildis Imperatrix. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habſpurgicus.

15. S. Adeltrudis Malbodienſis V. *Genealogia.* Bertharius Rex Thuringiæ.

16. S. Eu-

16. S. Eusebia Abbatissa Hamaticensis V. *Genealogia.* Richimer Princeps ex sanguine Regio veterum Francorum.
17. S. Gertrudis Carleburgensis. *Genealogia.* Pipinus Brevis Rex Francorum.
B. Gertrudis Silesia Abbatissa. *Genealogia.* Conradus Habspurgicus Dux Burgundiæ.
B. Conradus Claravallensis Asceta. *Genealogia.* Welpho IV. cognomento Fortis, Dux Carinthiæ & Bavariæ.
B. Paula Princeps Mantuana Vidua. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.
18. S. Eduardus Rex Angliæ M. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
19. B. Richeiza Regina Poloniæ. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habspurgicus.
20. S. Remigius Episcopus Argentoratensis. *Genealogia.* Ex Comitibus Egesheymensibus.
21. B. Clementia Homburgensis Monialis. *Genealogia.* Comitissa ab Homburg.
22. S. Relindis Abbatissa Masacensis. *Genealogia.* Ex Majoribus Carolidarum.
23. S. Bruno Abbas Hirschaugiensis. *Genealogia.* Albertus Dynasta Wirtenbergensis.
24. B. Richarda Eberspergensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
25. S. Gotthardus Episcopus Hildesiensis. *Genealogia.* Comes Schyrensis.
26. S. Braulius Episcopus Cæsaraugustanus. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.
27. S. Rupertus Episcopus Salisburgensis. *Genealogia.* Ex Regali Prosapia Francorum.
28. S. Guthramnus Rex Francorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
29. B. Stephanus Papa IX. *Genealogia.* Luitfridus I. Comes Habspurgicus.
30. B. Amedæus Dux Sabaudiæ. *Genealogia.* Leopoldus I. Glorioſus Archidux Austriæ.
31. S. Childechindis. V. M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

APRILIS.

1. S. Ebba Abbatissa Coludiensis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
2. S. Emma Geldra Vidua. *Genealogia.* Lotharius I. Imp.
3. Henricus Abusinus Conf. *Genealogia* Carolus Magnus Imp.
4. S. Isidorus Episcopus Hispalensis. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.
B. Aleydis Mater S. Bernard. *Genealogia.* Bertholdus II. Comes Habspurgicus.
5. B. Andreas Cistertiensis. *Genealogia* Eadem.
B. Alberadis Comitissa de Urach. Monialis. *Genealogia.* Egino Comes de Urach.
6. S. Baldricus Episcopus Ultrajectinus. *Genealogia.* Ludovicus Pius Imp.
B. Notgerus Balbulus Ord. S. Bened. *Genealogia.* Ex Carolingis.
7. B. Eberhardus Nellenburgicus Asceta. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
B. Adalbertus Archiepiscopus Salisburgensis. *Genealogia.* Henricus I. Auceps Imp.
8. S. Eduardus Rex Angliæ. Conf. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
9. S. Waldetrudis Vidua Monialis. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.
10. S. Gertrudis Nivellensis Abbatissa. *Genealogia.* B. Pipinus de Landis Dux Brabantiæ.
11. S. Leodegarius Episcopus Heduorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
12. S. Anthusa V. *Genealogia* Eadem.
13. S. Hermenegildus Rex M. *Genealogia* Eadem.
B. Ida Bolonienſis Comitissa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
14. B. Hadwigis Marensis Monialis. *Genealogia* Eadem.
15. S. Sympertus Episcopus Augustanus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
16. S. Contardus Marchio Estensis. *Genealogia.* Azo VIII. Marchio Estensis, Princeps Factionis Guelphicæ.
SS. Quinq. Fratres S. Adalberti MM. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
17. S. Landricus Episcopus. *Genealogia.* Bertharius Rex Thuringiæ.
18. S. Agia Comitissa Hannoniæ Monialis. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.
19. S. Leo Papa IX. *Genealogia* Luitfridus I. Comes Habspurgicus.
20. B. M. Chunegundis Austriaca, Ducissa Bavariæ *Genealogia.* Ernestus Ferreus Archidux Austriæ.
21. S. Wolbodo Episcopus Leodiensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
22. B. Aldebertus Comes Austrovandiæ. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
23. S. Adelbertus Episcopus Pragensis M. *Genealogia.* Carolus Simplex Rex Francorum ex Carolingis.
B. Jolentha Ducissa Poloniæ, Vidua. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.
24. SS. Bova & Doda V. V. Abbatissæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
25. B. Hermannus Habspurgicus Ascetæ. *Genealogia.* Betzo Comes Habspurgicus.
S. Tharasia Regina. *Genealogia.* Veremundus II. Rex Gallæciæ.
26. S. Richarius Centulensis Fundator. *Genealogia.* Meroveus Rex Francorum.
27. S. Walpurgis V. Abbatissa. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
28. B. M. Gundeberga Regina Langobardorum. *Genealogia.* Clodoveus I. Rex Christianus Francorum.
29. B. Ava V. Dononiensis. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
30. S. Hildegardis Imperatrix. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
S. Erconwaldus Episcopus Londinensis. *Genealogia* Eadem.

MAIUS.

1. S. Sigismundus Rex Burgundiæ. *Genealogia.* Meroveus Rex Francorum.
2. S. Theodulphus Presbyter. *Genealogia.* Caroli Magni Imperatoris Nepos.
3. B. Anfridus Episcopus Leodiensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator
   S. Maphalda Lusitana. *Genealogia.* Sancius I. Rex Lusitaniæ.
4. S. Ethelredus Rex Merciorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
5. S. Maurontus Abbas Broylensis. *Genealogia.* Gerberta Filia S. Gertrudis.
6. B. Plectrudis Ducissa Brabantiæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
   B. Elisabetha Hungara Monialis. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.
7. Gisela Regina Hungariæ. *Genealogia.* Ermentruda Habspurgica filia Luitfridi Comitis
8. S. Godo Episcopus Metensis. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.
9. B. Petrus Princeps Lusitaniæ. *Genealogia.* Guilielmus Bolonensis Dux Lotharingiæ.
10. B. Beatrix Attestina I. Monialis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
11. B. M. Udalricus Dynasta Eberspergensis. *Genealogia* Eadem.
12. S. Modoaldus Archiepiscopus Trevirensis. *Genealogia.* Godinus Aquitaniæ Comes.
    S. Rictrudis Abbatissa. *Genealogia.* Gerberta filia S. Gertrudis.
13. Ven. Hermingardis Imperatrix. *Genealogia.* Pipinus Rex Francorum.
14. B. M. Joanna Princeps Lusitaniæ V. *Genealogia.* Eduardus I. Rex Lusitaniæ.
15. S. Alfridus Rex Northumbriæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Parisiorum.
16. S. Euphemia V. Abbatissa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
17. B. Wiltrudis Hochenwartana Comitissa. *Genealogia* Eadem.
18. B. Ascelina V. Monialis. *Genealogia.* Neptis S. Bernardi Doctoris Melliflui.
19. S. Gebhardus Archiepisc. Salisburgensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
20. B. Rathardus Andecensis Presbyter. *Genealogia.* Hildebrandus Comes in Andechs.
21. S. Itisberga Monialis. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
22. Eberhardus Altenaënsis Asceta. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
23. B. Udalricus Episcopus Lausanensis. *Genealogia.* Godefridus Dux Sueviæ.
24. S. Gundrada V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
25. S. Aldhelmus Episcopus Schireburnensis. *Genealogia* Eadem.
26. B. Henricus Archiepisc. Rhemensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
    B. Godo Asceta. *Genealogia,* Clotharius Magnus Imperator.
27. S. Bruno Episcopus Herbipolensis. *Genealogia* Bruno Senior Comes Querfurtensis.
28. Gulielmus Gellonensis Dux Aquitaniæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
29. B. Diethlandus Abbas Einsidlensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
30. S. Ferdinandus Rex Hispaniarum. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator & Ferdinandus III. Rex Hispaniæ.
31. B. Mechtildis V. Abbatissa. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habspurgicus.

JUNIUS.

1. B. Sigrada Vidua. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
2. S. Basinus Archiepisc. Trevirensis. *Genealogia* Eadem.
   S. Rathruda V. Monialis. *Genealogia.* Pipinus Brevis Rex Francorum.
   S. Morandus Abbas Confess. *Genealogia.* Ex illustri Principum Austriæ familia.
3. S. Clothildis Regina. *Genealogia.* Clodoveus Rex Francorum Primus Christianus.
4. B. Margarita Brabanta Abbatissa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
5. S. Bonifacius Episcopus M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
6. S. Meinwertus Episcopus Conf. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
7. B. Ritza Confluentina. *Genealogia* Eadem.
   B. Agnes Princeps Bohemiæ Monialis. *Genealogia* Eadem.
8. S. Clodulphus Episcopus Metensis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
9. S. Emma Regina Angliæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
10. S. Margarita Regina Scotiæ. *Genealogia* Eadem.
11. S. Eadbertus Rex Nordhumbriæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
    B. M. Agnes Austriaca Regina Hungariæ. *Genealogia.* Rudolpus I. Imperator Habspurgicus.
12. S. Adalbero Episcopus Augustanus. *Genealogia.* Hartmannus Comes à Dillingen & Werten.
13. S. Hugo Abbas Novalicienſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
    S. Gerardus Asceta. *Genealogia* Eadem, quæ die 7. Febr. & 4. Aprilis.
14. S. Rumboldus Anglus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
    B. M Henricus Episcopus Pragensis. *Genealogia.* Henricus I. Auceps Imp.
15. S. Eadburga Wintonienſis Monialis. *Genealogia.* S. Alfredus Rex Angliæ.
16. B. Poppo Archiepisc. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
17. B. Raffo Comes Andecensis. *Genealogia* Eadem.

B. There-

B. Thereſia Luſitana Monialis. *Genealogia* Eadem.

18. B. Ferdinandus Princeps Luſitaniæ. *Genealogia.* Joannes I. Rex Luſitaniæ, cognomento Mirabilis, & bonæ Memoriæ.

19. S. Bonifacius Ruſſorum M. *Genealogia.* Wigbertus Dux Saxoniæ.

20. S. Florentina Abbatiſſa V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

21. B. Aloyſius Gonzaga S. I. *Genealogia.* Albanus III. Comes Habſpurgicus.

B. M. Wenceslaus II Rex Bohemiæ. *Genealogia.* Carolus Dux Lotharingiæ, poſtremus Carolingorum.

B. M. Adelheydis Duciſſa Franconiæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

22. S. Eberhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis. *Genealogia* Eadem.

23. S. Edeltrudis Regina V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

Ven. Anna Duciſſa Lignicenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

24. S. Loybrigus Confeſ. *Genealogia* Eadem.

B. Bertha Marchettenſis Abbatiſſa. *Genealogia.* Carolus Dux Lotharingiæ poſtremus Carolingorum.

25. S. Adalbertus Trajectenſis Archidiaconus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

26. B. Adalbertus Princeps Hasbaniæ. *Genealogia.* Carolus Hasbanicus Dux Brabantiæ.

27. B. Adeltrudis Junior V. *Genealogia* Eadem.

S. Ladislaus Rex Hungariæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

28. B. Notgerus Abbas Sangallenſis. *Genealogia* Eadem.

29. B. Hemma Comitiſſa Carinthiæ. *Genealogia* Eadem.

30. S. Ehrentrudis V. Abbatiſſa. *Genealogia.* uti 26. Junij.

B. Adilia V. Abbatiſſa. *Genealogia.* uti 27. Martij.

JULIUS.

1. S. Regina Vidua. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

B. Henricus Epiſcopus Olomucenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

2. S. Otto Epiſcopus Bambergenſis. *Genealogia* Eadem.

3. S. Bertha Vidua Blanchiacenſis. *Genealogia.* Gerberta Uxor Ægræ.

4. S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

S. Eliſabetha Regina Portugalliæ. *Genealogia.* Petrus Rex Aragoniæ.

5. S. Wilhelmus Abbas Hirſchaugienſis. *Genealogia.* Ex Palatinis Schyrenſibus.

Ven. Margarita Auſtriaca Monialis. *Genealogia.* Maximilianus I. Imperator Auſtriacus.

6. S. Sexburga Regina. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Angela Bohema Monialis V. *Genealogia.* Carolus Dux Lotharingiæ, Ultimus Carolingorum.

7. S. Wilibaldus Epiſcopus Eyſtettenſis. *Genealogia* Clotharius Magnus Rex.

S. Ethelburga Abbatiſſa Brigenſis. *Genealogia* Eadem.

8. S. Landrada V. *Genealogia.* Eadem.

9. S. Edelburga Regina Weſt-Saxonum. *Genealogia* Eadem.

10. S. Amalberga Comitiſſa Senior. *Genealogia.* Carolomanus Princeps Brabantiæ.

S. Amalberga V. Junior. *Genealogia.* Carolomannus Dux Brabantiæ & Hasbaniæ.

11. B. Witbergus Comes Brabantiæ. *Genealogia* Eadem.

12. S. Udalricus Aſceta. *Genealogia.* Hagobaldus Comes à Dillingen.

13. S. Mildritha V. Abbatiſſa. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Maria de Odivelis V. Monialis. *Genealogia.* Petrus Rex Aragoniæ.

B. M. Margaretha Bohema Monialis. *Genealogia.* Henricus I. Auceps Imp.

14. S. Henricus Imperator. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

15. S. Vincentius Modelgarius. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

16. S. Gondulphus Epiſcopus Tungrenſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Reinildis V. Martyr. *Genealogia.* Carolomannus Dux Brabantiæ.

17. S. Stanislaus Abbas. *Genealogia.* Ludovicus Transmarinus Rex Carolingus.

S. Irmengardis Abbatiſſa Chiemenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

18. S. Arnulphus Epiſcopus Metenſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Eadgarus Rex Angliæ Conf. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

19. B. Hermannus Contractus Aſceta. *Genealogia.* Comes de Thierſtein.

20. S. Severa Abbatiſſa Trevirenſis. *Genealogia.* Godinus Aquitaniæ Comes.

21. B. Theodo III. Boiorum Princeps. *Genealogia.* Clodoveus Magnus, primus Chriſtianus Rex Francorum.

22. S. Wandregiſilus Abbas. *Genealogia.* Clotharius Rex Francorum.

Ven. Chunegundis Duciſſa Mazoviæ. *Genealogia.* Premislaus Ottocarus II. Rex Bohemiæ.

23. S. Hildulphus Princeps Lobbienſis. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

24. SS. Wulphadus & Ruffinus M.M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

25. S. Clothſendis V. Abbatiſſa Marchianenſis. *Genealogia.* Gerberta Filia Gertrudis, Uxor Ægæ.

26. B. M. Henricus Ratisbonenſis Epiſcopus. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

27. B. Beatrix Atteſtina III. Regina. *Genealogia* Eadem.

28. B. Victor Papa II. *Genealogia.* Guntramus II. Comes Habſpurgicus.

B. M. Sancia Regina Hieroſolymorum. *Genealogia.* Jacobus Rex Majoricæ.

29. B. Gerburgis Ganderheimenſis Abbatiſſa. *Genealogia* Carolus Magnus Imperator.

30. B. Kinga Regina Poloniæ. *Genealogia.* Ludovicus pius Imperator.

31. S. Ignatius de Loyola Soc. Ieſu Fund. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

S. Dentlinus Comes. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

AUGUSTUS.

1. S. Ermengitha V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

2. S. Gundevarus Epiſcopus Eyſtettenſis *Genealogia* Eadem.

S. Gertrudis Aldenbergenſis Abbatiſſa. *Genealogia.* Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus.

3. B. Conradus Archiepiſc. Salisburgenſis. *Genealogia* Betzo Comes Habſpurgicus

Ven. Anna Juliana Auſtriaca. *Genealogia.* Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

4. S. Edeltrita Regina. *Genealogia.* Offa Rex Merciorum.

5. S. Albricus Epiſcopus Ultrajectinus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. M. Gertrudis Regina Bohemiæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

6. S. Oswaldus Rex Deirorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

7. B. Praxedes Auguſta. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

8. Ven Adalbero Epiſcopus Wormatienſis. *Genealogia.* Betzo Comes Habſpurgicus.

9. B. Otto Shyrenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

10. S. Ceoluphus Rex Nordhanymbrorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Herlindis Regenſpergenſis Abbatiſſa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

11. S. Chriſtiana V. Wintonienſis Abbatiſſa. *Genealogia* Eadem.

12. S. Aguilberta Jotrenſis Abbatiſſa. *Genealogia.* Princeps è Francorum Regum ſtirpe.

B. M. Uladislaus Marchio Moraviæ. *Genealogia.* Henricus I Auceps Imperator.

13. S. Radegundis Regina. *Genealogia.* Clodoveus I. Chriſtianus Rex Francorum.

14. S. Vigibertus Confeſſor. *Genealogia.* Ragnerus Magnus Dux Lotharingiæ.

15. S. Stephanus Rex Hungariæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

16. S. Elgiva Regina Angliæ. *Genealogia.* S. Algredus Rex Angliæ.

S. Przibislawa Vidua. *Genealogia.* Wratislaus Dux Bohemiæ.

17. Carolomanus Aſceta. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

18. S. Doda Vidua. *Genealogia* Eadem.

19. S. Ludovicus Epiſcopus Tholoſanus. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

S. Berthulphus Abbas Bobienſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

20. S. Bernardus Abbas Claræ vallenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

21. B. Humbelina Soror S. Bernardi. *Genealogia.* Eadem.

22. S. Eberhardus Abbas Einſidlenſis. *Genealogia.* Attico Dux Alemanniæ.

23. S. Sidonius Apollinarius Epiſcopus Avernorum. *Genealogia.* Flavius Avitus Imperator Romanorum.

24. S. Gregorius Adminiſtrator Ultrajectinus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

25. S. Ludovicus Rex Franciæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

26. S. Kineburga Regina Nordhumbriæ *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

27. Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis. *Genealogia.* Utzo Comes Brigantij,

B. Margarita Palatina Rheni. *Genealogia.* Rudolphus I. Habſpurgo-Auſtriacus.

28. S. Adelindis Vidua Abbatiſſa. *Genealogia.* Godefridus Dux Sueviæ.

29. B. Aleydis V. Princeps Poloniæ. *Genealogia.* Ludovicus Transmarinus, Rex Francorum ex Carolingis.

S. Verona V. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

30. Aſſuerus Prumienſis Abbas. *Genealogia.* Pipinus Rex Francorum.

B. M. Otto Comes Habſpurgicus, Epiſcopus Argentinenſis. *Genealogia.* Ottobertus Comes Habſpurgicus.

31. S. Bruno Aſtenſis Epiſcopus Signinus. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

B. Iſabella Princeps Franciæ Monialis. *Genealogia.* Ludovicus VIII Rex Franciæ.

SEPTEMBER.

1. B. Geroldus Marchio Auſtriæ. *Genealogia.* Sigebertus Auſtraſius Theodoberti Regis Francorum filius.

B. Adula Comitiſſa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

2. S. Dagobertus Rex M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Lotharius Imperator. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

3. S. Firminus Epiſcopus Ucetiæ. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

4. S. Adalbertus Brigantinus. *Genealogia.* Utzo Comes Brigantiæ.

S. Fridericus Arduennenſis Aſceta. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

S. Roſa-

S. Rosalia V. *Genealogia.* è sanguine Caroli Magni, ut habetur in Martyrologio.

5. B. Otto Episcopus Frisingensis. *Genealogia.* Carolus Dux Lotharingiæ filius Ludovici Transmarini Regis Carolingi.

6. S. Madelberta V. Malbodiensis. *Genealogia.* Bertharius Rex Thuringiæ.

7. S. Clodoaldus Confessor. *Genealogia.* Clodoveus Rex Francorum Christianus.

8. S. Edelburga Regina Nordhanymbrorum. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

9. SS. Nonna & Celsa V. V. *Genealogia.* Odelardus Comes Hombergensis ex Carolingis.

10. S. Odelardus Comes Hombergensis. *Genealogia.* Ex stripe Carolidarum.

11. B. Ludovicus Landgravius Hassiæ. *Genealogia.* Guilielmus I. Aureliæ Comes ex sanguine Caroli Magni.

12. S. Eanswida V. Monialis. *Genealogia.* Clotharius I. Rex Francorum.

13. SS. Kuenburga & Kutburga V. V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

14. S. Roswinda V. *Genealogia.* Ottobertus I. Comes Habspurgicus.

15. S. Ludmilla Ducissa Bohemiæ M. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

Ven. Sophia Princeps Hungariæ Monialis. *Genealogia* Eadem.

16. S. Editha V. Angla. *Genealogia* Eadem.

17. S. Jurminus Princeps Angliæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

18. S. Richardus Imperatrix Virg. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

19. S. Goëricus Episcopus Metensis. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

B. M. Adolphus Dux Cliviæ. *Genealogia.* Joannes Intrepidus Rex Burgundiæ.

20. S. Adolphus Abbas. *Genealogia.* Ex Posteris Pharamundi Francorum Regis.

21. S. Ursinus Eremita. *Genealogia.* Richomer Princeps.

22. B. Irmgardis Zutphanienſis V. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

23. S. Hademunda Ducissa Carinthiæ. *Genealogia* Eadem.

24. S. Alfwoldus Rex Nordhumbriæ. *Genealogia.* Ex Nordhumbriæ Regibus cum Francis conjunctis.

B. Paula Gonzaga. *Genealogia.* Rudophus I. Habspurgicus Imp.

25. S. Rudolphus Rex Burgundiæ. *Genealogia.* Ramprechtus Comes Habspurgicus.

26. B. Adalricus Monachus. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

27. S. Sigebertus Rex Saxonum Orientalium. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Joanna Lucelburgica Abbatissa. *Genealogia.* Henricus Blundellus Comes Lucemburgicus.

Ven. Magdalena Ducissa Neoburgica. *Genealogia.* Ferdinandus I. Imperator Austriacus.

28. S. Wenceslaus Dux Bohemiæ. *Genealogia.* Wratislaus Dux Bohemiæ.

S. Thiemo Archiepisc. Salisburgensis. *Genealogia.* Comes de Medling & Frontenhausen.

29. S. Luitwinus Archiepisc. Trevirensis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

30. B. Conradus Cardinalis Portuensis. *Genealogia.* Betzo seu Landolus I. Comes Habspurgicus.

OCTOBER.

1. S. Bavo Confessor. Carolus Hasbanius Tangrorum Rex.

2. S. Guayrenus M. *Genealogia.* Vide 11. Aprilis.

3. S. Franciscus Borgia S. J. *Genealogia.* Ferdinandus Catholicus Rex Aragoniæ.

4. S. Enymia V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

5. S. Apollinaris Episcopus Valentiæ. *Genealogia.* Flavius Avilus Imperator.

6. S. Modesta Horreensis Abbatissa. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Donosus Princeps Burgundiæ. *Genealogia.* Carolus Calvus Imperator.

7. B. Arnoaldus Dux Mosellanus. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Hanydis Lucelburgica Abbatissa. *Genealogia.* Henricus Plundellus Comes Lucelburgicus.

8. S. Ragemfredis Abbatissa. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

9. S. Guntherus Asceta. *Genealogia.* Ex S. Stephani Regis Hungariæ Cognatis.

10. S. Bruno Archiepisc. Colonienſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Teutechildis Abbatissa. *Genealogia.* Princeps ex Francorum Regibus.

11. S. Edelburga Abbatissa Berckingensis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Gaudentius Episcopus Gnesnensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

12. S. Edwinus Rex Nordhumbriæ. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Juliana V. *Genealogia.* Cognata S. Austrebertæ.

13. S. Reginbaldus Episcopus Spirensis. *Genealogia.* Ermentrudis Habspurgica filia Luitfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

14. S. Herlindis Abbatissa Masacensis. *Genealogia.* Ex Stirpe Carolidarum.

15. S. Helwigis Ducissa Silesiæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

16. S. Baldricus Presbyter. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

17. SS. Ethelbrichtus & Ethelredus M. M. *Genealogia* Eadem.

18. S. Aurelius V. recluſa. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

B. Theobaldus Comes Blosij. *Genealogia* Eadem.

19. S. Ositha V. & M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
20. B. Humbertus Comes Sabaudiæ. *Genealogia.* Henricus I. Auceps Imperator.
21. B. Vandelinus Asceta. *Gnealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
22. S. Bertharius Abbas M. *Genealogia.* Ludovicus I. Imperator.
23. S. Montana Abbatissa Cavensis. *Genealogia.* Carolomannus Dux Brabantiæ.
24. S. Gerbaldus S. R. E. Cardinalis. *Genealogia.* Nebus Dux Sueviæ.
25. B. Offa Rex Anglorum Orientalium. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
26. B. Constantia Regina Aragoniæ. *Genealogia.* B. Constantia Uxor Petri III. Regis Aragonum.
27. S. Desiderius Episcopus Antisiodorensis. *Genealogia.* Bruhechildi Reginæ Propinquus.
28. B. Milada Princeps Bohemiæ V. *Genealogia.* Uratislaus Dux Bohemiæ, Uxor Drahomira.
29. S. Hermelindis V. *Genealogia* è Majoribus B. Pipini de Landis.
30. S. Noitburgis V. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
Ven. Maria Dux Cliviæ. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator.
31. S. Wolfgangus Episcopus Ratisbonensis. *Genealogia.* Ex Comitibus de Pfullingen & Achalm.

NOVEMBER.

1. S. Annas Rex Anglorum Orientalium. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
Ven. Jola V. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
2. B. Christina Austriaca. *Genealogia* Eadem.
3. S. Hubertus Episcopus Leodiensis. *Genealogia.* Dux Aquitaniæ ex Regali Francorum sanguine.
4. S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis. *Genealogia.* Cosmus Medices Magnus Dux.
5. S. Emericus Princeps Hungariæ. *Genealogia.* Ramprechtus Comes Habspurg.
6. S. Bernardus Marchio Badensis. *Genealogia.* Betzo Comes Habspurgicus.
7. S. Engelbertus Archiepisc. Colonienſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
8. Hartwicus Archiepisc. Salisburgensis. *Genealogia.* Fridericus Comes de Sponheim.
S. Gregorius Abbas Einsidlensis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
9. B. Albero Dunensis. *Genealogia* Eadem.
10. S. Wolo Asceta ad S. Gallum. *Genealogia.* Hartmanuus Comes à Dillingen & Werden.
11. S. Ælfleda Regina. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.
12. B. Gebhardus Habspurgicus Episcopus Constantiensis. *Genealogia.* Betzo Comes Habspurg.
13. S. Eleutherius Episcopus Tungrensis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
B. Agnes Princeps Bavariæ V. *Genealogia.* Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.
14. B. Theodoricus Episcopus Metensis. *Genealogia.* Ehrentrudis Habspurgica Filia Luitfridi.
Ven. Elisabetha Marchionissa Juliacensis. *Genealogia.* Rudolphus Imp. Habspurg.
15. S. Leopoldus Marchio Austriæ. *Genealogia.* Betzo Comes Habspurgicus.
16. S. Margaretha Sponheimensis Monialis. *Genealogia.* Craffto Comes Sponheimensis.
17. S. Hiltrudis Sponheimensis. *Genealogia* Eadem, quæ in priori Die.
18. B. Salomea Regina Russiæ. *Genealogia.* Andreas II. Rex Hungariæ.
19. S. Elisabetha Vidua. *Genelogia.* Rudolphus I. Imperator.
20. S. Isychius Viennensis. *Genealogia.* Fl. Avitus Imperator.
S. Edmundus Rex Angliæ M. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex.
21. S. Albertus Episcopus Leodiensis, S. R. E. Cardin. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
B. Stilla Schyrensis. *Genealogia* Eadem.
22. S. Hilda Abbatissa. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
23. S. Willetrudis Nivigellensis. *Genealogia.* Carolomanus Dux Brabantiæ.
S. Trudo Presbyter. *Genealogia.* Dagobertus I. Rex Francorum.
24. S. Oda Vidua. *Genealogia.* Uti 3. Novembris.
SS. Anonymi duo Moraviæ Duces M. M. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.
25. S. Floribertus Episcopus Leodiensis. *Genealogia.* Bertrandus Aquitaniæ Dux.
26. S. Conradus Episcopus Constantiensis. *Genealogia.* Houchingus Dux Sueviæ.
27. B. Eberhardus Præpositus Marchthallensis. *Genealogia.* Henricus Dapifer de Waldpurg.
28. B. Casimirus Rex Poloniæ. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habspurgicus.
29. B. Hathmudis Abbatissa. *Genealogia.* Ludovicus pius Imperator.
30. S. Edwoldus Eremita. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
S. Euphrasia Bohema V. V. *Genealogia.* Carolus Dux Lotharingiæ, Ultimus Carolingorum.

DECEMBER.

1. S. Hereswida Regina. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.
2. S. Berno Abbas Cluniacensis. *Genealogia.* Aticus Dux Alemanniæ & Alsatiæ.
S. Franciscus Xaverius S. J. *Genealogia.* Ex Regibus Navarræ.
3. B. Philippa Princeps Lusitaniæ. *Genealogia.* Joannes Rex Portugaliæ.

4. S. Anno

4 S. Anno Archiepiſc. Colonienſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

5. S. Eanfleda Regina Deirorum. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

6. S. Gertrudis Abbatiſſa Hamaticenſis. *Genealogia.* Richomerus Princeps.

7. B. Joanna Princeps Flandriæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

8. S. Sigirannus Abbas. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

S. Romaricus Abbas. *Genealogia* è Pharamundi Francorum Regis Poſteritate.

9. S. Egbertus Archiepiſcopus Trevirenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

10. S. Deotarius Epiſcopus. *Genealogia.* Clodio Crinitus Rex Francorum.

S. Balda Abbatiſſa. *Genealogia* è Regia Francorum ſtirpe.

11. B. Thaſſilo Boiorum Princeps. *Genealogia.* Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

B. Bartholomæus Ciſtercienſis. *Genealogia* Eadem, quæ 7. Februarij. & 20. Auguſti.

12. S. Eadburga Limingenſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

B. Kunhuta Bohema Abbatiſſa. *Genealogia.* Wenceslaus Ottocarus Rex Bohemiæ.

13. S. Othilia Abbatiſſa Hochenbergenſis. *Genealogia.* Atticus Dux Hemanniæ & Alſatiæ ex Regibus Francorum.

14. S. Adalbero Epiſcopus Metenſis. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

15. S. Everardus Dux Forojulienſis. *Genealogia* Eadem.

S. Gisla eius uxor. *Genealogia* Eadem.

S. Alardus eorum filius. *Genealogia.* Dux Forojulij.

S. Margarita Monferratenſis. *Genealogia.* Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus.

16. S. Theophano Imperatrix. *Genealogia.* Luitfridus Comes Habſpurgicus.

17. S. Adelheydis Imperatrix. *Genealogia.* Ramprechtus Comes Habſpurgicus.

18. S. Wunibaldus Abbas Haydenheimenſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

19. S. Mengoſus Dynaſta Geldriæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

B. Gerbirga ejus uxor. *Genealogia* Eadem.

20. S. Welfridus Abbas. *Genealogia.* Ex Familia Comitum de Calvu.

21. S. Menardus Augienſis M. *Genealogia.* Ex Comitibus Zolleranis de Sulgovu.

S. Edburga Abbatiſſa V. Dordmuncaſtrē. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

22. B. Jutha Sponheimenſis. *Genealogia.* Graffto Comes Sponheimenſis.

23. B. Agnes Imperatrix. *Genealogia.* Ex Carolingis.

Ven. Hildegardis Abbatiſſa Tigurina. *Genealogia.* Carolus Magnus Imp.

24. S. Irmina Abbatiſſa Horrenſis. *Genealogia.* Clotharius Magnus Dux Francorum.

25. S. Alſendis V. *Genealogia.* Richomerus Princeps, Uxor S. Gertrudis.

26. B. Editha Imperatrix. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

27. S. Guilielmus Magnus Eremita. *Genealogia.* Eadem.

28. B. Athela Abbatiſſa Palatioli. *Genealogia.* Clotharius Magnus Rex Francorum.

29. B. Eliſabetha Polona. *Genealogia.* Boleſlaus Rex Poloniæ.

30. Luithardus Comes Cliviæ. *Genealogia.* Carolus Magnus Imperator.

31. B. Conradus Schyrenſis Archiepiſc Salisburgenſis. *Genealogia* Eadem.

III. INDEX
Sanctorum Habſpurgo-Auſtriacorum,
Ordine Alphabetico.

A.

S. Adalbaldus Dux. 2. Febr.
S. Adalbero Epiſc. Auguſtanus. 12. Junij.
S. Adalbero Epiſc. Metenſis. 14. Dec.
S. Adalbero Epiſc. Wormatienſis. 6. Aug.
S. Adalbertus Brigantinus. 4. Sept.
S. Adalbertus Epiſc. Pragenſis. 23. Aprilis.
S. Adalricus Aſceta. 26. Sept.
S. Adela Abbatiſſa Palatioli. 28. Dec.
B. Adela Princeps Bohemiæ. 1. Febr.
S. Adelardus Abbas Corbeiæ. 1. Januarij.
S. Adelbertus Archidiaconus. 25. Junij.
B.M.Adelbertus vel Adelbert⁹ Comes 22. Aprilis.
B. Adelheydis Duciſſa. 21. Junij.
S. Adelheydis Imperatrix. 19. Dec.
S. Adelheydis V. Vilicenſis. 5. Feb.
S. Adelindis Vidua Abbatiſſa. 28. Aug.
S. Adelphus Abbas. 20. Sept.
B. Adeltrudis Senior. 26. Junij.
B. Adeltrudis Junior V. 27. Junij.
B. Adilia V. Abbatiſſa. 30. Junij.
Ven. Adolphus Dux Cliviæ. 19. Sept.
B. Adula Comitiſſa. 1. Sept.
S. Ælfleda Regina. 11. Nov.
S. Agia ſeu Aga Comitiſſa. 18. Aprilis.
B. Agnes Bavara V. 13. Nov.
B. Agnes Bohema Senior Monialis. 7. Junij.
B. Agnes Bohema Junior V. Monialis. 6. Martij.
B. Agnes Imperatrix. 23. Dec.
B. M. Agnes Regina Hungariæ. 11. Junij.
S. Agilberta Abbatiſſa. 12. Aug.
S. Alandus Dux Foroiulienſis. 16. Dec.
B. Alberada de Urach Monialis. 5. April.
B. Alberto Abbas Dunenſis. 9. Nov.
B. B. Albertus & Ockarius Comites. 20. Febr.
S. Albertus Cardinalis Leodienſis. 21. Nov.
B. Albertus Archiep. Salisburgenſis 7. Aprilis.
S. Albricus Epiſc. Ultrajectinus. 5. Aug.
S. Aldegundis V. 30. Januarij.
S. Aldetrudis Abbatiſſa Malbodienſ. 15. Martij.
S. Aldhelmus Epiſc. Schireburnenſis. 25. Maij.
B. Aleydis Mater S. Bernardi. 4. Aprilis.
B. Aleydis V. Princeps Poloniæ. 29. Aug.
S. Alfridus Rex Nordthumbriæ. 15. Maij.
S. Alfwoldus Rex Nordthumbriæ. 24. Sept.
B. Aloyſius Gonzaga Soc. SESU. 21. Julij.
S. Alſendis V. 25. Dec.
SS. Amabilia & Eliſabetha V.V. Sorores. 16. Febr.
S. Amaberga Comitiſſa Senior. 10. Julij.
S. Amalberga V. Junior. 10. Julij.
S. Amandus Epiſc. Trajectenſis. 6. Febr.
B. Amedæus Dux Sabaudiæ. 30. Martij.
B. Andreas Aſceta. 5. Aprilis.

A.

S. Anfridus Epiſc. Leodienſis. 3. Maij.
B. Angela Bohema Monialis. 6. Julij.
V. Angilberga Imperatrix. 12. Januarij.
S. Angilbertus Abbas Centulen. 18. Febr.
S. Anglitrudis V. 25. Febr.
Ven. Anna Juliana Auſtriaca. 3. Aug.
Ven. Anna Duciſſa Lignicenſis. 23. Junij.
S. Annas Rex Anglorum Oriental. 1. Nov.
S. Anna Archiepiſc. Colonenſ. 4. Dec.
SS. Anonymi Orlamundenſes MM. 24. Nov.
B. Anſegiſus Marchio. 24. Januarij.
S. Anthuſa V. 12. Aprilis.
S. Apollinaris Epiſc. Valentiæ. 5. Octob.
B. Arnoaldus Dux Moſellanus. 7. Octob.
S. Arnulphus Epiſc. Metenſis 18. Julij.
B. Aſcelina neptis S. Bernardi. 18. Maij.
B. Aſſuerus Abbas Prumienſis. 30. Aug.
S. Ava V. Abbatiſſa Dononienſis. 29. Aprilis.
S. Avitus Epiſc. Viennenſis. 5. Febr.
S. Aurelia V. 18. Octob.
S. Auſtreberta V. Abbatiſſa. 10. Febr.

B.

BB. Badefridus & Framehildis conjug. 23. Januarij.
S. Balda Abbatiſſa. 10. Dec.
S. Baldricus Epiſcopus Ultrajectinus 6. Aprilis.
S. Baldricus Presbyter. 16. Octob.
B. M. Barbara Princeps Bavariæ. 12. Martij.
B. Bartholomæus Ciſtertienſis. 11. Dec.
S. Baſinus Archiep. Trevirен. 2. Junij.
S. Bathildis Regina. 26. Januarij.
S. Bavo Confeſſor. 1. Octob.
B. Beatrix Atteſtina I. 10. Maij.
B. Beatrix Atteſtina II. 18. Januarij.
B. Beatrix Atteſtina III. 27. Julij.
B. Beatrix Marchioniſſa Carinthiæ. 9. Januarij.
S. Begga Vidua. 16. Januarij.
B. Berngaria Princeps Hiſpaniæ. 8. Martij.
S. Berlendis V. 3. Febr.
S. Bernardus Abbas Claræval. 20. Aug.
S. Bernardus Marchio Badenſ. 6. Nov.
S. Bernarius Aſceta Lerinenſis. 2. Januarij.
S. Berno Abbas. 2. Dec.
S. Bertha Biburgenſis fundatrix. 28. Febr.
S. Bertha Blanchiacenſis Abbatiſſa. 3. Julij.
S. Bertha Marchettenſis Abbatiſſa. 24. Julij.
S. Bertharius Abbas. 22. Octob.
S. Berthilia Comitiſſa. 3. Januarij.
S. Berthrada V. Abbatiſſa. 5. Febr.
S. Berthulphus Abbas. 19. Aug.
S. Bonifacius Archiep. Moguntinus. 5. Junij.
S. Bonifacius Epiſc. Ruſſorum M. 19. Junij.

SS. Bova & Doda V. V. 24. Aprilis.
S. Braulius Epiſc. Cæſarauguſt. 26. Martij.
S. Brigitta V. Abbatiſſa. 1. Febr.
B. Bruno Abbas Hirſchaugienſis. 23. Martij.
S. Bruno Archiep. Colonienſis. 10. Octob.
S. Bruno Aſtenſis. 31. Aug.
S. Bruno Epiſc. Ruſſorum M. 14. Febr.
S. Bruno Dux Saxoniæ M. 2. Febr.
S. Bruno Epiſc. Herbipolenſis. 27. Maij.

C.

S. Canutus Rex Daniæ M. 7. Januarij.
S. Canutus Rex Obotritorum M. 7. Januarij.
B. Carolus Bonus Comes Flandriæ M. 2. Martij.
S. Carolus Borromæus Cardin. 4. Nov.
S. Carolus M. Imperator. 28. Jan.
B. Carolomannus Aſceta. 17. Aug.
S. Caſimirus Princeps Poloniæ. 4. Martij.
B. Caſimirus Rex Poloniæ. 28. Nov.
S. Ceolulphus Rex Nordthanymborum 10. Aug.
S. Childechindis V. M. 31. Martij.
S. Chriſtiana V. Monialis Abbatiſſa. 11. Aug.
B. Chriſtina Auſtriaca V. 2. Nov.
B. M. Chunegundis Auſtriaca. 20. Aprilis.
S. Chunegundis Imperatrix. 3. Martij.
B. Chunegundis Andecenſis. 7. Martij.
B. Chunegundis ſeu Kinga Polona. 30. Julij.
Ven. Chunegundis Ducisſa Mazoviæ. 22. Julij.
S. Chrodegangus Epiſc. Metenſis. 10. Martij.
B. M. Clementia Homburgenſis. 21. Martij.
S. Clodoaldus Confeſſor. 7. Sept.
S. Clodulphus Epiſc. Metenſis. 8. Junij.
S. Clothildis Regina. 3. Junij.
S. Clothſendis Abbatiſſa Marchiönenſis. 25. Julij.
B. Conradus Cardin. Portuenſis. 30. Sept.
B. Conradus Auſtriacus Archiep Salisb. 3. Aug.
B. Conradus Schyrenſis Archiep. Salisb. 31. Dec.
S. Conradus Epiſc. Conſtantienſis. 26. Nov.
B. Conradus Claravallenſis Aſceta. 17. Martij.
B. Conſtantia Regina Aragoniæ. 26. Octob.
S. Contardus Marchio Eſtenſis. 16. Aprilis.

D.

S. Dagobertus Rex M. 2. Sept.
S. Dentlinus puerulus. 14. Julij.
S. Deotarius Epiſcopus. 10. Dec.
S. Deſiderius Epiſc. Antiſiodorenſ. 27. Octob.
B. Diethlandus Abbas. 28. Maij.
S. Doda Vidua. 18. Aug.
S. Domneva Regina. 25. Januarij.
S. Donoſus Princeps Burgundiæ. 6. Octob.

E.

S. Eadbertus Rex Nordthanymbrorū. 11. Junij.
S. Eadburga V. filia S. Ethelberti. 12. Dec.
S. Eadburga filia Eduardi Regis. 15. Junij.
S. Eadgarus Rex Anglorum. 18. Julij.
S. Eanfleda Regina. 5. Dec.
S. Eanswida V. 12. Sept.
S. Earcongotha V. 22. Febr.
S. Ebba Abbatiſſa. 1. Aprilis.
B. Eberhardus Altenaënſis. 22. Maij.
S. Eberhardus Abbas Einſidlenſis 22. Aug.
S. Eberhardus Archiep. Salisburg. 22. Junij.
S. Eberhardus Dux Forojulij. 15. Dec.
S. Eberhardus Præpoſitus Marchthall. 27. Nov.
B. Eberhardus Nellenburgicus. 7. Aprilis.
S. Edburga V. Abbatiſſa Dordtmuncaſt. 21. Dec.
S. Edelburga Regina Weſt-Saxonum. 9. Julij.
S. Edelburga Regina Nordhanymbrorū. 8. Sept.
S. Edelburga Abbatiſſa Berckhingen. 11. Octob.
S. Etheltrudis Abbatiſſa Elgenſis. 23. Junij.
S. Edigna V. 26. Febr.
S. Editha V. 16. Sept.
S. Editha Imperatrix. 26. Dec.
S. Edmundus Rex, Martyr. 20. Nov.
S. Eduardus Rex Confeſſor. 8. April.
S. Eduardus Rex Martyr. 18. Martij.
S. Edelwoldus frater S. Edmundi Regis. 30. Nov.
S. Eduvinus Rex. 12. Octob.
S. Egbertus Archiep. Treviren. 9. Dec.
S. Eguinus Epiſc. Wigornien. 11. Januarij.
S. Eleutherius Epiſc. Tungrenſis. 13. Nov.
S. Elfleda Abbatiſſa Streneashalæ. 8. Febr.
S. Elgiva Regina. 16. Aug.
S. Eliſabetha Haſſa Vidua. 19. Nov.
S. Eliſabetha Regina Portugalliæ. 4. Julij.
Ven. Eliſabetha Auſtriaca Regina Gall. 22. Januarij.
Ven. Eliſabetha Juliacenſis. 14. Nov.
B. Eliſabetha Polona. 29. Dec.
B. Eliſabetha Hungara Monialis. 6. Maij.
S. Emma Comitiſſa Vidua. 2. April.
S. Emma Regina. 9. Junij.
S. Emebertus Epiſcopus Cameracenſis. 15. Januarij.
S. Emericus Princeps Hungariæ. 5. Nov.
S. Engelbertus Archiepiſc. Colonienſis. 7. Nov.
S. Enymia V. 4. Octob.
S. Erconbaldus Epiſcopus Londinenſis. 30. April.
S. Ehrentrudis V. 30. Junij.
S. Ermenburga Abbatiſſa. 21. Januarij.
S. Ermengitha V. 1. Aug.
S. Erminilda Regina. Merciorum. 13. Febr.
S. Ermelindis V. 12. Febr.
S. Ethelburga V. Berckingenſis Abbat. 11. Octob.
S. Ethelbertus Rex Anglo-Saxonum. 24. Febr.
SS. Ethelbrichtus & Ethebredus MM. 17. Octob.
S. Ethelburga V. Abbatiſſa Brigenſis. 7. Julij.
S. Ethelfreda V. 16. Febr.
S. Etheldrita V. bisnupta. 4. Aug.
S. Ethelredus Rex Merciorum. 4. Maij.
S. Euphemia Abbatiſſa. 16. Maij.
S. Euſebia Abbatiſſa Hamaticenſis. 16. Martij.
SS. Euphraſia & Febronia V. V. 14. Febr.
S. Euphraſia Bohema V. M. 30. Nov.

F.

S. Ferdinandus Rex Hiſpaniæ. 30. Maij.
B. Ferdinandus Princeps Luſitaniæ. 18. Junij.
S. Ferreolus Epiſc. Utzetiæ. 4. Januarij.
S. Firminus Epiſcopus Utzetiæ. 3. Sept.
S. Florentina Abbatiſſa. 20. Junij.
S. Floribertus Epiſc. Leodienſis. 25. Nov.

S. Franciſcus Borgia S. J. 3. Octob.
S. Franciſcus Xaverius S.J. 3. Dec.
B. Fridericus Arduennenſis Aſceta. 4. Sept.
S. Fulgentius Epiſc. Carthaginenſis. 14. Jan.

G.

S. Gaudentius Epiſc. Gneſnenſis. 11. Octob.
S. Gebhardus Epiſc. Salisburg. 19. Maij.
S. Gebhardus II. Epiſc. Conſtantienſis 17. Auguſt.
B. Gebhardus III. Epiſc. Conſtantienſ. 12. Nov.
B. Genovefa Palatina. 28. Febr.
B. Gerardus frater S. Bernardi. 13. Junij
S. Gerbaldus Leodienſis, S.R.I. Card. 24. Octob.
B. Gerberga Geldra. 19. Dec.
S. Gerburgis Abbatiſſa Gandersheim. 24. Julij.
B. Geroldus Marchio Auſtriæ. 1. Sept.
B. Gertrudis Aldenbergenſis Abbat. 2. Aug.
B. M. Gertrudis Bohemiæ Regina. 5. Aug.
S. Gertrudis Carleburgenſis. 17. Martij.
S. Gertrudis Hamaticenſis. 6. Dec.
B. Gertrudis filia S. Hedwigis. 17. Martij.
S. Gertrudis Nivellenſis. 10. April.
S. Giſela Regina Hungariæ. 7. Maij
S. Gisla Duciſſa Forojulij. 16. Dec.
B. Godefridus Cappenbergenſis. 13. Jan.
S. Godo Epiſcopus Metenſis. 8. Maij.
B. Godo Aſceta. 26. Maij.
S. Goëricus Epiſcopus Metenſis. 19. Sept.
S. Gondolphus Epiſcopus Tungrenſis. 16. Julij.
S. Gothardus Epiſc. Hildeſienſis. 25. Martij.
S. Gregorius Adminiſtr. Ultrajectinus. 24. Aug.
S. Gregorius Abbas Einſidlenſis. 8. Nov.
S. Gauyrenus M. 2. Octob.
S. Gudula V. 8. Jan.
S. Gulielmus Magnus Dux Aquitaniæ. 27. Dec.
S. Gulielmus Gelonenſis. 28. Maij.
B. M. Gundelberga Regina. 28. April.
S. Gundeckarus Epiſc. Eyſtadianus. 2. Aug.
B. Hundrada V. 24. Maij.
S. Guntherus Aſceta. 9. Octob.
S. Gunthramnus Rex Francorum. 28. Martij.

H.

S. Hadeloga V. Abbatiſſa. 2. Febr.
S. Hademunda Eberſpergenſis. 23. Sept.
B. Hadwigis Marenſis Monialis. 14. April.
S. Hartwicus Archiep. Salisburg. 8. Nov.
B. Hathmudis Abbatiſſa. 29. Nov.
B. Hanydis Lucelburgenſis Abbatiſſa. 7. Octob.
S. Hedwigis Duciſſa. 15. Octob.
S. Hemma Comitiſſa. 29. Junij.
S. Henricus Abuſinus. 3. April.
B. Henricus Archiep. Rhemenſis. 26. Maij.
S. Henricus Imperator. 14. Julij.
B. Henricus Epiſcopus Olomucenſis. 1. Julij.
B. M. Henricus Epiſc. Pragenſis. 14. Junij.
B. M. Henricus Epiſc. Ratisbonenſis. 26. Julij.
S. Hereswida Regina. 1. Dec.
S. Herlindis Maſacenſis. 14. Octob.
S. Herlindis Regenſpergenſis. 10. Aug.
B. Hermanus Cluniacenſis. 25. April.
B. Hermannus Contractus. 19. Julij.
S. Hermelindis V. 29. Octob.
S. Hermengildus Rex M. 13. April.
Ven. Hermingardis Imperatrix. 13. Maij.
S. Hilda Abbatiſſa. 22. Nov.
S. Hildegardis Imperatrix 30. April.
Ven. Hildegardis Regina Abbatiſſa. 23. Dec.
S. Hildegundis Monialis Marenſis. 6. Febr.
S. Hildulphus Princeps Lobbienſis. 23. Julij.
S. Hiltrudis Sponheimenſis. 17. Nov.
S. Hubertus Epiſcopus Leodienſis. 3. Nov.
S. Hugo Abbas Novalicienſis 13. Junij.
S. Hugo Archiep. Rothomagenſis. 9. Martij.
S. Humbelina Soror S. Bernardi. 21. Aug.
B. Humbertus Comes Sabaudiæ. 20. Octob.

I.

B. Ida Bolonienſis. 13. April.
B. Iduberga ſeu Itha Vidua. 8. Martij.
S. Ignatius de Loyola Fund. Soc. JESU. 31. Julij.
S. Ina Rex Weſt-Saxonum. 6. Febr.
B. Joanna Comitiſſa Flandriæ. 7. Dec.
B. Joanna Franciæ Regina. 4. Febr.
B. Joanna Lucelburgica. 27. Sept.
B. Joanna Luſitana. 14. Maij.
Ven. Jola. 1. Nov.
B. Jolentha Vidua. 23. April.
B. Irmgardis Comitiſſa. 22. Sept.
B. Irmengardis Abbatiſſa Chiemenſis. 17. Julij.
S. Irmina Horreenſis Abbatiſſa. 24. Dec.
B. Iſabella Regina Franciæ. 31. Aug.
S. Iſichius Epiſcopus Viennenſis. 20. Nov.
S. Iſidorus Epiſc. Hiſpalenſis. 4. April.
S. Itisberga Monialis. 21. Maij.
B. Juliana V. 12. Octob.
S. Jurminus Princeps Angliæ. 17. Sept.
B. Juttha Sponheimenſis. 22. Dec.

K.

SS. Khineburga & Khineſwitha V.V. 6. Maij.
S. Khineburga Regina Nordthumbriæ. 26. Aug.
SS. Khuenburga & Kuthburga V.V. 13. Sept.
B. Kunhuta Bohema Abbatiſſa. 12. Dec.

L.

S. Ladislaus Rex Hungariæ. 27. Junij.
S. Landricus Epiſc. Meldenſis. 17. April.
S. Landrada Virgo. 8. Julij.
B. Landolus Habſpurgicus Epiſcopus. 31. Januarij.
S. Leander Epiſc. Hiſpalenſis. 27. Febr.
S. Leo Papa IX. 19. April.
S. Leodegarius Epiſcopus Heduorum. 11. April.
S. Leopoldus Marchio Auſtriæ. 15. Nov.
B. Lotharius Imperator. 2. Sept.
S. Loybrigus Confeſſor. 24. Junij.
S. Ludmilla Duciſſa Bohemiæ. 25. Sept.
S. Ludovicus Epiſc. Tholoſanus. 19. Aug.

S. Ludo-

S. Ludovicus Rex Franciæ. 25. Aug.
B. Ludovicus Landgravius Hassiæ. 11. Sept.
S. Luithardus Comes Cliviæ. 30. Dec.
S. Luitwinus Archiep. Trevirensis. 29. Sept.

M.

S. Madalberta V. Malbodiensis. 6. Sept.
V. Magdalena Neoburgica. 27. Sept.
S. Mangoldus Dux M. 9. Febr.
B. Maphalda Lusitana. 3. Maij.
Ven. Margaritha Austriaca. 5. Julij.
B. Margarita Bavara. 6. Jan.
Ven. Margarita Brabanda Abbatissa. 4. Junij.
B. M. Margarita Bohema Monialis. 13. Julij.
B. Margarita Hungara. 28. Jan.
B. Margaritha Palatina Rheni. 27. Aug.
S. Margarita Regina Scotiæ. 10. Junij.
S. Margarita Sponheimensis. 16. Nov.
B. Margarita Monferratensis. 15. Dec.
B. Maria Brabantina. 18. Jan.
Ven. Maria Dux Cliviæ. 30. Octob.
B. Maria de Odivelis Lusitana. 13. Julij.
B. Mathildis Abbatissa Edelstettensis. 31. Maij.
B. Mathildis Imperatrix. 14. Martij.
S. Maurontus Abbas. 5. Maij.
S. Menardus Augiensis M. 21. Dec.
S. Mengosus Dynasta Geldriæ. 19. Dec.
S. Mercelmus Rex. 1. Martij.
S. Merevinus Confess. 17. Jan.
S. Meruvaldus Rex. 23. Febr.
S. Meinwercus Episc. Paderpornensis. 6. Junij.
B. Milada Ducissa Bohemiæ. 28. Octob.
S. Milburga V. 23. Febr.
S. Mildritha V. 13. Julij.
S. Milgitha V. 17. Jan.
S. Modericus Episc. Aresitensis. 29. Jan.
S. Modesta Horreensis Abbatissa. 6. Octob.
S. Modoaldus Archiep. Trevirensis. 12. Maij.
S. Montana V. 23. Octob.
S. Monrandus Abbas. 2. Junij.

N.

S. Neophyta V. M. 4. Jan.
B. Nivardus Abbas. 7. Febr.
SS. Nonna & Celsa V.V. 9. Sept.
S. Noitburgis V. 30. Octob.
B. Notgerus Balbulus. 6. April.
B. Notgerus Abbas Sangallensis. 28. Junij.

O.

S. Oda Vidua. 24. Nov.
S. Odelardus Comes Hombergensis. 10. Sept.
B. Odino Abbas. 2. Jan.
B. Offa Rex Oriental. Saxonum. 25. Octob.
B. Ositha. V. M. 19. Octob.
S. Oswaldus Rex Deirorum. 5. Aug.
S. Oswinus Rex Nordhanymbrorum. 11. Martij.
S. Oswinus Rex Nordhanymbrorum. 15. Febr.
S. Othilia Abbatissa Hochenburgens. 13. Dec.
B. M. Otto Habspurg. Ep. Argentinens. 30. Aug.
S. Otto Episc. Bambergensis. 2. Julij.
B. Otto Episc. Frisingensis. 9. Sept.
B. Otto Præpositus Cappenbergensis. 27. Jan.
B. Otto Schyrensis. 9. Aug.
B. Ottwinus Comes Goritiæ. 7. Januar.

P.

B. Paula Gonzaga Vidua. 17. Martij.
B. Paula Gonzaga V. 24. Sept.
B. Petrus Lusitanus. 9. Maij.
S. Pharaeldis V. 5. Jan.
B. Philippa Lusitana. 3. Dec.
B. Pipinus de Landis. 21. Febr.
B. Plectrudis Ducissa. 6. Maij.
S. Poppo Archiepisc. Treviren. 16. Junij.
B. Praxedes Imperatrix. 6. Aug.
S. Przibislawa Vidua. 16. Aug.

Q.

Quinq; fratres S. Adalberti Episc. MM. 16. April.

R.

S. Radegundis Regina. 13. Aug.
S. Ragemfredis Abbatissa. 8. Octob.
S. Rasso Comes Andecensis. 17. Junij.
B. Rathardus Presbyter. 20. Maij.
S. Rathruda V. 2. Junij.
S. Regina Comitissa. 1. Julij.
S. Reginbaldus Episc. Spirensis. 13. Octob.
S. Reinildis V. M. 16. Julij.
S. Relindis Masacensis. 22. Martij.
S. Remigius Episc. Archentinensis. 20. Martij.
S. Remigius Archiep. Rothomagens. 19. Jan.
B. Richarda Comitissa. 24. Martij.
S. Richarda Imperatrix. 18. Sept.
S. Richardus Rex. 7. Febr.
S. Richarius Centulensis. 26. April.
B. Richetza Regina Poloniæ. 19. Martij.
S. Rictrudis Abbatissa. 12. Maij.
B. Ritza Confluentina. 7. Junij.
S. Romaricus Abbas. 8. Dec.
S. Rosalia V. 4. Sept.
S. Roswinda. 14. Sept.
B. Rudolphus Rex Burgundiæ. 25. Sept.
S. Rumboldus Anglus. 14. Junij.
S. Rupertus Episcopus Salisburg. 27. Martij.

S.

B. Salomea Regina. 18. Nov.
B. Sancia Princeps Lusitaniæ. 13. Martij.
B. M. Sancia Regina Hierosolymorum. 28. Julij.
S. Sethrida Abbatissa Brigensis. 10. Jan.
S. Severa Abbatissa. 20. Julij.
S. Sexburga Regina. 6. Julij.
S. Sidonius Apollinaris. 23. Aug.
S. Sigbertus Rex Francorum. 1. Febr.
S. Sigbertus Rex Saxonum. 27. Sept.
S. Sigismundus Rex Burgundiæ. 1. Maij.

S. Sigiranus Abbas. 8 Dec.
S. Sigismundus Rex Burgundiæ. 1. Maij.
S. Sigrada Vidua. 1. Junij.
S. Silvinus Epiſc. Tervanenſis. 17. Febr.
B. Sophia Princeps Hungariæ. 15. Sept.
B. Stanislaus Abbas M. 17. Julij.
B. Stephanus Papa IX. 29. Martij.
S. Stephanus Rex Hungariæ. 15. Aug.
B. Stilla Schyrenſis V. 21. Nov.
S. Sympertus Epiſc. Auguſtanus. 15. April.

T.

B. Taraſia Regina V. 25. April.
B. M. Tharaſia Luſitana. 17. Junij.
S. Taraſita V. 15. Jan.
B. Thaſſilo Bojorum Princeps. 11. Dec.
S. Teutechildis Abbatiſſa. 10. Octob.
B. Theoboldus Campaniæ Comes. 18. Octob.
B. Theodelinda Regina. 22. Jan.
B. Theodo III. Bojorum Princeps. 21. Julij.
S. Theodora Imperatrix. 11. Febr.
S. Theodoricus Epiſc. Metenſis. 14. Nov.
S. Theodulphus Presbyter. 2. Maij.
B. Theophania Abbatiſſa. 5. Martij.
S. Theophano Imperatrix. 16. Dec.
S. Thiemo Archiepiſc. Salisburg. 28. Sept.
S. Trudo Presbyter. 23. Nov.

V.

S. Vdalricus Epiſc. Auguſtanus. 4. Julij.
S. Vdalricus Aſceta. 12. Julij.
B. M. Vdalricus Eberſpergenſis. 11. Maij.
S. Vdalricus Epiſc. Lauſanenſis. 23. Maij.
S. Venona V. 29. Aug.
S. Veronus Confeſſ. 31. Jan.
S. Victor Papa II. 28. Julij.
S. Vigibertus Presbyter. 14. Aug.
S. Vincentius Madelgarius. 15. Julij.
B. M. Vladislaus Marchio Moraviæ. 21. Aug.
B. Vratislaus Princeps Bohemiæ. 13. Febr.
B. Vraca Aragonia. 9. Jan.
S. Vrſinius Eremita. 21. Sept.

W.

S. Walbertus Dux Moſellanus. 6. Jan.
S. Waldetrudis Vidua. 9. April.
S. Walpurgis V. 27. April.
S. Wandelinus Aſceta. 21. Octob.
S. Wandregiſilus Abbas. 22. Julij.
S. Welfridus Abbas. 20. Dec.
S. Wenceslaus Dux M. 28. Sept.
B. M. Wenceslaus II. Rex Bohemiæ. 21. Junij.
S. Wereburga V. Abbatiſſa. 3. Febr.
B. Widekindus Dux. 6. Jan.
S. Wilhelmus Abbas Hirſchaugienſis. 5. Julij.
S. Wilibaldus Epiſc. Eyſtettenſis. 7. Julij.
S. Willetrudis V. Abbatiſſa. 23. Nov.
B. Wiltrudis Abuſina. 17. Maij.
B. M. Wiltrudis Habſpurgica. 20. Jan.
B. Witgerus Comes. 11. Julij.
S. Witburga V. 10. Febr.
B. Wolbodo Epiſc. Leodienſis. 21. April.
S. Wolfgangus Epiſc. Ratisbonenſis. 31. Octob.
S. Wolo Kiburgicus. 10. Nov.
SS. Wulfhadus & Ruffinus MM. 24. Julij.
S. Wunibaldus Abbas. 18. Dec.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
JANUARIUS
Sive
RUDOLPHUS I. MAGNUS,
&
FERDINANDUS III. SAPIENS,
Habſpurgo-Auſtriaci Imperatores.

ANnum Chriſtiani â Januario auſpicamur, cujus prima dies apud Romanos Jano bifronti ſacra erat. Janus verò idem qui Sol creditus eſt. Nos Auſtriacam Imperatricem Domum inter Principum familias Solis inſtar ſuſpicimus, cui ſingulos Anni dies percurrenti ſacros volumus & Menſes, & menſium dies. Opportunè verò nobis occurrit Janus Auſtriacus in RUDOLPHO I. & FERDINANDO III. expreſſus, quorum alter futuræ felicitati proſpexit, alter præteritam ſtabilivit. His proinde meritò Januarius noſter, cum olim ſcriptis Elogiis ſacer eſto.

RUDOLPHUS I. MAGNUS

Cæſar Habſpurgo-Euchariſtico-Marianus,
Auguſtæ Domûs Auſtriacæ Genearcha,
Uno ſcribi nomine non poteſt
Tot author titulorum, quot inſignitur poſteritas.
Dic *Marti* invictum,
Sed non dixiſti *Matri* DEI devinctum.
Dic Belli fulmen;
Sed non dixiſti Beneficentiæ flumen.
Dic Atlantem Eccleſiæ,
Sed non dixiſti Herculem Imperij;
Per quem & ſtetit labans Germania,
Et ſtans Eccleſia ſuſtentata eſt.
Tot decora ut explicent, nulla ſatis ſint decóra Elogia.
Sed ſuo ipſe nomine Elogium ſibi concinnat
RUDOLPHUS EUCHARISTICO-MARIANUS.

Qui *Dei Filio* pariter & *Matri* devotus vixit.
Filiales Virgini deputavit honores,
Virgineos Filio.
Hunc ſecutus per avia viam reperit ad Coronas;
Illam ſuſcitatâ in *Campo morientium* Æde ſacrâ
Viventium ſenſit *Matrem*:
Hæc *afflatum* peſtilentis aëris invocata *diffavit.*
Peregrinis deinceps acceſſus eò patuit,
Unde prius domeſtici arcebantur.
Quo tunc igne Pietatis RUDOLPHUS arſerit,
Prodigio MARIA teſtari voluit.
Orto incendio, conſumptâ Æde, ad iconem ſuam
Flammas admiſit, ſed innoxias;
Violari nempe non poteſt elementari flammâ,
Quod igne ſolidatum eſt
Pietatis Marianæ.
Credidit Cæſar
PIUS idem, & PRIMUS
Non benè adorari DEUM in Hoſtia,
Niſi honoretur etiam in Matre.
Sumpſit quippe ille de Matre, quod nos in hoſtia;
Et qui nunc latet in orbe Euchariſtico,
Idem latuit olim in Virgine.
Hinc Orbis Domina *Domus Auſtriaca*
Geminæ Pietatis inaugurata myſteriis,
E radice traxit ſuccum,
Quem felices ſuxerunt traduces.
Æterno hoc alimento nutrita arbor *Auſtriaca*,
Non poteſt non perennare.
Perge venerari MARIAM felix poſteritas,
Per quam Reges regnant, & Principes
IMPERANT.
Perge adorare DEUM in Pane Euchariſtico, quia
PANIS EUCHARISTIA
Anagrammaticè
PANIS HIC AUSTRIÆ.

Hæc Tibi Magne RUDOLPHE, conditor Magnæ Domûs, Religione maximi Sacramenti initiate ad Imperium, quod ſeri Nepotes eâdem ſtabiliunt Religione. Tu verò

FER-

FERDINANDE TER AUGUSTE

Ignóſce calamo
In TUUM provolanti Elogium;
Privatæ columbæ inſtrumentum eſt,
Non Aquilæ TUÆ:
Temerè infra merita ſcribet, ſed non primus.
Auſtriacis meritis ſola par eſt conſcientia.
Detrahat temeritati infamiam
Affectûs imperium, imperij neceſſitas,
Neceſſitatis debitum.
Injurius TIBI eſt, qui non loquitur, quem loquuntur
Etiam ea, quæ non loquuntur.
TUUM perorat nomen in foro Aulico Viennenſium
COLOSSUS VIRGINEUS:
Et quem Imperantem JUSTITIA adorabat orbis,
Zeloſum PIETATE proclamant ſaxa:
Nondum tamen laudes ſatis explicant.
Sed magnitudo AUSTRIACA non aliter explicatur,
Quàm propriâ Majeſtate.
Nempe tantum jam Fortuna congeſſit in Auſtriacos,
Ut nihil amplius poſſit ingenium;
Tantum ingenium, ut nihil artis induſtria;
Tantum artis induſtria, ut ſuccumbat.
Sed cur TE ſcribam?
Quidquid de Majoribus Tuis ſcripſi, TUUM eſt.
Unum TE exprimunt Elogia Majorum omnium,
Unus omnia exprimis.
Quatuor ſeculis diſperſa per alios,
Paucis annis in TE collegiſti,
Magnorum Virtutum hæres maximus.
Poſt natum Romanum Imperium,
Unius familiæ
Ante TE neminem tot Cæſarum ditavit hæreditas;
Sufficiunt credo in Coronam.
Et glorioſiùs coronari non potes, quàm Majoribus Tuis
Ceu *Stellis Duodecim.*
Marinis alij coronantur gemmis, Tu *Marianis.*
Nihil opus eſt ut aurum eviſceret Occidens,
Ut pretioſa grandinet tempeſtate Oriens:
Et aureos habent mores Majores Tui, & gemmeos.
A TE potius Occidens Theſaurum expetit.

Mittis Hispaniæ MARIANE Cæsar, quod habes pretiosissimum
Imaginem TUAM
MARIANNAM.
Austriacus hic Unio, firma est Unio animorum.
Maternum simul nomen & paternum
Hespero Auroram jungit.
Marianus pater, mater MARIA Anna
MARIÆ ANNÆ.
Constare nimirùm debet Orbi, quis Austriacis post omnes
Illustrior titulus debeatur.
Mortalis Apex potentiæ
Immortalibus tantùm augeri potest incrementis.
Desunt jam terris nomina,
E cœlo petuntur.
Quid non exspectemus ab Austriacis?
Ut habitarent Augustius,
Duos Orbes in unam *Domum* junxerunt:
Ut imperent felicius,
Cœlestem ad se PIETATE attrahunt,
Ex quo sibi fortunatos designant Horoscopos;
PIETAS in MARIAM
Semper fuit felicitatis augurium.
Tibi verò FERDINANDE Cæsar
Virginis sine Macula Conceptæ
Pissime Propugnator
Omen magnitudinis priusquam existeres.
Magnum gignere debuit, quæ nasci non potuit
Nisi festo die
IMMACULATE CONCEPTÆ
Serenissima parens TUA
MARIA ANNA.
Sed majorem TE MARIA Regina Cœli regenuit,
Cùm eodem die jam Juvenem
MARIANA Coronâ Hungariæ
Initiavit ad Imperium.

Sit jam ex Romanorum veteri superstitione Jano bifronti sacer Januarius: at nobis pro Jano sunt gemini Austriadæ Cæsares: *Magnus* ille, hic *Sapiens*: primi ille Habspurgo-Austriaci seculi conditor, hic quarti Coronis. Cujus ille fundamentum molis posuit, hic coronavit. Ornat Sapientia, quod magnitudo molitur. Cælo receptum utrumque confidimus, quia uterque PIETATE & JUSTITIA cælo militavit. Quidni ergo, dum ijs mensem hunc consecramus, consecremus & Mensis dies Cœlitûm nominibus insignitos?

CA-

CALENDIS JANUARII.

S. ADELHARDUS

Abbas Corbeiensis in Gallia.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Lazii, Piespordij, Gebuilheri, &c.

Laz. in Migrat. Piesp. in Stemm. Austriac. Gebuilher. in Epitome.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.	Albericus Dux Mosellanus.
Childericus Rex.	Vaubertus seu Walbertus Dux.
Clodoveus Magnus Rex.	Ansbertus Dux Mosellanus.
Clotharius Magnus Rex.	Arnoaldus Dux Mosellanus.
Sigebertus Rex.	S. Arnulphus Dux Mosellanus.
Childebertus Rex.	Ansegisus Dux Brabantiæ.
Theodobertus Rex.	Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.
Sigebertus Exul, à quo communis opinio derivat Habspurgicos.	Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex	Bernardus Dux
Carolus M. Imperator, à quo Carolingi & Habspurgici, juxta deductiones Prolegomeni Capite XXII. §. V. VI. & IX.	S. ADELHARDUS Abbas.

Nexus II. ad mentem Chifletij, Bucelini, aliorum.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris & Ducis Mosellani.

Arnoldus Dux Mosellanus Marchio ad Scaldim.

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim Dux Mosellanus.

B. Ansegisus M. per conjugem S. Beggam Dux Brabantiæ.

Pipinus Crassus sive Heristallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.	Bernardus Dux Francorum.	
Carolus Magnus Imperator, à quo certa & indubitata serie Carolingi, & ex his Habspurgici.	S. ADELHARDUS Abbas Corbeiæ.	S. BERNARIUS Asceta Lerinensis cum sororibus.

Acta Synoptica.

Paſchaſ. Radbert. in vita. Gerardus Abb. Sylvæ Major. in vita. Hugo Menard. in Martyrol. Molan. in Addit. Uſuardi & Natal. SS. Belgij. Bolland. in Actis ad 1. & 2. Jan. Baron. ad ann. 807. Bucelin. Tom. 2. German. in Monaſt. Corbei. & in Rhet. fol. 169. & in Menol. 2. Jan.

ANni Alpha ſuo obſignat nomine ADELHARDUS, quem non tam Regium genus, quàm egregia virtus ad apicem felicitatis provexit: dignus calcare ſydera, calcato animosè mundo. Primam ætatem ſacravit Muſis, nobilem indolem nobiliori cultura fœcundans, eo etiam Magnus, quòd Magnum Carolum commilitonem habuerit. Hoc deinde faſcibus admoto ſecutus aulam inter Palatinos, ab aulæ tamen vitiis alienus vixit. Palpare neſcius aſſentari non voluit, aſſentiri improbitati non potuit: ideò liberè, ubi alij Sigaliones ſunt, morum Cenſorem egit. Repudiârat Carolus Deſiderij Langobardorum Regis filiam; non inquiro, ſuâne ſponte, an optimatum impulſu, qui ſæpè ſuis emolumentis prætexunt bonum publicum, & dum bonis inhiant, bonos inſectantur. Facinus indignum Rege ADELHARDUS libertate heroicâ execratus, cùm objurgando nil proficit, ne cum Rege & Palatinis delinqueret, derelinquere Palatium ſtatuit. Abdicatis ergo Aulæ inſignibus Corbeiam petiit viginti duntaxat annorum juvenis, ſed maturæ virtutis, quæ uberem illicò meritorum Autumnum protulit. Natus ad ſumma, appetiit officia infima; alacrius ad iſta procurrens, quàm ſoleant ad honores eniti Fortunæ amaſij. Ignis ſuimet proditor eſt, etiam abſconditus; hujus naturam virtus habet, quantumvis operta, in apertum erumpit vel per rimas. Non potuit ita latere ADELHARDUS, quin Famæ præconiis ad ſe alliceret, quos declinaverat. Certatim affluentibus amicis, ſuæ hos expertus inimicos quietis, clam elabitur in Montem Caſinum, locum mutans non animum; ſed traxit poſt ſe ipſius quoq; Regis conſobrini deſideria. Sic ſumus comparati, faſtidimus ſæpè præſentia, quæ ſubducta ex oculis iterum anhelamus. Subſecuti piè profugum Legati Caroli, nec quidquam reluctantem reduxerunt Corbeiam. Nihil tamen ille reſtitutus ſuæ cellæ, de priſtino remiſit fervore. Cellam ſibi jam cœlum fecerat, id tamen non effecerat, ut celaretur. Tenebras ambiens protrahitur in lucem, & dum ad infima devolvitur, attollitur in culmen; quibus ſuberat præeſſe juſſus. Abbas factus tanto carior Carolo, qui omine capto ex nomine, *Abbatem* filio Pipino, alterum *Patrem* dedit. Cúmque ab ejus nutu penderet natus Caroli in Italia ſuſpexit ADELHARDI virtutem Leo Papa III. miratus in uno homine tam diſparia ſociari, ut & Aulicum ageret ſine damno Monachi, & Monachum non negligeret in diſturbiis Aulæ. Redux deinde ad ſuos, ut omnes boni Antiſtitis expleret numeros, hoſpitalitatem ab Apoſtolo commendatam primum ſibi deſignavit ſcopum in quem collinearet; cùm neceſſaria non pateretur deeſſe domeſticis, in extraneos pauperes effudit ſuperflua: uſque adeò in eos propenſus, ut multa ſibi ſubtraheret, quo plura haberet, quæ largiretur. Accidit fortè ut exhauſto in egenos penu domeſtico, quereretur obſonator, omnia per Eleemoſynas diſtracta, ne pulmentum quidem ſuppetere pro Fratribus: ad quem ſubridens ADELHARDUS: *Non turberis Frater; inquirentes enim Dominum, non deficient omni bono.* At ille: *Tu ſemper ita pollicetris; ſed non continuò dabitur, quod indeſinenter effundis.* Non multò poſt oſtendit Numen, quo in pretio haberet Adelhardi fiduciam. Conſtitêre inſperatò antè Cœnobium duo plauſtra per ignotum hominem advecta, alterum caſeis, alterum piſcibus onuſtum. Vocato proinde obſonatori ADELHARDUS: *Vides Frater timentibus Deum nihil deeſſe. Beatus vir*

qui

qui ſperat in eo. Tua nunc incredulitas caſtigatur. Confuſus ille queri deſiit, uſurus deinceps firmiore in DEUM fiducia, in egenos propenſione. Mortuo interim Carolo Imperatore, habenas regni ſuſcepit Ludovicus: novus Princeps, novum regimen, novi aulæ Paraſiti, qui ut ſecuriùs Imperatori illuderent, primis curis cenſuerunt amovendos à Principis latere, qui optima ei ſuaſuri viderentur. Vocatur in invidiam ADELHARDUS, ejúsq; frater WALO tunc aulæ aſſecla, Vir clariſſimus, & juſtitiæ in primis amans: quin & tota ADELHARDI cognatio. Vitium erat placuiſſe Carolo. Omnibus unà imperatur exilium, audito nemine, causâ nullâ productâ. Unicum ingeminatur: *Rex jubet.* ADELHARDUS ad Heri Inſulam Aquitaniæ deportatus ſuam ſecum portavit Corbeiam, quia viro forti omnis tellus patria eſt. WALONI Corbeia obtigit, ubi poſito militiæ cingulo D. Benedicti ſodalibus adſcriptus eſt. BERNARIUS alter frater Lerinum petere juſſus, agnovit non eſſe (ut impij jactant) nullam cœlo de nobis curam. GUNDRADA ſoror, quæ in aula (mirum!) illæſum Virginitatis florem cuſtodierat, Pictavos relegatur ſanctæ Radegundis futura diſcipula. THEODRADA altera ſoror, quæ reddito fructu nuptiali jam vidua, quaſi reliquis innocentior, Sueſſione relinquitur, ubi Sanctimonialibus accenſa, earum poſtmodum Antiſtita fuit. Septennium in Aquitania exegit ADELHARDUS exul mundo, cœlo civis, ſemper ſibi ſimilis, inter homines agens, ſed converſans cum DEO, & Cœlitibus. Mutatâ dein Imperatoris ſententiâ revocatus, non Corbeiæ tantùm recepit gubernacula, ſed ad aulam denuò accitus, multis ſalutem attulit, qui ejus ope ab exilio reducti ſunt; ipſe quoq; Imperator ad publicam agendam pœnitentiam permotus. Moliebatur intereà ADELHARDUS ſæpius ab Aulæ tumultibus & negotiis pedem revocare, & in ſolitaria cella uni DEO ſervire; ſed obſtiterunt, quibus publicum bonum privato potius erat: non ignari quanti interſit ſtipare Cæſaris latus virum, qui molem Imperij ſuccollare, turbata componere, pacem inter Principes conciliare, nec interim privatis Cœnobij curis deeſſe noſſet. Novam exinde in Saxonia Corbeiam condidit, novis è ſuâ in illam deductis colonijs: utramque plantarium effecit ſummorum virorum, qui ad Inſulas evocati, Aquilonares populos Chriſtianæ fidei adjunxerunt. Denique plenus dierum & meritorum, redux aliquando è Saxonia triduo ante natalem Domini febre correptus, cùm nihilominus ſequenti nocte Pſalmodiam de more in Eccleſia peregiſſet, convocatos Fratres de imminente ſuo exceſſu admonuit, ad pacem & concordiam mutuam eos cohortatus de futuris cœpit diſponere. Auditâ ejus ægritudine Hildemannus Epiſcopus Bellovacenſis, qui ex ejus diſciplina prodierat, feſtinus advolavit, & toto octiduo ægrotanti adfuit, ſacrisq; myſteriis communivit. Ultimùm allabente horâ tranſitus ſui Fratres allocutus: *O filij*, inquiebat, *fructus meæ ſenectutis in Domino, explevi numerum; ſcitote quia hodie hinc abibo. Datum eſt mihi ingredi vias carnis univerſæ, & ante conſpectum Redemptoris mei apparere. Finitus eſt curſus certaminis mei: neſcio quid accepturus ſim præmij. Sed ſuccurrite mihi quæſo, ut & ego de vobis, & vos de me poſſitis gaudere in Domino.* Expiravit inter ſingultus & ſuſpiria ſuorum circa horam nonam die 2. Januarij. multis poſt obitum clarus miraculis. Refertur tamen ejus obitus ad ipſas Calendas Januarij à Florario MS. Martyrologio Germanico. Plura de ejus actis apud Bollandum & alios, qui obiiſſe referunt Anno 822. Meruit ſanè cenſeri inter Indigetes, qui tam ſolicitus fuit, ut nemo indigeret.

DIE

DIE II. JANUARII.

S. BERNARIUS

Aſceta Lirinenſis,

FRATER GERMANUS S. ADELHARDI

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA

Eadem eſt quæ ſupra in S. ADELHARDO

Fratro ejus germano.

Acta Synoptica.

Chronic. Lirin. S. Vincent. Salern. Bolland. 2. Jan. in præterm. Bucelin. in Lib. Benedict. & Menolog. ad hanc diem.

NOn uno titulo felix cenſeri debet BERNARIUS. Nam præterquam quòd Illuſtriſſimo enatus genere inter majores numeraverit plures ſanctitate conſpicuos, fratrem etiam habuit Adelhardum, ſorores Gundradam, & Theodradam, omnes per & proſpera communi beatorum privilegio ad eximiæ ſanctitatis apicem provectos. Fraterno exemplo ſummis poſt Cæſares calcatis honoribus atque rejectis, ſanctiſſimam vivendi normam aggreſſus, mirantibus qui virum noverant, in Lirinenſi Cœnobio Crucem Chriſti amplexus eſt; & qui olim gloriâ inter Principes præcellenti emicuit, is mirâ deinceps animi demiſſione, generoſiſſimâq; ſui victoriâ Cæſaream etiam fortunam, & dignitatem longè ſuperavit. Deceſſit feliciſſimâ morte octennio fratri Adelhardo ſuperſtes, in memorato Lirinenſi Archiſterio, quod Inſulam ſanctam nuncupant, tumulatus ſub Annum Chriſti 830.

Eadem DIE II. JANUARII.

B. ODINO

Abbas Rothensis in Suevia.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Ad mentem Hieronymi Henningis.

Henricus Dapifer de Waldburg.

Conradus Dapifer de Waldburg.	Eberhardus Dapifer de Waldpurg.	
S. ODINO Abbas Rothensis.	Henricus Dapifer de Waldpurg.	Fridericus I. Dux Teccensis.
	Joannes Dapifer de Waldburg.	Fridericus II. Dux Teccensis.
	Eberhardus II. Dapifer de Waldpurg, cujus Uxor -	Agnes, cujus Amita etiam dicta Agnes ultima familiæ nupsit Eginoni Comiti Habspurgico.
	Joannes Lib. Baro de Waldpurg, S.R.I. Dapifer. Uxor Elisabetha Comitissa ab Habspurg, filia Joannis Habspurgo-Lauffenburgici.	

Acta Synoptica.

ODINO, quem alij Ottonem, vel Ottenonem appellant, ex Waldpurgi Comitibus ortus Patre Conrado, Matre Gutta Wildenbergica, Ordini Præmonstratensium se addixit, cujus etiam augmento inter prima initia insignem navavit operam, dum quina Cœnobia ex larga piorum beneficentia condidit, Staingadense, Willezinense, Augiense, Lutrense, & Marchthallense. Vitæ integerrimæ tenore illa inter commilitones Elogia meruit: *Piæ & sanctæ conversationis homo, verus Dei cultor, zelator & amator Ordinis solertissimus.* In Rothensi Cœnobio, cui præerat, plus quàm ducentos Clericos & Laicos erudiit, quin & sororum Monialium magno numero DEO servientium curam habuit. Obiit meritis plenus Anno 1182. uti ex Epitaphio ejus colligitur. Bruschius de Monast. Germ. Crus. in Chronic. Aub. Myræ. in Chronic. Præmonstrat. Chrysost. van der Sterre in Natal. SS. Bolland. in Append. Tom. 1. Jan.

Anno milleno ducenteno minus decem & octo
Obiit in Christo Reverendus Pater & Dominus OTTO,
Abbas hujus Cœnobij Truchsess de Waldpurg natus,
Qui suo exemplo reputatur esse beatus.

Agunt de eo Bruschius, Crusius, Aubertus, Chrysostomus van der Sterre, Bollandus, apud quem aliorum etiam testimonio Beatus appellatur.

DIES III. JANUARII.

S. BERTHILIA

Comitissa Hannoniæ.

Ex Majoribus Habspurgicorum.

GENEALOGIA

Nexus I. ex Henninge & aliis.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus à quo Merovingi, & Carolingi, & Habspurgici, juxta Deductiones Cap. XXII. Prolegomeni.

Albericus Dux vel Rex Franciæ Orientalis.

Walbertus sive Vaubertus Hannoniæ Arduennæ & Alsatiæ Comes, secundùm nonnullos frater Ansberti, cui nupta fuit Blithildis filia Clotharij M.

Walbertus II. Comes Hannoniæ, Arduennæ, &c.

Walbertus III. Comes Hannoniæ, &c. Uxor Gertrudis, filia Caroli Tongrorum Ducis.

Walbertus IV. Comes Hannoniæ &c. Obiit Anno 598. Uxor S. BERTHILIA filia Bertharij Regis Thuringiæ, Soror S. Radegundis Reginæ.

Nexus II. ex eodem Henninge.

Bertharius Rex Thuringiæ, ortum habens à Meroveo Rege Francorum.

S. Radegundis Uxor Clotharij M.

S. BERTHILIA Comitissa, Uxor Walberti IV. Com. Hannoniæ.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosollani, à quo certâ serie Carolingi, & ex his Habspurgici derivantur.

Sigebertus Rex Francorum, à quo fortè Habspurgici.

Childebertus Rex Francorum.

Theodobertus Rex Francorum, à quo Lazius, Henninges, Piespordius, & alij deducunt Habspurgicos.

S. Adelgundis V. Malbodiensis.

S. Waldetrudis Uxor S. Vincentij Madelgarij.

Acta Synoptica.

Bucell. in Menol.

TRes invenio hujus nominis Beatas publicâ celebres veneratione. Una est Berthilia Virgo nobili genere nata prima Calensis Abbatissa, cujus memoria agitur die 27. Junij. Altera B. Berthilia vidua B. Guthlandi, quæ marito defuncto vidua sanctè vixit, & condidit Ecclesiam Marcolensem, de qua Bollandus ad hanc diem tertiam Januarij. Tertia est B. BERTHILIA, de qua nunc agimus, Mater sanctarum Aldegundis & Waldetrudis Comitissa Hannoniæ. Quâ die obierit, nondum reperi, idcircò eam in hunc locum reposui, quo altera B. Berthilia, ejus, ut suspicor, cognata colitur. Cùm enim in vita S. Aldegundis nominetur Guthlandus seu Gundelandus sub Clothario Rege Major

Bolland. ad 3. Jan.

Bolland. Tom. 2. Jan. fol. 1036.

jor Domus, & avunculus S. Aldegundis, probabile videtur, quòd idem hic Guthlandus habuerit conjugem B. Berthiliam Mareolenſem, & fuerit frater alterius BERTHILIÆ de qua nunc agimus. Vitam ejus exſpectamus â Bollandi ſocijs, qui ſolum hoc annotavit agens de Walberto ſeu Waldeberto marito: *De ejus ac* B. BERTHILIÆ *Uxoris reliquiis, publicâ veneratione, miraculis alibi agemus.* Fuiſſe verò fœminam DEO ſpecialiter devotam, & proles ſuas in ejus timore educaſſe colligitur ex vitis filiarum. Hucbaldus Monachus in vita S. Aldegundis originem ejus Regiam adſtruit, cùm ait: *In Francia regnante Dagoberto filio Clotharij orta eſt in pago Hainoënſi Virgo Aldegundis ex Regali proſapia, patre Walberto, matre Berthilia.* Ut proinde facilè aſſentiar ſtemmati quod Henninges producit, præſertim cùm etiam avunculus S. Aldegundis Major Domus Regiæ fuiſſe memoretur, quod munus nonniſi ſummæ nobilitatis, & Regij ſanguinis viris conferebatur. Cæterùm licet BERTHILIA principiò filiæ Aldegundis propoſito Virginitatis ſervandæ obſtiterit, illuſtrata tamen deinde inſpiratione divinâ, uſque adeò gaviſa eſt ſe filiam peperiſſe, quæ DEO ſervitura eſſet, ut quas prius tanquam conjugi futuræ opes congeſſerat, ultrò profunderet in Cœnobij dotandi facultates. *Gaudet filia* (inquit Hucbaldus) *matrem ſua Domino tradidiſſe; lætatur mater filiam in maritali copula non ſibi paruiſſe. Sic utrinque lætatur mater de filia, & filia de matre.* Mortuo intereà marito, qui prior votis filiæ annuerat, BERTHILIA quoque ægrotans ad ſe filiam advocat, omnem reſiduam ſubſtantiam illi tradit; aurum, argentum, pretioſa veſtimenta, prædia, villas, reſervatâ ſolum parte, quam in pauperes munificâ donorum DEI diſpenſatione erogaret. Ita matura cœlo, calcato mundo tanſiit ad Superos, in Eccleſia DEI Genitricis penes maritum tumulata. Nunquam proles magis grata ſuis poteſt eſſe parentibus, quàm ſi animas eorum lucrifaciat.

Boll. cit. fol. 1041.

Hucbald. in vita S. Aldegund.

DIES IV. JANUARII.

S. FERREOLUS

Epiſcopus Uzeticenſis M.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ avus vel proavus Odoberti, vel Sigeberti conditoris Habſpurgicorum, juxta dicta cap. XXII. in Prolegom.

Blithildis vel Bilchildis Uxor Ansberti Senatoris, quem aliqui Romanum, alij fratrem Walberti I. Comitis Hannoniæ fuiſſe volunt.

S. FERREOLUS Epiſcopus Ucceiæ vel Uzeticæ.

B. Arnoaldus Marchio ad Scladim.

S. Modericus Epiſcopus Ariſitenſis.

S. Tharſitia Virgo.

S. Arnulphus Marchio.

Anſigiſus vel Anſgiſus Marchio.

Pipinus Heriſtallus vel Craſſus. Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brab.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus M. Imperator, à quo pluribus viis Originatos Habſpurgicos oſtenſum cap. XXII. in Prolegomeno.

Acta Synoptica.

EXſpectantur à ſociis Bollandi promiſſa in ſupplemento Januarij. Interea de vera S. FERREOLI origine indubitatum teſtimonium adferre libet ex antiquis MSS.

Ansbertus qui fuit ex genere Senatorum, præclarus vir atque nobilis, in multis divitiis pollens, accepit filiam Lotharij Regis Francorum ad conjugem, nomine Blithildt, & habuit ex ea filios tres, & filiam unam. Primogenitus ipſius habuit nomen Arnoldus, ſecundus FERREOLUS, tertius Modericus, & Filia ipſius Tarſicia. FERREOLUS quidem Epiſcopus effectus in Ucetia civitate, coronatus eſt Martyrio, ibique quieſcit in pace. Modericus verò in Ariſido Epiſcopus eſt ordinatus, ibique Confeſſor Chriſti requieſcit in pace, ubi DEUS pro ejus meritis multa miracula operatur, &c. Arnoldus primogenitus ipſius genuit Domnum Arnulphum, Domnus Arnulphus genuit Flodulfum & Anſgiſum. Flodulphus divinâ gratiâ annuente Epiſcopus ordinatus eſt. Ansgiſus genuit

nuit Pipinum, Pipinus genuit Karolum, Karolus genuit Domnum Regem Pipinum; Domnus Pipinus Rex genuit Domnum Regem Karolum, &c.

Cum hac Genesi edita à Bollando consentiunt Genealogia S. Arnulphi apud Pithœum, Scipio Duplein, Sammarthani, Chronicon Franco-Saxonicum, Theganus Trevirensis apud Chiffletium, ut taceam Henningen, Lazium, Piespordium, alios. S. Gregorius Turonensis breviter Elogium S. FERREOLI complexus est his verbis:

Bolland. Tom. 1. Jan. f. 1068. Pithœus, Duplein, Samartha. ibi. Thegan. ad an. 813. Chifflet. de matrim. Ansb. fol. 430.

Eo tempore FERREOLUS Ucecensis Episcopus magnæ Virsanctitatis obiit, plenus sapientiâ & intellectu; qui libros aliquos Epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit.

S. Greg. Turon. lib. 6. c. 7.

De Caroli proinde Magni prosapia ex hoc luculento testimonio, nihil amplius dubitare licet, quòd scilicet à Francorum Regibus Merovingis per Blithildem traxerit originem, & ab eadem etiam Habspurgici.

Eadem DIE IV. JANUARII.

S. NEOPHYTA
Virg. & Mart.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Alla Rex Nordthanymbrorum.	Charibertus Rex Pariſiorum.	Sigebertus Rex Auſtraſiæ proavus vel avus primi Comitis Habſpurgici ſecundū dicta. cap. XXII.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Marchiones Moſellanici, deinde Carolingi, & demum Habſpurgici, ut ſupra in S. Ferreolo.
	Adilberga Uxor Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.		

Acca Uxor Ethelfridi Regis.	S. Educinus.	Uxor-Ethelburga.

S. Oſwaldus Rex Nordthanymbrorum.	N. Soror S. Oſwaldi Uxor N.

S. NEOPHYTA V. M.

Acta Synoptica.

Author Vitæ MS. ex Cœnob. Bodec.

Bollan. Tom. 1. Jan. f. 166.

REgali exortam progenie NEOPHYTAM, ſed morum compoſitione nobiliorem laudat vitæ Author Anonymus. Parentum nomina abolevit vetuſtas; mater fuiſſe perhibetur S. Oſwaldi Regis ſoror. A prima ætate divino addicta ſervitio, jam tum cœleſtem ſibi ſponſum præ omni terreno ambiit; Unde à nobili proco in thori ſociam expetita, conſtanter abnuit, quâ in re parentum quoque animus ab eo conjugio prorſus abhorrens, illi ſtimulus fuit ad ſanctè ſervandum propoſitum. At quia omnis ſine rationis imperio amans etiam amens eſt, caſtæ Virginis inſanus amator ad nefandas artes convertitur, vi erepturus, quod liberè negabatur. Jam utriusq; parentis conſenſu Cœnobio ſe abdiderat Virguncula, inter plures ejusdem ſodalitij coævas Deo deſerviens, cùm fortè die quâdam viſitandæ Eccleſiæ causâ cum octo Sodalibus egreſſa extra Urbem, in diſpoſitas clam Proci ſui inſidias incidit. Rapitur novena Virginum, Blanditiis juxta & minis tentatur earum animus, ſed qui jam Deo plenus erat, omnem terrenum faſtidiebat amorem, execrabatur blanditias, ridebat minas. Ergò amor in furorem verſus ferrum expedit, NEOPHYTÆ manus, pedes truncat; & per crudelem lanienam extrudit animam Deo dedicatam. Eadem cæterarum Virginum uti conſtantia, ſic ab impuro Tyranno Victoria, & per vulnera ac glorioſam mortem triumphus. Relicta in campo corpora parentes Virginis collegerunt, quæ vicino S. Stephani Cœnobio illata multis claruerunt miraculis, inde poſtmodum Romam, Româ verò Lymburgum Imperante Conrado Salico translata ſunt, ubi ipſe nobile Cœnobium condidit honori S. Crucis & S. Joannis Evangeliſtæ dicatum. Ex vita in MSS. Cœnobii Bodecenſis apud Bollandum.

Bolland. ad 4. Jan. Cartuſi. Colon.

DIES

DIES V. JANUARII.

S. PHARAILDIS
Virgo.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad Mentem Christiani Massæi.

Christian. Massæi. Chron. lib. 12.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Bolland. ad 5. Jan.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis Opinio deducit Habspurgicos.

Chilpericus Rex Suessionum.

Clotharius II. Rex Francorum.

Dagobertus Magnus Rex Franco.

Clodoveus II. Rex Francorum.

Theodoricus Rex Francorum.

Childebertus II. Rex Francorum.

Theodoricus Dux Lotharingiæ, Uxor S. Amalberga Pipini Ducis ex sorore neptis.

S. PHARAILDIS Virgo.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Moselani, Carolingi, & Habspurgici, serie certâ & indubitatâ.

Nexus II. ad mentem Anonymi Canonici Nussiensis, Bollandi, & aliorum.

Nussien. Auth. Magni Chron. Belg.

Carolomannus Princeps Brabantiæ, Uxor Ermentruda.

Bolland. cit.

Amalberga Uxor Walberti III. Comitis Hannoniæ, aliis Gertrudis dicta.

Walbertus IV. Comes, Uxor S. Bertilia.

S. Amalberga Uxor I. Witgeri Comitis, II. Theodorici Ducis Lotharingi.

S. Embertus Episcopus

S. Reinildis.

S. Gudula, S. Ermenildis, seu Cremelinda.

S. PHARAILDIS.

S. Pipinus de Landis, Uxor Itha Soror S. Modoaldi.

S. Begga, Uxor Ansegisi Ducis Mosellani.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus, à quo Habspurgici.

Acta Synoptica.

Vita S. Pharail. MSS. Cœnob. Germ. Dimonten.

PHARAILDIS, seu Pharäeldis conjunx Virgo, patrem habuisse fertur Theodoricum, quem Author Vitæ Regem Francorum appellat, Mola-

Arnold. Raiſſius in Hierogazophylac. Belg.

Molan. Natal. SS. Belgij.

Bolland. Tom. 1. Jan. ad 4. diem.

Molanus verò Ducem Lotharingiæ filium Childeberti Regis. Verùm Canonicus Nuſſienſis Witgero Comite, ſicut alias proles Amalbergæ, progenitam cenſet. Utut ſeſe res habeat, certè utrinque Habſpurgicos attingit cognatione. Adoleſcentula literis imbuta cum ijs etiam pietatem hauſit, & Virginitatis ſervandæ propoſitum. Nihilominùs ex voluntate parentum conjuncta Viro paris nobilitatis Guidoni primâ nuptiarum nocte DEUM precata, ut illæſa conſervaretur, illicò marito reſtinctum ardorem ſenſit. Prima victoria ſpopondit alias, contra quas dum fruſtrà Guido obnititur longo verberum & convitiorum exercitio, PHARAILDEM erudiit ad patientiam. Illa verò ad ſolitam confugiens orationem, à DEO quidem vires expoſtulat ferendi adverſa, ſed marito divinitùs adverſam valetudinem inflictam videt. Par utrique tunc meritorum materia, fructuoſior tamen PHARAILDI. Nihil illa non acceptum referre DEO, & inter beneficia computare ærumnas, dudum aſſueta. Maritus econtrà diuturno eluctatus morbo ad ingenium reverſus non ante deſiit moleſtus eſſe Virgini conjugi, quàm mors conjugale vinculum diſſolveret. Huic ille prior victima procubuit; PHARAILDIS ſuperſtes conjugi perſolvit inferias, & ſe Virgo viduitatis velo obnubens liberior procurrit ad DEI unius ſervitia. Hinc pauperibus facultates erogare, ægrotis ancillæ præſtare obſequium, in corpore proprio juge contemptus & abnegationis offerre ſacrificium omni contentione ſtuduit. Et cùm viveret inter cruces perpetuas, moreretúrque quotidie, nihilominùs quaſi è morte vitam hauriret, hanc in nonageſimum ætatis annum perduxit. Tandem plena diebus & meritis migravit ad Sponſum ſuum cui ſoli vixit, clara miraculis etiam dum viveret. Mutate vocum proprietatem aſcetæ, & quod mortificationem dicitis, appellate meliori jure vivificationem. Patientes igne adverſitatis examinati, vivunt ut Salamandræ. Natalem hujus Virginis referunt ad diem 4. Januarij Martyrologium Belgicum, Germanicum, Molanus in Additionibus ad Uſuardum, Ghinius Galeſinius. Bollandus. At verò Florarium MS. ad 13. Junij. Nos cum Martyrologio Pariſienſi Bellini ad hanc diem.

Eadem DIE V. JANUARII.

Ven. MARGARITA

Princeps Bavariæ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

Mathildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Albertus I. Auſtriacus Imperator.

Ludovicus IV. Imperator.

Albertus II. Sapiens Dux Auſtriæ.

Stephanus Fibulatus Dux Bavar.

Albertus III. cum Trica Dux Auſtriæ.

Fridericus Landtshutanus Dux Bavariæ.

Albertus IV. Archidux Auſtriæ.

Henricus Dux Bavariæ. Uxor ——— Margarita Auſtriaca.

Ludovicus Dives Dux Bavariæ.

Georgius Dives Dux Bavariæ.

Ven. MARGARITA Princeps Bavariæ.

Acta Synoptica.

SOrtita nomen proaviæ Auſtriacæ MARGARITA, ne vel ab Auſtriacis moribus degeneraret, vel ab etymo nominis abluderet, exoſa res mortales, immortalis ſponſi thalamum affectans, pridie Natalis Deiparæ Anno 1494. Altenhohenaviano Parthenoni, ceu Margarita conchulæ ſuæ ſe incluſit. Ibi ſub Divi Dominici regula cœleſti flammeo velata ad omnem illicò modeſtiam ſe compoſuit, ita ut quo ex altiore ſanguinis faſtigio profecta erat, hoc ad abjectiora munia deſcenderit. Nullum tam humile vel in coquina fuit miniſterium, vel abjectum in triclinio officium, quod non perinde atq; una ex infimæ fortunæ puellis obiret. Ancillabatur omnibus, ab omnibus ut mater religioſiſſima colebatur. Seu levandæ telæ, ſeu lotæ inſolandæ & ſiccandæ, ſeu verrendus pulvis, nihil detrectabat, memor ſe aliquando in pulverem redigendam. In ægras aut ſenio exſangues, aut inopiâ vexatas mirè liberalis, adeóq; effuſa, ut non rarò ipſa eſuriret, ut eſſet unde fame laborantibus largius erogaret. Interim bellum Bavaricum exarſit, quod dum detonaret, ne fulmine illius afflaretur, permiſſu ſupremi in Orbe Antiſtitis Neoburgum conceſſit, ibiq; Anno 1509. Antiſtitam egit. Sed impatiens honoris ultrò ſe magiſtratu abdicavit, ut inter pares cum paribus viveret, omnémq; ſplendorem etiam ſacrum in religioſa veſte abiiceret. Reſignavit Anno 1521. decennio ferè poſteà ſuperſtes. Nam An. 1530. jam matura æternitatis annulo inſerta eſt pretioſa Margarita ipſis Regalibus. Raderus nullum quidem ei titulum tribuit, ſed cùm de ea Tomo II. ubi de Sanctis agitur, tractat, ſatis inſinuat, inter Venerabiles ſaltem cenſeri debere, donec major titulus à ſuperiori poteſtate accedat. Theodorus Rhay ad 7. Januarij reponit ejus Natalem.

Rader. Bavar. ſanct. Tom. 2. fol. 346.

Bruſch, in Monaſt. Neuburg.

Hund. de Monaſt. Bav. in Altenhohen.

MS. Annæ Degenharti. ap. Rader.

Theodo. Rhay. in Animab. illuſtr.

DIES VI. JANUARII.

S. WALBERTUS

Comes, aut Dux Moſellanus.

Maritus S. Bertiliæ, de qua 3. hujus.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. juxta opinionem Henningis.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Albericus Dux Alſaſiæ Moſellanicæ, & Arduennæ. Uxor Argotta filia Theodomiri Regis Gothorum.

Meroveus filius, à quo Merovingi Carolingi, & Habſpurgici.

Walbertus ſive Vaubertus I. Dux Moſellanus. Uxor Lucilla filia Zenonis Imperatoris.

Walbertus II. Dux Moſellanus. Uxor Clothildis filia Amalarici, Regis Gothorum.

Walbertus III. Dux Moſellanus. Uxor Gertrudis (melius Amalberga) filia Caroli Tongrorum Ducis, ſeu Carolomanni Principis Brabantiæ.

S. WALBERTUS IV. Dux Moſellanus Comes Alſatiæ, Arduennæ &c. Uxor S. Bertilia Regiæ ſtirpis.

Nexus II. ex eodem Henninge.

Bertharius Rex Thuringiæ.

Clodoveus I. Chriſtianus Rex Francorum, cujus Uxor ——— S. Radegundis.

S. Bertilia Uxor S. WALBERTI Ducis.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Moſellani Carolingi, & Habſpurgici. ut ſup. die 4. in S. Ferreolo.

S. Aldegundis.

Acta Synoptica.

Henn. P. 1. Germ. fol. 62.

Bolland. Tom 2. Jan. fol. 1036.

VALBERTUM S. Bertiliæ maritum, S. Aldegundis parentem, ſanctum agnoſcunt Henninges, licet Heterodoxus, Bollandus, & quos ipſe allegat ſcriptores vitæ S. Aldegundis ejus filiæ. Prior hæc habet: VAUBERTUS IV. (Walpertum etiam & Gualbertum legi notat Bollandus) *Hannoniæ, Arduennæ & Alſatiæ Comes, Princeps clemens, & manſuetus, obiit Anno* 598. *relatus inter Sanctos.* Bollandus verò de ejus reliquiis, veneratione publica, & cultu ſe alicubi acturum promiſit; præſtabunt haud dubiè ſo-

cij. Nos eum hoc loco intereà reponimus incerti de ejus natali. Anonymus Author vitæ S. Aldegundis hoc illi breve contexit Elogium: Trans Alpes apud nos glorioſus Rex Francorum Dagobertus Regiæ poteſtatis Monarchiam adminiſtrabat, &c. quam decorabat Major Domus, Princeps præcipuus, miles egregius nomine WALBERTUS. Hunc venerabantur Palatini Proceres ut Principem, Principes ut Majorem, Regia Majeſtas ut fidelem. Erat quippe Chriſtianæ Religionis cultor, pauperum Chriſti largus amator, omnium mœrentium pius conſolator: affluebat divitiis & honoribus; videlicet cui ſuppeditabat multimoda, & penè inedicibilis hæreditas à parentibus. His ita præpollens regali ſtemmate claram accepit uxorem nomine Bertiliam. Hæc ille Anonymus. Dabunt alij plura, cùm acta prodierint.

Anon. Vitæ auth. MS. Gislenian.

Eadem DIE VI. JANUARII.

B. WIDEKINDUS

Dux Saxoniæ, & Weſtphaliæ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.



Alios Nexus vide in Carolo Magno, & aliis.

Acta Synoptica.

Eginhard. in Vita Caroli M.

Witichindus Corbeien. lib. 1. Annal.

Annal. Franco. Tillij ap. du Cheſne.

Crantz. Saxon. lib. 1. c. 4. & l. 2. c. 23. & 24.

Georg. Fabric. rerum Saxon. lib. 1. ad an. 80.

Texera Exegeſ. f. 53.

DIuturni belli cum Saxonibus pretium tulit Carolus, cùm WIDEKINDUM Weſtphalorum Ducem Chriſtianæ fidei aſſerit, cum eo Weſtphaliam omnem & Saxoniam. Ceſſavit eſſe frigidum verbum (Chryſoſtomo ſic appellatum) *Meum & Tuum*, quando Widekindus caſtro ſuo in Eccleſiam verſo, inflammatus calore amoris divini, appellavit *Minden* quaſi **Myn dyn**/ ſive **mein**/ **dein**/ Saxonico idiomate, Epiſcopum loco dedit, per quem univerſa gens calcatâ idololatriâ Chriſto ſupplex procubuit. Ferunt WIDEKINDUM fatigatum victoriis tandem Anno 785. victas Carolo dediſſe manus, ſupplicem accurriſſe, baptiſmum (propter quem ſolum gerebat bellum) poſtulaſſe, impetraſſe; & nondum ſatis eruditum, diſſimulato habitu in perſona mendici ad Caroli caſtra delatum, vidiſſe populum ad ſacræ ſynaxeos perceptionem accedere, ſpectaſſe *quod de manu purpurati Sacerdotis ſinguli pulchellum puerum* (verba ſunt Crantzij) *in os ſuſciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, ultrò properare; alios verò abhorrentem avertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum nec redeuntem.* Edoctum poſtea à Carolo grande myſterium, oraſſe ut Sacerdotem divinis operaturum ſibi concederet. Cùm verò Carolus habitationem quoque illi aſſignari debere opponeret, Widekindum *arcem ſuam ad Wiſeram utriusque capacem oſtendiſſe*, locum Eccleſiæ ædificandæ aſſignaſſe: &

hinc

hinc *Eccleſiæ nomen proveniſſe, quod MEUM & TUUM, quaſi communis duorum poſſeſſio ſonat in linguaSaxonum vernacula* **Myn/ dyn.** Plurimum deinceps WIDEKINDUS in Religione profecit, fidem latè propagans, nullo niſi neceſſario cum vicinis bello implicitus, cùm aliena non concupiſceret, ſua pro officio tueretur. Tandem in extrema ſenectute (Fabricio teſte) cum Geroldo Suevorum Duce congreſſus, gravitate armorum fatigatus, in prælio oppetiit, *in templo Mindenſi* fundationis ſuæ *ſepultus; quod cùm Henricus Imperator Valleslebiam non procul à Brema transferret, etiam cineres ejus loco moti ſunt, ac Paderbornæ repoſiti, qua in urbe Divi honore cultus eſt. Diem, menſem, annum obitus, & translationis vetuſtas, locorúmque illorum vaſtitas oblivione obruerunt.* Sic Fabricius. Annum deſignant alij 805. alij 807. ut notat Bollandus, & addit: *Quidam Martyrem vocant, eique ut Martyri dicata olim templa tradunt.* Sanctum appellant Colonienſes Carthuſiani in additionibus Uſuardi, Caniſius in Martyrologio Germanico, Ferrarius in generali Catalogo SS. Wernerus Rolevinck Carthuſianus, qui ante centum quinquaginta annos floruit, hæc habet de WIDEKINDO: *Sequitur deinde* S. WIDEKINDUS, *olim Dux vel Rex illius populi, quem Carolus de ſacro fonte ſuſcepit, & ſalutaribus monitis inſtruxit. Hic deinceps tanto ſtudio priſtinam correxit vitam, ut poſt vitæ exceſſum clareret miraculis. Ejus oſſa in Engers quieſcunt.* Id eſt in Angria ſive Angaria prope Hervordiam. Plura de eo collectanea ſuppeditabit Bollandus, qui ait: *divinâ gratiâ emollitum, ad exoſa prius ſacra complectenda adjeciſſe animum, eo ardore, ut deinceps & pietatis haud vulgarem gloriam vivus, & Divorum poſt mortem honores adeptus ſit.* Ad diem 7. Januarij ipſe repoſuit ejus natalem, nos uno die prævenimus. In additionibus ad Tom. 1. Januarij ex Rolevinckio addit idem Bollandus inſcriptionem arcæ, in qua corpus Beati reconditum eſt, his verſibus:

Boll. To. 1. Jan. fol. 380. & To. 1. Feb. fol. 311. Henning. P. 2. Germ. fol. 3. Werner. Rolev. de morib. Weſtphal. lib. 3. c. 8. Boll. addit. f. 1097.

Oſſa viri fortis cujus ſors neſcia mortis
Iſte locus claudit. EUGE BONE ſpiritus audit:
Omnis mundatur, hunc Regem qui veneratur:
Ægros hic morbis cœli Rex ſanat & Orbis.

DIES VII. JANUARII.

S. CANUTUS

Daniæ Rex Martyr.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA

Nexus I. ex Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus I. Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Juditha Uxor Balduini Ferrei. Comitis Flandriæ.

Balduinus II. Comes Flandriæ.

Arnulphus Pulcher Comes Flandriæ.

Balduinus III. Comes Flandriæ.

Arnulphus II. Comes Flandriæ.

Balduinus IV. Comes Flandriæ.

Balduinus V. Comes Flandriæ. — Eſthrita ſoror Canuti Magni Regis Daniæ Uxor N. Regis.

Robertus Friſius Comes Flandriæ. — Sueno Eſtrithius Rex Daniæ.

Adella nupta S. Canuto Regi M. —— S. CANUTUS Rex Daniæ M.

Nexus II. ad mentem Pieſpordij ex Habſpurgicis.

Ottobertus I. Comes Habſpurgicus.

Beatrix Habſpurgica Uxor Childebrandi Moſellani.

Theodoricus Saxoniæ Gubernator pro Carolo Magno.

Robertus I. Comes Andium.

Robertus II. Comes Andium.

Hugo Magnus Comes Pariſiorum.

Hugo Capetus Rex Francorum.

Robet-

Robertus Pius Rex Francorum.
|
Alexia vel Aliſa Uxor Balduini V. Inſulani Comitis Flandriæ.
|
Robertus Friſius Comes Flandriæ.
|
Adela Uxor S. CANUTI Regis Daniæ M.

Nexus III. ex mente Henningij & aliorum.

Carolus Magnus Imperator.
|
Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.
|
Carolomannus Rex Bavariæ.
|
Arnulphus Imperator.
|
Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.
|
Henricus I. Auceps Imperator.
|
Aleydis Uxor Hugonis Magni Comitis Pariſienſis.
|
Hugo Capetus Rex Franciæ.
|
Robertus Pius Rex Franciæ, & cæteri ſuperiore Nexu.

Lotharius I. Imperator.
|
Lotharius Rex Lotharingiæ, cujus uxor Thietperga, ſecundùm multos Habſpurgica.
|
Hugo Rex Italiæ.
|
Lotharius IV. Rex Italiæ, Uxor Adelheidis filia Rudolphi Regis Burgundiæ, ſecundùm multos Habſpurgici, mater ſaltem Rudolphi fuit Ermentrudis Habſpurgica.

Acta Synoptica.

TRahit aliquid etiam à purpura ſplendoris ſanctitas, tanto illuſtrior quanto rarior inter Reges. CANUTUS Suenonis Eſthritij Danorum Regis filius, fide, pietate, & morum honeſtate conſpicuus, eximiæ ſanctitatis inter aulæ illecebras à teneris annis ſpecimen dedit; rara avis in terris. Regno admotus nihil antiquius habuit, quàm Religioni promovendæ incumbere, Eccleſias augere amplis redditibus, & ſupellectili pretioſa ornare. Tum zelo propugnandæ fidei ſuccenſus Barbara regna aggreſſus devictas nationes Chriſtianæ legi ſubjugavit. Victoriis autem pluribus glorioſus, & divitiis auctus, regale diadema ad Chriſti Crucifixi pedes deponens, ſe & Regnum illi ſubjecit, qui Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium. Corpus aſſiduis jejuniis, ciliciis, flagellis caſtigabat; ſibi aſper aliis benignus, tenax juſtitiæ, in pauperes Regiâ liberalitate profuſus; orationis inſuper ac contemplationis rerum divinarum ſtudioſiſſimus. Talium exercitio virtutum cœlo maturuit, ad quod illi DEUS per Martyrij laureolam aditum patefecit. Invaſerat Angliæ regnum Wilhelmus Normannorum Dux, cujus viribus impares Angli à Danis petiêre ſuppetias. Has CANUTUS decernens, belli expeditionem Olao fratri commiſit, qui (uti ſemper tritico admiſcetur infelix lolium) diſpari prorſus à fratre

Breviar. Rom. Gualter. in Chron. Baron. ad an. 1164. Theodo. Rhay. in Anim. Illuſtr.

fratre ingenio, hanc cupiditati ſuæ regnandi occaſionem nactus, arma vertit in fratrem, militibus & populo in ejus perniciem concitatis. Nec deerant rebellioni fomenta. Cùm enim Rex conditis legibus Decimas perſolvi Eccleſiis, divina ſervari præcepta, transgreſſores puniri ſanxiſſet, exinde ſcelerati homines, & qui ſua, non quæ Dei ſunt quærebant, avaritiæ potiùs quàm bonæ conſcientiæ ſtudioſi, facilè aſſenſum præbuerunt iniqua ſuadenti Olao. Igitur primùm quidem tumultuari, tum plebem commovere, ac tandem ſanctiſſimo ſuo Regi acclamare præpoſterâ affectatæ authoritatis libidine, *Moriatur.* Præſcius itaque Rex futurorum. paratúsq; propter juſtitiam mortem oppetere, ad Eccleſiam S. Albani Martyris tanquâ ad locũ certaminis profectus eſt, & Sacramentis munitus, agonem ſuum Domino commendabat. Adfuit illicò manus conjuratorum, quæ Eccleſiæ ignem admovere, fores perfringere, nec quidquam molita, per feneſtras demum ſaxa, & tela in ſanctum Regem flexis genibus pro inimicis orantem magno impetu conijcere non ceſſavit, donec lapidum & telorum ictibus ſaucius, & demùm lanceâ confoſſus, ante altare extenſis brachiis procumbens glorioſo Martyrio coronatus eſt, novus Abel. Multis deinde miraculis Martyrem ſuum illuſtravit Deus. Nam gravi penuriâ rerum omnium, & diverſis calamitatibus oppreſſa Dania patrati ſacrilegij (an parricidij) pœnas luit. Sed qui vivens cum Chriſto pro percuſſoribus orabat, etiam mortuus ijs contulit beneficia. Plures enim ad ejus tumulum varijs affecti languoribus reperêre medicinam. Nempe nihil adeò proprium eſt bonis Regibus, quàm beneſacere. Adſcribitur hac die Martyrologio Romano, ſed celebratur die 19. hujus menſis, in novo augmento Breviarij. Alicubi etiam die 10. Julij, teſte Bollando.

Bolland. Tom. 1. Jan. f. 390.

Eadem

Eadem DIE VII. JANUARII.

S. CANUTUS

Rex Obotritorum, Dux Sleswicenſis, Martyr.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Hæc eadem eſt cum præcedenti S. Canuti Regis Daniæ, quia S. Canutus Obotritorum Rex & Sleſwicenſium Dux, fuit ex fratre nepos S. Canuti Regis Daniæ, non verò filius, ut aliqui putârunt, quod obſervavit Bollandus. Igitur ſuperiori Geneſi hoc ſolum adde:

Sueno Eſthritius Rex Daniæ.

Nicolaus Rex Daniæ, ex concubina natus.	Ericus Bonus Rex Daniæ.	S. Canutus Rex Daniæ, Martyr. Uxor Adela, Roberti Friſij Comitis Flandriæ filia.
|	|	|
Magnus Tyrannus.	S. CANUTUS Rex Obotritorum & Dux Sleſwicenſis Martyr.	B. Carolus Bonus, Comes Flandriæ, Martyr.

Acta Synoptica.

FOecundiſſimus eſt ager Martyrum. Unum granum plura progenerat. Rarum tamen & penè hactenus inauditum, una in familia tres Martyres; Pater, filius, & ex fratre nepos. Et quidem in patria, quæ tunc nondum plenè Chriſtiana, Chriſtianos deinde plures throno Regio impoſuit, ſed non Catholicos. O Dania, *ſanguis fratris tui clamat*! CANUTUS, de quo agimus, patre natus Erico Bono, Daniæ Rege, patruum habuit S. Canutum ejusdem Daniæ Regem & Martyrem, excluſus regno patrui alterius ê concubina geniti Nicolai potentiâ, cui Ericus Hieroſolymas profectus Regnum & parvulum CANUTUM hæredem commendaverat; minorennis in aula Imperatoris Lotharij educatus, cùm adoleviſſet Jutiæ primum Principatum obtinuit, mox Slavorum & Vandalorum Dux, ac Demum Obotritorum Rex ab Imperatore inveſtitus, cùm jure poſſet repetere paternum regnum, pacis amans, & ſuo contentus, aliud à patruo nihil exegit, quàm parem honorem, quem Rex Regi ultrò deferret. Id verò Nicolai filio Magno jam adulto invidiæ fomitem, & metum injecit; ne Regnum, quod Nicolaus pater vi occupaverat, aliorum Principum auxiliis CANUTUS reciperet. Quare ad nefaria verſus conſilia, innocentem CANUTUM opprimere ſtatuit, futurus in Regno Danico de ſucceſſione ſecurior, ſi æmulum tolleret ê medio. Accedebant matris ambitioſæ mulieris ſtimuli, quamquam Nicolaus gliſcens filij Magni odium conaretur extinguere, & coram Principibus Regni cum nepote amicitiam ſtabilire. Jurata utrinq; fides, à CANUTO ſeria, à Magno, qui lupum ſub ovina pelle texerat, ſubdola. Invitatum enim ad familiare colloquium CANUTUM, ſimulatâ ſuſceptæ peregrinationis pietate, liberos ſuos, uxorem, & rei familiariscuſtodiam

Helmold. in Chron. Slavo. lib. 1. cap. 50.

Saxo Grammat. Dan. lib. 13.

Albert. Crantz. lib. 3. Wandal. cap. 27. & ſeq.

Joan. Magn. lib. 18. cap. 14. hiſt. Gotho.

Baron. in Not. Martyrol. ad 7. Jan.

Werdenhagen rerum Hanſeatic. P. 3. c. 22.

Ranucc. Picus in ſpec. Principum.

Bolland. 7. Jan.

ſtodiam illius fidei commendat, & per Natalitia Servatoris feſta hilarem ſe & amicum hoſpiti exhibet. Roſchildæ agebatur Protaſis Tragœdiæ. Mox recedentem Canutum, & Haralſtadij hoſpitio exceptum ſubſequitur, diſpoſitísq; in proximo nemore inſidiis, per conjuratum Saxonem cantorem iteratò ad nemus CANUTUM evocat, quaſi collocuturus. Ingiburga interim conjunx de inſidiis admonita, celeri nuntio Regem maritum commonefacit, caveret dolos aſtutæ vulpis, paratum capiti excidium declinaret. Sed CANUTUS periclitari potiùs voluit, quàm de jurati amici fide dubius videri. Saxo, qui præmiſſus fuerat, miſertus innocentis Regis, qui in occurſum proditoris ſolis quatuor comitibus aſſumptis properabat, per ſpeciem fallendi temporis cantilenam exorſus de vulgata Grimildæ cujusdam erga fratres perfidiâ, tacitè inſinuabat cavendum Magnum; veſtem inſuper quaſi reduxit fortuitò, & ſe loricâ tectum oſtendit. Sed nihil hæc movebant CANUTUM, tantum fidei de Magno conceperat. Ventum erat ad nemus, ubi in arboris dejectæ trunco ſedentem Magnum reperit, ex equo deſilit, properantem in amplexum & oſculum exhibentem amicè admittit. Tum verò in mutuo amplexu & loricam & loricatum ſub veſte Magnum advertit, & per nemus erumpentes ſatellites circumſpicit. Quid hæc ſibi volunt, porrò interrogat? Nunc, inquit Magnus, de ſucceſſione in regno & rerum ſumma decernendum: ſimul producto gladio in eum involat, & gravi ictu vibrato medium caput Sancto diffidit: corruentem telis, & lanceis ſatellites confecerunt. Hæc cataſtrophe feralis Tragœdiæ acta Anno 1133. Ferunt, eò loci, ubi ſancti Viri ſanguine terra immaduit, ſalubrem ægrotis fontem erupiſſe. Quin etiam dum ſacrum corpus Ryngſtadium ad ſepulturam defertur, & bajuli in via feretrum deponunt quieturi, novo miraculo alterius fontis ſcaturigine ſignatus eſt locus. Poſthumus illi natus filius Waldemari ſortitus eſt nomen, cùm interim variis calamitatibus involveretur Dania, cùm etiam Magnus & parens ejus Nicolaus, divinâ illos perſequente vindictâ, occiſi fuiſſent. Ubi adolevit Waldemarus, regno reſtitutus eſt, & patris jam per plures annos multis miraculis glorioſi ab Alexandro III. Papa Canonizationem obtinuit. Ferrarius Natalem S. CANUTI Ducis retulit ad diem 6. Januarij, Bollandus hac die, & rurſum die 25. Junij, eum coli Sleswici, teſtatur. Acta conſcripſerunt Helmodus triginta annis poſt Sancti cædem, Albertus Abbas Stadenſis, Saxo Grammaticus circa annum 1200. Crantzius, Werdenhagius, & Anonymus, qui Slavorum Chronicon compilavit, Anno 1488. Poſt hos nuper Bollandus fusè; nos brevitatis ſtudio pauca libavimus.

Eadem DIE VII. JANUARII.

B. OTTWINUS

Comes Goritiensis.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. Henningij & Gaudentij Hilarini.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Germaniæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Saxoniæ Ducis.

Baba Uxor Henrici Comitis Conditoris Babenbergæ.

Albertus I. Comes Babenbergicus.

Albertus II. Exul Marchio Austriæ.

Wichburga Uxor B. OTTWINI Comitis Goritiæ.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Emengardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Ducis Alsatiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus Comes Habspurgi, & cæteri usque ad hodiernos recta linea.

Nexus II. ad mentem eorundem.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Germaniæ, & cæteri superiore nexu.

Lotharius I. Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, à quo cæteri Habspurgici ad hodiernos.

Nexus III. ad mentem Hennigij.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.



Fragmentum Geneſeos B. OTTWINI *Comitis Goritiæ.*

B. OTTWINUS Comes Goritiæ Uxor 1. Anonyma. 2. Wichburga filia Marchionis Auſtriæ. 3. Adela Comitiſſa Andecenſis. circa Annum 960.

MS. Gaud. Hilar.

ex primo thoro.					ex 2do.		ex tertio.
Volckmarus Comes.	Hartwicus Epiſcopus Brixinenſis An. 1030.	Volcoldus Levita Fundator Sonnenbergenſis Cœnobij.	Engelbert. I. Comes Goritiæ.	Wichburga Uxor N.	Hilburgis. Bertingunda	Hildegardis.	Chunegundis.
Wilpurgis.				Wichburga.			

Acta Synoptica.

OTTWINUS Goritiæ Comes, incertum quâ ſtirpe genitus, latas in Carinthiam uſque poſſeſſiones habuiſſe fertur. Ex prima conjuge, cujus & nomen, & genus ignoratur, ſuſtulit Engelbertum I. Comitem, Volckmarum Comitem, Hartwicum Comitem, qui poſtmodùm factus Epiſcopus Sabionenſis, Epiſcopatus ſedem Brixinam transtulit laudatiſſimus Præſul, Volcoldũ Eccleſiaſticũ, qui ad Levitæ ſolum munus ordinatus ê patrimonio ſuo in Tyroli nobile Virginũ Cœnobiũ Sonnenbergenſe condidit, & Wichburgam, quæ juncta marito incertæ ſtirpis filiam cognominem Wichburgam edidit in Sonnenbergenſi Cœnobio Monialem. Ex altero thoro, ut tradunt Gaudentius, & Richardus, natæ ſunt illi filiæ, Hildegardis, Hilpurgis, & Bertingunda, ex tertio Chunegundis. Veroſimilius videtur Wichburgam ê ſecundo potiùs, quàm primo thoro progenitam, ob nominis affinitatem cum matre. Hanc Henninges primam Abbatiſſam Sonnenbergenſem appellat, Bucellinus verò Wilpurgem ex Volcoldi fratre haud dubiè Engelberto neptem, quod credibilius eſt. Cum ſecunda Conjuge Wichburga fundavit Ottwinus in Carin-

Gaud. Hilar.

Henning. P. 1. fol. 53.

Bucel. To. 1. German. in Monaſt.

Reichard. in Breviar. Chron. Carinth. f. 176.

thia

thia Virginibus Benedictinis Cœnobium Langſee, in quo primam Antiſtitam egit filia Hildegardis, eam ſubſecuta in regimine germana ſoror Hilpurgis, & demum tertia ſoror Bertingunda. Conditum eſſe oportet illud Cœnobium circa annum 975. poſt quem Wichburga uxor non diu ſuperſtes locum ceſſit tertiæ conjugi, quam OTTWINUS ſibi ſociavit ex Andecenſium Comitum familia Adulam, vel Adelam filiam Aribonis I. neptem Friderici. Hæc illi unicam filiolam Chunegundam enixa, lubens in mariti vota conſenſit, ut poſt anni lapſum ſeceſſione factâ, uterq; conjunx ſolitarium vitæ genus amplexus ea ſolùm curaret, quæ Dei ſunt. OTTWINUS ſacris Palæſtinæ locis, & Apoſtolorum liminibus Romæ viſitatis, in patriam redux vicinum Parthenoni Langſeenſi montem adiit, qui adhuc ab eo nomen habet, ibique aſperrimo vitæ genere ſoli Deo vacare cæpit. Terra illi lectum, panis & is parcus obſonium, fons potum præbuit. Totos hoc tenore ſeptendecim annos exegit, & demum dives meritis cælo animam, corporis exuvias Cœnobij à ſe fundati ſacrario relinquens, Adulam pridem viduam ad piæ æmulationis ſtudium animavit. Aſſervatur adhuc inter ſacram ſupellectilem dicti Parthenonis Scipio ligneus pyrei coloris, ſeptendecim inciſuris exactæ vitæ eremiticæ annos ſignantibus notatus, & ſupernè argenteo globulo exornatus: pileolus item capitis dolores arcere potens; concha argentea umbilico laxior, ſupernè in ſtrictiorem reducta orbem, auro modico illita cum ſimili operculo; & demum cochlear nigræ cujuspiam ſolidæq; materiæ ſtriis argenteis interſuſum, quæ ante cœptam ſolitariam vitam potiùs, quàm in cella eremitica ab illo uſurpata crediderim. Veteres Cœnobij membranæ teſtantur, pluribus ægris ope B. OTTWINI redditam ſanitatem, ſurdis auditum, claudis greſſum: quin etiam tres infantes mortuos in vitam revocatos, cùm tumulo ejus fuiſſent impoſiti. Econtrà avara cujusdam Ludimoderatoris manus, cum ſceleris comitibus, auſa tumulum Beati recludere, & opes quærere, unde opem ſperare oportuiſſet, temeritatem facinoris divinâ ultione luit, & mortem ſepulchri violatori conſcivit. Ita Deus ſuos etiam poſt mortem tutari ſolet. Memoria natalis ejus hac die 7. Januarij recurrit, nondum tamen ſacris colitur honoribus.

DIES

DIES VIII. JANUARII.

S. GUDULA

Virgo.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

Amalberga Uxor Walberti Comitis.

S. Amalberga Uxor Witgeri Comitis Brabantiæ.

S. GUDULA Virgo.

B. Pipinus de Landis, Uxor N. ſoror S. Modoaldi Archiep. Trevirenſ.

S. Begga Uxor Anſegiſi Ducis Moſellani.

Pipinus Heriſtallus Dux.

Carolus Martellus Dux.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo Habſpurgici, ut ſup. cap. XXII. Prolegom.

Alios nexus petere licet aliunde, ubi de S. Pharailde die 5. Januarij, de S. Begga. S. Emeberto. S Amalberga &c.

Acta Synoptica.

Hubert. in vita. Franc. Haræus. Zachar. Lippeloo. Laurent. Surius. Pet. Ribadenei. Henric. Adriani. Henric. Fabric. Herib. Roſweyd. Clemens Marchant. Jacobus Doublet Guiliel. Gazæn. Sylvanus Razzi.

SUccum radicis thyrſi attrahunt, ſancti parentes quid mirum ſi gignant Sanctos: mirum potiùs, ſæpè degenerare in noxas, quos heroes progenerant. GUDULA Sanctorum germen, Sanctorum neptis, Sanctorum ſoror, dubium reliquit eorúmne ſanctitatem æmulata ſit, an tranſcenderit. Nihil in ea non eximium. Partus ipſe ſignatus prodigio, dum ſollicitæ matri, ne fortè prolem ederet degenerem, adſtitit ê cælo nuntius, qui ſecuram redderet de fœtu divinis jam tunc deſtinato ſervitiis. Edita in lucem Virgunculà ê ſacro fonte levatur à cognata ſancta Gertrude, cujus etiam diſciplinæ in Nivigellenſi Virginio cùm adoleſceret commendata, polliceri cœpit in flore, quos fructus adultior eſſet editura. Evocatâ verò ad ſuperos magiſtrâ ſuâ Gertrude, ad parentes rediit GUDULA, eo tamen fervens ſpiritu, qui non facilè tepeſceret. Creſcebat cum ætate prudentia, cum prudentia terrenorum faſtidium, & mundi contemptus, cum mundi contemptu amor DEO placendi, qui in omnem partem ingenioſus ea ſuggeſſit Virgini, quæ obſtupeſcat poſteritas, non facilè imitetur. Diem nocti conjungere orationibus & contemplatione rerum divinarum, à paterna domo ſecedere, & ſacras ædes inviſere unicâ comitante ancillâ, jejuniis totos dies tranſigere, ſolius DEI anhelare conſortium, id jam illi penè in naturam tranſierat, ut quantùm per hæc DEO efficeretur amabilis, tantùm hoſti humani generis diſpliceret. Sed nacta adjutorem fortem,

tem, contempſit imbellem adverſarium, cui aliud conceſſum non eſſet, quàm lumen extinguere uno reaccendendum ſuſpirio. Ibat de more GUDULA obſcuræ noctis ſilentio ê domo paterna ad remotam Salvatoris ædem, præferente ancillâ lucentem laternulam, hanc adortus hoſtis (nihil enim in Virginem potuit) ſufflavit lumen, & illicò impetrat, ardens divino nutu candela viam iterùm monſtrat confuſo rectore tenebrarum. Prociduæ aliàs ante aram in templo, & orationibus intentæ obſervat Sacerdos calceos exſciſsâ conſulto ſoleâ, quò & pedes aſperitate viæ dolorem perſentiſcerent, & tamen fallerentur videntes quaſi calceatam, & virtus ſoli DEO nota eſſet. Miſertus ergò tenellæ Virgunculæ chirothecas ſibi detractas virgineis applicat pedibus. Id ubi Virgo ſenſit, arreptas molitur abijcere. Sed en mirum ſanctitatis teſtimonium: abjectæ Virginis manu chirothecæ, quaſi dedignarentur terram contingere, quæ tam ſanctas attigiſſent manus, per horæ ſpatium hærent in aëre, nullo niſi virtutis divinæ fulcro ſubnixæ. Puerum novennem ab utero contractum, incurvum & elinguem, ſolo amplexu Virginis factum eloquentem, rectum, & uſu expedito pedum donatum; leproſos curatos, alia miranda per hoc divinæ virtutis inſtrumentum Virgineum patrata narrent alij. Id nobis ſuffecerit ad conteſtandam inſignem GUDULÆ ſanctitatem, quòd ad ejus tumulum eodem die, quo illatum eſt ſacrum pignus, arbor populus excreverit, quæ ſenſim in ramos ampliſſimos diffuſa, etiam poſt annos plures corpus Virginis translatum miraculo ſubſecuta, alibi ſtare noluerit, quàm pone ſacra lipſana. Verè mirabilis DEUS in Sanctis ſuis! Obiit ſancta Virgo circa Annum 712. translata ex Hanpago temporibus Caroli Magni, Morzellam; inde Capræmontem; poſtmodùm Bruxellam à Carolo Duce Brabantiæ Ludovici Transmarini Francorum Regis filio, ac tandem Anno 1047. à Lamberto Baldrico Duce in novum S. Michaëlis fanum, quod nunc S. GUDULÆ dicitur in eadem Urbe Bruxella, ubi feſtivis honoribus, & maximâ populi frequentiâ quotannis die 8. Januarij honoratur.

Jo. Bolland. To. 1. Jan. Gualt. in Chron. Gab. Bucel. in Menol.

DIES

DIES IX. JANUARII.

B. BEATRIX

Marchioniſſa Styriæ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Pieſpordij, Henningij, Lazij, Guillimanni.

Ehrentrudis Habſpurgica filia Luitfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurenſis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ Jurenſis.

Conradus Rex Burgundiæ Jurenſis.

Herburga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Limpurgis, aliàs Luitpirga, Uxor Marquardi Comitis in Avelanez, & Muertzthall, Ducis Carinthiæ.

Henricus Marchio Styriæ, & defunctis fratribus Dux Carinthiæ.

B. BEATRIX Marchioniſſa, quam Henninges Henrico filiam tribuit, non ſororem.

Luitholdus Dux Carinthiæ, poſt patrem.

Nexus II. ad mentem Jo. Jacobi Chiffletij.

Carolus Magnus Imperator.

Hugo Abbas Dux Burgundiæ.

Adelheidis Uxor Conradi Senioris, Ducis Burgundiæ.

Conradus Junior Dux Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus ſimplex Rex.

Ludovicus Tranſmarinus Rex.

Conra-

Conradus Rex Burgundiæ.

Gerburga Uxor Hermani Sueviæ Ducis.

Gisala Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Limpurgis Uxor Marquardi Ducis Carinthiæ.

B. BEATRIX.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermengardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadroidis Uxor Gerardi Ducis Alsatiæ.

Itha Uxor Rapatonis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgi, & cæteri usque ad hodiernos Comites Habspurgi Archiduces, recta linea masculina non interrupta.

Acta Synoptica.

BEATRIX incertum filiáne an soror fuerit Henrici Ducis Carinthiæ, (alterutrum verum est) qui priusquam Carinthiæ Dux inauguraretur, Marchionatu Tauriscíæ sive Styriæ potitus est. Ad nubiles annos cùm perveniisset, maritum sibi parem nacta, cujus nomen excidit, ex eo unici filioli mater, tumulato marito pariter & filio, in Ecclesia Styriæ Hoff nuncupata, omnem substantiam suam piâ prodigalitate in egenos effudit, & ingenti animo stipem ostiatim deinceps colligere non erubuit; cellæ propè Ecclesiam constructæ per plures annos inquilina. Non caruit tam heroica animi demissio gravissimo sæpè insultu, & irrisione, præsertim fratris & cognatorum. Verùm illa de humanis judiciis nihil solicita, unum cœli formidans judicium, nullam sibi passa est moram injici. Sed & DEUS, quàm gratum sibi esset BEATRICIS obsequium, miro eventu comprobavit. Fortè enim ferenti collecta ostiatim panis frustula obvius factus Henricus frater, quid portaret torvo vultu interrogabat; respondit illa: floseulos decerptos; & explicato sinu pro crustulis apparuerunt flores, quos frater intuitus obstupuit, & in sorore illibatæ vitæ ac virtutis florem suspiciens, molestus deinceps sancto proposito esse desiit. Sacros ejus cineres Hoffensis Styriæ Ecclesia adhuc habet in pretio. Quo die cælos petierit, & an publico aliquo cultu venerationem habeat, nondum mihi compertum est. Beatam scripsit nuperus Author. Ætatem ejus retulerim verosimiliter ad annum 1090. quo Henricus frater Dux Carinthiæ creditur inauguratus. Hanc illi diem in aliorum defectu assignare placuit, donec certum rescíscere liceat natalem.

Reichard. in Brev. Chronol. Carinth.

Eadem DIE IX. JANUARII.

B. URRACA ARRAGONICA

Sanctimonialis.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA & ACTA.

Bucel. Menol. Benedict. ad diem 9. Januar.

Chryſoſt. Henriq.

Philipp. Segnim.

Sciopp. in Orig. Reg. Aragon.

Pallavic. in Maria-Anna.

Chifflet. in Lumin.

Jo. Jac. Fugger in Spec. fol. 1212.

FUit hæc Aragonum Regum ſanguine Illuſtriſſima, teſte Bucelino, nupta Roderico Rodriquez præpotenti viro, à cujus morte abjectâ ſecularium veſtium pompâ in ſuo, quem Magnæ Matris unicæ Tutelaris ſuæ Deiparæ honori condiderat, Parthenone B. M. V. de Barris, aliàs de Avia, Palentinæ Diœceſis, Ordinem Ciſtertienſem amplexa, in eo omnium virtutum perfectione enituit. Cujus filia fuerit nondum deprehendi: illud certum, Aragonios Reges & à ſanguine Carolino ſtemma ſuum deducere, & Habſpurgicis non ſemel ſanguinem immiſcuiſſe, uti latè oſtendunt Scioppius, Hortenſius, Pallavicinus, Chiffletius, & nos alibi. Diem ejus natalem cum titulo Beatæ in hanc diem retulit Bucelinus. Si divinare licet, fuerit filia Alphonſi Pugnacis Regis Aragoniæ, ex Viraca Alphonſi VI. Fortis & Iſabellâ Franciæ Philippo Primo Rege progeniti filia, adeóque eodem jure, quo plures Franciæ Reges, in hunc ſyllabum referenda.

DIES X. JANUARII.

S. SETHRIDA V.

Abbatissa Brigensis.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo juxta Lazium, Henningem, Piespordium, Trithemium, alios, ortum habent Comites Habspurgici.

Charibertus Rex Parisiorum.
|
Adilberga Uxor Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.
|
Ethelburga Uxor S. Edwini Regis.
|
Osfridus Rex Anglo-Saxonum.
|
S. Hereswida Uxor N.
|
S. SETHRIDA Virgo Abbatissa Brigensis.

Blithildis Uxor Aneberti Senatoris, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici, indubitatâ serie.

Acta Synoptica.

MOnasterium Brigense in Gallia, dictum etiam Pharense à S. Phara seu Burgundophora, situm est in Provincia Bria, Diœcesis Meldensis, ad quod multæ exteræ Virgines Regij sanguinis olim se recipiebant, teste Ven. Beda, qui ait: Eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conversationis gratiâ Francorum Monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas, ac Sponso cœlesti copulandas mittebant &c. inter quas erat Sedredo filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum, & filia naturalis ejusdem Regis Edelburg. Utraq; cùm esset peregrina, pro merito virtutum ejusdem Monasterij Brigensis est Abbatissa constituta. Hic ergo SETHRIDA (ut loquitur cum Saussago Bucelinus) post Angelicæ vitæ in terris decursum, ad sanctissimarum Virginum cœleste consortium migravit. Refertur ejus natalis ad hanc diem à Ferrario, Saussago, Bucelino, Bollando.

Beda hist. Angl. lib. 3. cap. 8.

Saussag. in suppl. Martyrolog.

Ferrar. in Martyr.

Bucel. in Menol.

Bolland. Act. To. 1. Jan. ad diem 10.

DIE XI. JANUARII.

S. EGWINUS

Epiſcopus Wigornienſis in Anglia.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. Communis.

Clotharius Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à qua certâ & indubitatâ ſerie Carolingi & Habſpurgici.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Erdwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Evombertus Rex Cantiorum.

Ermenilda Uxor Wulpheri Regis Merciorum.

Kenredus Rex Merciorum, Uxor N. Soror S. EGWINI Epiſcopi.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo Lazius, Henninges, Pieſpordius, & alij deducunt Habſpurgicos.

Nexus II. ad mentem Bucelini & Chiffletij.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Berſuindes Uxor Attici, Ducis Alemanniæ, & Alſatiæ.

Etho Comes Briſiaæ.

Albericus Comes Liberthall:

Ottopertus adoptatus ab Hiltrude Habſpurgica, author Habſpurgicorum.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum, & cæteri ſupra relati.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

Arnoaldus Marchio ad Scaldin, & cæteri alibi relati uſque ad Carolingos, à quibus alia via Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Franciſc. Godwin. in Vita. ex MSS.

REgium EGWINI genus nimis genericè expreſſerunt Scriptores. Vetus MSS. apud Franciſcum Godwinum, illis verbis: *Kenred affinis Eduvini dedit ei 48. manſos in ambitu loci qui Cotham dicitur.* Affinitatem

tatem ſolam indicat. In vita Sancti, cujus primus Author fuiſſe creditur S. Brithwaldus Archiepiſcopus Cantuarienſis, diſertis verbis dicitur *regali ex proſapia ortu.* Hanc in Synopſim contractam Bucelini ferè calamo damus, aliis intenti. EGWINUS igitur regali ortus proſapiâ purpuram cum habitu Monachi in Wigornienſi cœnobio mutans, ob ſanctitatis & eruditionis celebrem famam, invitus licet ad Epiſcopi munus adnitente Rege, imò rogante & cogente, aſſumptus eſt. Admirabilis Matris Virginis ſtudioſior ſingularem ejusdem favorem & alloquium meruit, cujus juſſu celebre illud Evesheimenſe Cœnobium condidit, illudq; magnæ Imperatricis honori conſecravit, quod ipſa gratioſum admodùm ſibi fore affirmavit. De ejus in Deiparam affectu ita vetuſtus Vitæ auctor: *Beatiſſimam MARIAM Domini noſtri JESU Chriſti genitricem, toto affectu, & ſpiritu, toto corde & amore complectebatur, ut nunquam à memoria ejus excideret, nunquam in verbis ejus deeſſet. Cujus viſitatione DEI ſervus ſæpè recreatus, omnia quæ mundi erant omittebat, & ea quæ DEI erant indeſinenter exercebat, miſeris condolebat, pauperes recreabat, eſurientes paſcebat, & cætera pietatis opera indeſinenter adimplebat, &c.* A morte viſus ſemel atque iterùm Deiparam inter multitudinem cæleſtium ad ſui Cœnobij templum deducere, & coram ipſa poſt decantatas preces matutinas ſacris ſolenniter operari: ut eum non minùs ac Ildephonſum Sacellanum Virginis ſuſpicias ac venereris. Sabbathum MARIÆ ſacrum, quo affectu ſit proſecutus, etiam poſt mortem teſtari voluit. Nam ut vitæ ſcriptor allegatus inquit: *Omni ferè die Sabbathi, aliquâ infirmitate vel moleſtiâ detentus, gratam per ipſum medelam æger quispiam reportare meretur, &c.* Delictorum juventutis pœnitentiâ ductus perpetuis pedes damnavit compedibus, & ſera appoſita revinxit, non antè deponendis, quàm claves in amnem abjectas reperiret, eóque ſigno miſericordiâ Numinis remiſſa delicta intelligeret. Eo habitu Romam profectus, dum per mare viam relegit, inſiliens ê pelago in navem piſcis, & exenteratus â nautis, in jecore clavem retulit, & vinctum Domini â metu iræ abſolvit. Mortuus eſt lectiſſimus Pontifex Anno 712. cùm ſanctitatis ejus fama Angliam, imò Orbem impleſſet; feliciſſimus â morte afflictorum & ægrorum auxiliator, vindex autem acerrimus eorum, qui rebus ſui Monaſterij inhiaſſent. Horum quidam agri colonus, cùm agrum quendam Cœnobij pro ſuo uſurparet, & jure ſe poſſidere juraturus ſupra Sancti reliquias manum extenderet, falce quam manu geſtabat, occultâ vi cerebro illisâ, mortuus corruit, & ſacrilegium triſtiſſimo exitu luit. Alius ætate & barbâ prolixâ gravis, ſimilis uſurpationis reus, cùm barbam manu prehendens juraret: *Per iſtam barbam, mea eſt terra, & ego eam jure poſſideo hæreditario*; cum dicto divinam ſenſit ultionem. Nam barba illicò mento & manu excidit, non tam ridiculo, quàm metuendo ſupplicio, quia futuri præſago. Obiiſſe traditur Calendis Januarij in vita apud Godwinum; at Galeſinius, Molanus, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus, Bollandus tertio Idus Januarij eum reponunt.

S. Brithwald. in vita.
Bucel. in Menol. die 11. Jan.
Balinghem. in Ephemer. Mar. Galeſin.
Martyrol. Molan. Addit. ad Uſuard. Wilhelm. Malmesbur. lib. 4. de geſt. Pont Angl.
Weſtmonaſt. ad an. Chriſti, 712. Florent.
Wigorn. ad An. 708.
Ranulph. Ceſtren. lib. 5. c. 23.
Harpsfeld. ſec. 8. cap. 15. & 18.
Wion. in lign. Vitæ.
Menard. Menol.
Bucel. Menol.
Bolland To. 1. Jan. ad diem 11.

DIES XII. JANUARII.

Venerab. ANGILBERGA

Imperatrix.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus M. Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperat.		Ludovicus Rex German.	Carolus Calvus Imperator.
Ermingarda Uxor Ragneri, Ducis Lotharingiæ.	Ludovicus II. Imperator, cujus Uxor -	Ven. ANGILBERTHA seu Ingelberga.	Ludovicus Balbus Imperat.
Bertha Uxor Ludhardi Comitis Habspurgici à quo cæteri ad Radepotonem.			Carolus Simplex Rex, cujus atneptis Itha Lotharinga, Uxor Radepotonis Habspurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Alios Nexus vide supra in Prolegom. cap. XXII. §. 4. 5. & 6.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menolog. ad diem 12. Jan.

Felix Passar.

Pet. de Ripa-alta.

Leo Ostiens.

Aimoinus &c.

ANGILBERGA, quam alij Ingelbergam, & Ingelbertam appellant, filia Ludovici Regis Germaniæ, Uxor Ludovici II. Imperatoris, innocens à marito repudiata, in condito à se Resurrectionis Cœnobio Placentiæ usq; ad obitum mariti Angelicam duxit vitam. Illo mortuo, sanctimonialium habitum suscepit, & tantis virtutibus emicuit, ut biennio pòst Abbatissa ejus loci eligeretur: inde verò post novennium ad Brixienses S. Juliæ Cœnobij regimen expetita, præfuit summa cum vigilantia annis pluribus, generosissimi animi, summæ demissionis, & mirandæ patientiæ æternum exemplar. Extant ad eam plures Epistolæ Joannis Papæ VIII. quibus insignis ejus patientia, & virtus laudatur ac confirmatur, & gravissimis injuriis, exilio, & ærumnis, quibus à Carolo III. Imperatore indignè tractata & exercitata est, superatis, transiit ex hac lacrymarum valle ad Superos Anno 915. cùm Cœnobio Brixiensi annis 29. religiosissimè præfuisset. Memoriam ejus ad hanc diem reposuit Bucelinus. Agunt de ea Felix Passarus. Petrus de Ripa alta. Leo Ostiensis, & alij. In Menologio Bucelini videtur errore Typographi positum, quod INGELBERGA Cœnobio Placentino annis 38. Brixiensi 29. præfuerit, cùm in vita dicatur è Placentino Cœnobio post novennium evocata. Et incredibile esset, eam tot annis vixisse, ut 67. annis Abbatissæ munere fungeretur.

DIE XIII. JANUARII.

B. GODEFRIDUS

Cappenbergensis Comes, Ordinis Præmonstratensis.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Sammarthanorum & aliorum.

Sammartha apud Bolland.

Pipinus Rex Francorum, Uxor Bertha filia Heraclij Imperatoris.

Carolus Magnus Imperator, & Carolingi, à quibus Habspurgici.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.

Ermingarda. Uxor Ragneri, Magni Ducis Lotharingiæ.

Bertha, Uxor Luithardi, Comitis Habspurgici, à quo cæteri ad hodiernos rectâ lineâ.

Carolomannus Rex Austrasiæ, & Suessionum, Uxor Bertha Bavarica.

Imetza (alij etiam Bertha) Uxor Widekindi II. Ducis Saxoniæ. Ex his post aliquot generationes

Hermannus I. Comes Cappenbergæ, Uxor Gerbirga de Huneburg.

Godefridus Comes de Cappenberg, Uxor Beatrix ex Suevia.

B. GODEFRIDUS Comes Cappenbergæ.

Acta Synoptica.

ANtiqui possessores Cappenbergensis castri (ut loquitur Vitæ Author) de Magni Caroli & Widekindi Regis progenie, per Imetzam, quæ Xanctis quiescit, descendisse traduntur. Incertum tamen est, quâ serie Sunt, qui sorore Caroli Magni natam Imetzam velint. Sammarthani, quibus nunc subscribimus, ex Ponto Thiardæo, tradunt Bertham Carolomanni Suessionum Regis filiam à patruo Carolo Magno Regi aut Duci Saxonum Widekindo, post initam concordiam fidémq; Christi susceptam, in conjugium datam fuisse. Utut ista se habeant; illud certum, ex Widekindi progenie ortos Cappenbergenses, & illos non minùs in Carolinum sauguinem influxisse, quàm Habspurgicos. Nam Widekindi filiorum alter Wigbertus Brunonem Saxoniæ Ducem genuit, Bruno Ludolphum, hic verò Ottonem Magnum Ducem, cujus thoro conjuncta Hedwigis Arnulphi Imperatoris filia, aliâ viâ ex Carolingis descendentis, à quibus etiam sæpiùs ostendimus fluxisse Habspurgicos, satis roborat stemma Cappenbergicum non tantùm Carolingis, sed etiam Habspurgicis insertum. Jure igitur & B. GODEFRIDUS in horum censum venit, cujus actorum summarium ex Brunnero hic apponimus. Duxit igitur GODEFRIDUS Cappenbergensis Comes genus suum ê Regio sanguine. Prædantium suorum militum licentiam, si quisquam alius, frænavit, gnarus militum prædam Ducis esse furtum. Arcem suam in Cœnobium vertit, & D. Norberti fami-

Auth. Anon. Canonic. Cappenb.

Christophorus Pilckman.

Abb. Steinfeld.

Joan. Pagius Theol.

Mosander.

Haræus.

And. Brunner in Fastis.

Bolland. To. 1. Jan.

familiæ tranſcripſit cum omnibus fortunis, quibus præclarum auctarium unà cum fratre Ottone ipſe acceſſit. Viderunt hoc multò antè in ſomnis illi, qui de Cappenbergenſi arce, vel columnam flammantem, vel civitatem nive nitidiorem in cælum viderunt aſſurgere. Et verò multa, quò moram tam ſanctis conſiliis iniiceret, molitus eſt cognatus ſanguis, nunquam non Deo hæreditatem invidens: ſed ille uti alia humana omnia, ita hæc etiam inſuper habuit, Conjugéq; inter ſanctimoniales relatâ, Norberti inſtitutum avidiſſimè arripuit. In hoc acerrimus ſui hoſtis, & glorioſiſſimus victor, vix quidquam cibi ſumere eſt viſus, tantùm lacrymis inebriari. Cœli cupidiſſimus miſſionem corporis accepit Anno 1136. cùm moriturus illa audiſſet: Exite obviam ei, & venientem è cœlo comitatum amiciſſimè ſalvere juſſiſſet. Secundùm mortem nepti ſuæ multâ luce veſtitum, & corona conſpicuum ſe oſtendit, quæ illa legentibus loquebatur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & tanquam ſponſum decoravit me coronâ.* Pulchrè certè honorum cupidos alta conſcendere Godefridus docet, Comitem abjecit, ut Rex eſſet. Sanctum appellat Brunnerus, Beatum alij, quia nondum Canonizatum.

DIE

DIE XIV. JANUARII.

S. FULGENTIUS

Epiſcopus Aſtigitanus & Carthaginenſis.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Severianus filius Theodorici Regis Oſtro-Gothorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, Proavus vel Avus Ottoberti I. Comitis Habſpurgici.

Theodoſia Uxor Leovigildi Regis Gothorum in Hiſpania.

S. FULGENTIUS Epiſcopus Aſtigitanus.

Pieſp. tab. 2. Chifflet. in lumin. Prærogat. fol. 351.

Childebertus Rex.

Ingunda Uxor - - - S. Hermenigildus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

NAtus eſt FULGENTIUS Severiano Carthaginis in Hiſpaniâ Duce, Theodorici Gothorum Regis filio, Theodora vel Theodoſia matre, quam aliqui Theodorico Regi filiam tribuunt, & Severianum maritum alterius ſtirpis arbitrantur. Adoleſcens in Etherij Epiſcopi Baſtitani diſciplinam conceſſit, ab eo non tam linguarum varietate, quàm ſacrâ doctrinâ impensè eruditus, quod opera ejus poſteritati transmiſſa abundè atteſtantur. Par erat eruditioni zelus animi, quo ad propugnanda Catholicæ Religionis dogmata ferebatur, aſſidui cum Arrianis conflictus, quorum errores confutabat. Et hoc exul à patria. Mortuo Leuvigildo, & reſtitutâ pace Eccleſiæ, reverſus Hiſpalim illuſtri ſemper doctrinæ & ſanctitatis fulgore ſplenduit, ut non multò pòſt Carthaginenſi Eccleſiæ, apud quam exulaverat, admoveretur. Cleri mores ſeveriore diſciplina adſtringens, & populi ſpiritualia emolumenta promovens. Frequens illi ad populum dictio, & cum Arrianis concertatio, quâ ſemper victor brevi tempore infelix lollium penè eradicavit. Translatus Aſtigim, eâdem virtute Eccleſiam illam rexit. Anno 610. Toletano Concilio interfuit; & Anno 619. etiam Hiſpalenſi, cui præerat Iſidorus ejus frater germanus. Gravis dein ætate & morbis fractus Aſtigitanam Inſulam poſuit, conceſsítq; Carthaginem, cœli ſalubrioris causâ, vel ut alij tradunt, ſecundò lectus ad eam regendam Eccleſiam, quæ tunc Murciam transferebatur. Exegit illic, ſive Murciæ ſive Carthagine, ſex annos in aſſidua mortis præmeditatione, ad quam comparatus rogavit S. Braulionem, & quem unicè velut fratrem diligebat Laurum Gaditanum Epiſcopum, ut ſibi animam agenti præſto eſſent. Fuit ea pretioſa mors, cùm ſacro viatico aliorúmq; Sacramentorum præſidio munitus, pſalmos piè recitantibus & lacrymas ubertim fundentibus Epiſcopis, ſanctam animam reddidit Creatori, Angelorum mox obſequio ad thronum gloriæ deportatam. Id accidit Anno 638. Menſe Januarij, de die variant authores, aliis

Anton. Quintanadvenn. in vita. Roder. Tolet. de reb. Hiſp. l. 2. c. 14. Marin. Siculus de reb. Hiſp. l. 5. Franc. Taraphа. lib. de Reg. Hiſp. Maurolyc. in Martyrol. Julianus Petri in Adverſar. Marc. Max. Luitprandus. Joan. Vaſæ, ad an. 591. Jo. Mariana lib. 5. cap. 13. Franc. Padilla hiſt. cent. 6. cap. 50.

primum ejus diem, aliis decimum ſextum prodentibus, vetuſta Breviaria octavum habent, nunc 14. colitur. Agunt de eo fuſiùs Rodericus Toletanus, Marineus Siculus, Franciſcus Tarapha, Maurolycus, Julianus Petri, Marcus Maximus, Luitprandus, Joannes Vaſæus, Joannes Mariana, Ambroſius Morales, Laurentius & Franciſcus de Padilla, Prudentius Sandovallius, Rodericus Carus, Rodericus Yepes, Chriſtophorus Bouverus, Martinus de Roa, Antonius Quintanaduennas, Bollandus, Surius, alij. Gabriel Bucelinus natalem ejus refert ad 8. Octobris, & ante Epiſcopatum contendit fuiſſe ſui Ordinis Monachum Benedictinum, qua de re ne verbum quidem in ejus vita, niſi hoc fortè ſit eſſe Monachum, quòd exul Carthagine (ut ait vitæ Author) *In anguſto domicilio commoratus aſſiduè & hæreticos refellebat, & animabat Catholicos. Complures ad S. Hermenegildum ſororis ſuæ filium captivum literas dedit, quibus eum ad fidei intrepidam profeſſionem Martyriique certamen adhortabatur.* Videatur Bollandus, qui notat etiam à Prudentio Sandovalio ſcribi S. FULGENTIUM Monachum, ſed *nullo vetuſti ſcriptoris teſtimonio id confirmari.*

Prudent. Sandoval. in vita S. Leandri.

Roderic. Carus. lib. 2. antiq. Hiſp.

Brouver. in Not. ad vit. S. Leandri.

Mart. de Roa. lib. 2. de SS.

Aſtigit. cap. 5.

Bolland. To. 1. Jan. ad 14. diem.

Bucel. Menol. Bened. ad 8. Oct. & 31. Julij.

DIE XV. JANUARII.

S. EMEBERTUS

Episcopus Cameracensis.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

Arnoaldus Marchio ad Scaldim. — Carolomannus Dux Brabantiæ.

S. Arnulphus Marchio. — B. Pipinus de Landis Dux. — Amalberga Uxor Walberti Com.

Ansegisus Marchio, Uxor - - - — S. Begga. — S. Amalberga Uxor Witgeri Comitis.

Pipinus Crassus, Dux Brabantiæ. — S. EMEBERTUS. — S. Gudula, & sorores.

Carolus Martellus Dux.

Pipinus Brevis Dux.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & alia deductione Habspurgici.

Acta Synoptica.

EMEBERTUS, qui & Aolebertus in Catalogo Episcoporum scribitur, parentibus vitæ & generis nobilitate clarissimis in lucem editus, post transactos in timore Dei annos pueritiæ, illicò ostendit se matris non tam lac suxisse, quàm pietatem. Adeò inter æquales nullos illo modestior, nullus ad virtutem propensior, quam assiduis orationibus, vigiliis, castigatione corporis ad perfectionem urgebat. Episcopali ornatus insula lucernam se meminit candelabro Ecclesiæ impositam, cujus cum diminutione sui proprium est lucere aliis. Illo pastore non habuit quod raperet lupus, cùm etiam lupo immanior sacrilegus Gudulæ sororis sepulchri violator pœnas dedit. Vix illa triduo in tumulo jacuerat, cùm inaudiit EMEBERTUS absens violatum sacri pignoris conditorium. Ingemuit sanctus Præsul aberranti oviculæ, & quia profugam revocare non potuit, divino inflammatus zelo anathema fulminat, imprecatus, ut visibili aliquo signo temerator innotesceret. Plus concessere Superi, quàm precatus fuit. Extemplo sacrilegus, ut deinceps rectius

Const. Ghin. in Natal. SS.
Ferrar. in gener. cat. SS.
Molan. in Indici.
Miræus in fast. Belg.
Gazæ. in hist. Eccles.
Loerius in Chron. Belg.
Saussag in Martyrol. Gallic.

Roſweyd. in hiſtor. Belg. Maſſæ. lib. 12. Chron. Baldric. in Chron. Camerac. Bollan. To. 1. Januar. d. 15.

rectius ambularet, claudus efficitur; nec ille ſolùm, ſed tota deinceps ejus poſteritas eodem notata ſtigmate ſuo damno docuit, quantæ curæ ſint DEO Sanctorum corpora. Obiit vir ſanctus poſt annum 712. quo ſoror S. Gudula deceſſit, quamdiu ſuperſtes, non conſtat. Hanc verò illi diem aſſignant natalem Martyrologia. Et Florarium MSS. his verbis. *Malbodio Monaſterio S. EMEBERTI fratris S. Guditæ ex patre & matre de ſtirpe Carolidarum, qui alio nomine dictus eſt Ablebertus, & Epiſcopus fuit Cameracenſis.* Agunt de eo Conſtantinus Ghinius, Philippus Ferrarius, Molanus, Aubertus Myræus, Guilielmus Gazæus, Ferreolus Locrius, Heribertus Roſweydus, Chriſtianus Maſſæus, Baldricus Tornacenſis, Bollandus, & alij ab his allegati.

Eadem

Eadem DIE XV. JANUARII.

S. THARSITIA

Virgo.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.

S. THARSITIA Virg. — B. Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

S. Arnulphus Marchio.

Ansigisus Marchio.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & alia via Habspurgici.

S. Clodulphus Dux Mosellanus.

Martinus Dux Mosellanus.

Lambertus Dux Mosellanus.

Lotherus Dux Mosellanus.

Fridericus Dux Mosellanus, Caroli M. Equitum Ductor.

Sadigerus Justus, Dux Mosellanus.

Ragnerus Magnus, Dux Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Habspurgensis Comitis.

Luitfridus Comes Habspurgicus, & reliqui usque ad hodiernos.

MS Geneal. S. Tharsit. sup. in S. Ferreolo. Henn. P. 1. f. 20. & 64.

Alios Nexus vide in S. Ferreolo, S. Arnulpho, & aliis.

Acta Synoptica.

ELogium S. THARSITIÆ, quam etiam alij Tarciciam & Tarciliam scribunt, paucis complectimur cum Saussago. Apud Rutenos natalis S. THARSITIÆ Virginis, quæ in Germania Regio Pipini nata sanguine, Saussag. in supplem. Martyr. Gallic.

Ferrar. in Catal. SS.

Henr. Caniſ. To. 5. antiq. lect. P. 2.

Bolland. ad 15. Jan.

ſpecie formoſiſſima, artium ſui ſexûs doctiſſima, pro tuenda caſtitate in Aquitaniam veniens ad caſtrum Rutenula dictum, in ſpeluncam montis proximi fugiens ſe recepit, ubi Domino jugiter ſerviens, & aliquando cœlitùs paſta, & uberibus capræ quotidie divinitùs advenientis enutrita, animam DEO reddidit. Cujus corpus venerabile maximâ claritate circumfuſum, cùm Rutenorum Epiſcopus fragranti odore refertum comperiſſet, aſſiſtente Clero & populo reverenter ad S. Vincentium collocavit. Hæc Sauſſagus: quibus adde paucula ex Genealogia ejusdem ſanctæ TARSITIÆ apud Henricum Caniſium: TARSICIA Virgo Chriſti in Virginitate ſua perſeverans in Rodinis civitate requieſcit; pro cujus meritis ibidem Chriſti virtus quotidie oſtenditur; quæ etiam fertur mortuum ſuſcitaſſe. Meminerunt hujus Sauſſagus, Ferrarius, Henricus, Caniſius, Bollandus.

DIE XVI. JANUARII.

S. BEGGA

Vidua.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.
|
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.
|
Arnoaldus Marchio ad Scaldim.
|
S. Arnulphus Marchio, cujus Uxor - - -
|
Ansegisus Marchio, Uxor - - - - - -
|
Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.
|
Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
|
Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habspurgici, ut in Prolegom. c. XXII. dictum.

Carolus Hasbanius Dux Brabantiæ.
|
Carolomannus Dux Brabantiæ.
|
B. Pipinus de Landis.
|
S. BEGGA, hæres Ducatus Brabantiæ. — S. Gertrudis Abb. Nivellensis.

Alios nexus vide in S. Emeberto 15. Januarij. S. Gudula 8. Januarij. S. Gertrude, & alibi.

Acta Synoptica.

BEGGA illustrissimo ortu spectabilis, Grimoaldo fratre tumulato, & Childeberto nepote occiso, Ducatûs Brabantiæ hæres, in matrimonium Ansegisi S. Arnulpho Marchione ad Scaldim progeniti, magnorum successorum avia futura concessit. Hanc felicitatem filio suo prædixit S. Arnulphus, cùm amplissimas opes in egenos profunderet approbante Ansegiso, & intereà frater ejus plurimum obniteretur. Certat nimirum nobiscum DEUS, & dum rogata concedit, erogata multiplici compensat fœnore. Auctus magnis opibus Ansegisus per Beggam conjugem, ad virtutis etiam augmentum ejusdem stimulis feliciter contendit. Justitiæ illi summa cura, Religiosorum veneratio, effusissima in ædes sacras & pauperes liberalitas, quâ tantum abest ut charæ filiorum successioni, & rei domesticæ quidquam decederet, ut inde maximè omnis fortunatissimi hujus conjugij potentia proveniisse putetur. Sublato ê vivis conjuge, BEGGA provinciis & filio consulens, sororis Gertrudis propositum imitata, condidit celeberrimum Virginium Andennense, cui sponte inclusa, admirabili in omni virtutum studio contentione, adeò sanctioris

Bolland. To. 1. Feb. fol. 229.

Bucel. Menol. ad 17. Decemb. fol. 858.

ctioris vitæ exemplo, humilitate, patientiâ, charitate univerſas conſodales antecelluit, ut quæ Cœnobio præficeretur, nulla dignior ſit viſa. Præfuit inſigni concreditarum ovium fructu, quòd nulla earum id exercere detrectaret, cujus vivum in tanta Principe exemplar contueretur. Romam profecta, Chriſtum in ſuo Vicario adoravit, à quo plurimas & præſtantiſſimas Sanctorum obtinuit Reliquias, quibus univerſum penè Belgium locupletavit. Deceſſit tandem magnis virtutum meritis cumulata Anno Chriſti 698. profeſſionis Religioſæ decimotertio, eique ſacri honores poſtliminiò decreti non in Belgio ſolùm, ſed in Romana etiam Eccleſia. Colitur nunc die 17. Decembris. Sauſſagus eam ex antiquis haud dubiè Martyrologiis ad diem 16. Januarij retulit, quem in hoc ſecuti, Bucelino interim in Elogio ſubſcripſimus, donec alia prodeant aliunde.

DIE XVII. JANUARII.

S. MILDGITHA

Virgo.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, ex quo Carolingi & Habspurgici, ut supra dictum.	Charibertus Rex Parisiorum.	Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.
	Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.	
	Erdwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.	
	S. Ermenredus Rex Cantiorum.	
	S. Dompneva Uxor Merevaldi Regis Merciorum.	

S. Mildretha. S. Milburga. S. MILDGITHA Virgo. S. Merevinus.

Acta Synoptica.

MEruvaldo Merciorum Occidentalium Rege, & S. Dompneva filia S. Ermenredi Cantiorum Regis, tres illibatæ Virginitatis flores enati sunt: S. Milburga, S. Mildretha, & S. MILDGITHA, quæ & Mildwida scribitur. De aliis suo loco, de Wildgitha hæc habet Martyrologium Anglicanum: Cantuariæ commemoratio S. MILDUYDÆ Virginis filiæ Merualdi Regis Merciæ & Sororis SS. Milburgæ & Mildredæ Virginum, quæ spretis mundanis voluptatibus & deliciis, religiosum institutum complexa in Monasterio, quod non procul Cantuariâ Cantij Metropoli sanctus Rex Ethelbertus construxerat: ubi eximiâ vitæ sanctitate, charitate erga DEUM, piæ conversationis exemplis enituit, animámque cœlesti Sponso reddidit circa annum salutis 676. Habuit & fratrem nomine Merevinum, virum magnæ sanctimoniæ & charitatis, qui eodem tempore vixit, ejúsque sæpius mentio fit in historiis Anglicanis. Plura de Sanctæ actis non suppetunt. Notationes nonnullæ reperiuntur apud Bollandum.

Martyrol. Anglic.

Joannes Capgrav. in vita S. Milburg.

Harpsfeld. seculo 7. cap. 10.

Hugo Menard. lib. 2. observat. ad 14. Feb. & 26. Feb.

Westmonast. ad an. 676.

Eadem DIE XVII. JANUARII.

S. MEREVINUS

Confeſſor, S. Mildgithæ frater.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA, & ACTA.

Ranulph. Ceſtren. lib. 4. cap. 18. & lib. 5. Malmeſbur. lib. 1. de Reg. Angl. c. 18. Polydo. Virg. lib. 4. hiſt. Angl. Wigornien. ad an. 675. & alij ſup. cit. Bolland. ad diem 17. Januar.

EAdem MEREVINI, quæ ſororis, Genealogia eſt. Acta interciderunt. Virum nominat Anglicanum Martyrologium, & Confeſſorem. In vita verò S. Wereburgæ dicitur: MEREVIN, *qui ad ſanctos Innocentes à baptiſmate raptus eſt parvulus.* Harpsfeldius vocat: *Sanctum puerum* MEREFINUM, & Weſtmonaſterienſis *eximiæ puerum ſanctitatis.* Notat Bollandus, non videri defunctum in infantia, neque enim tales ab Eccleſia coluntur, niſi Martyrij laureola acceſſerit. Matrem MEREVINI fuiſſe unam ê filiabus S. Ermenredi certum eſt, tametſi dubium, quænam ê quatuor, quæ vocatæ ſunt Domneva, Ermenberga, Ermenburga, Ermengida, omnes Sanctæ, ut dicitur in vita S. Wereburgæ. Harpsfeldius Domnevam putat nuptam fuiſſe S. Ermenredo, at Weſtmonaſterienſis Ermenburgam, quod etiam probabilius videtur Bollando.

DIE XVIII. JANUARII.

B. BEATRIX

Attestina II. Sanctimonialis.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Ad mentem Lazij & Henningis.

Luitfridus Comes Habspurgicus, filius Guntrami.

Ermentruda Habspurgica, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurensis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ Jurensis.

Conradus II. Rex Burgundiæ.

Getburga Uxor Hermanni Comitis Sueviæ.

Gisala Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Mathildis Uxor Azonis VI. Estensis.

Fulco II. Estensis Marchio.

Fulco III. Estensis Marchio.

Obizo V. Estensis Marchio.

Azo VIII. Estensis Marchio.

Aldobrandius II. Estensis.	Azo IX. Estensis Marchio.	Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.
Beatrix Uxor Andreæ II. Reg. Ungariæ.	B. BEATRIX, Uxor Bernardini Decioſi, dein Sanctimonialis Ferrariæ.	Albertus I. Imperator Austriacus.
Stephanus Posthumus.		
Andreas III. Rex Ungariæ, Uxor		Agnes Austriaca.

Acta Synoptica.

DUas Beatrices Deo consecratas, & Beatas recensetEstensis Marchionum familia. Junior hæc fuit, cujus memoriæ dies 18. Januarij addicitur. Nata patre Azone hujus nominis nono, Bernardino Decioso, vel (ut Arnoldus Wion habet) Galeatio Manfredo Vicentiæ & Verardini Domino in matrimonium elocata est. Num ei cohabitaverit, incertum: quia Virginem depræ-

Mussat. Chron. l. 3.

Pigna. hist. Attest. l. 3.

Wion ap. Bolland.

Menard. Dorgan. Ferrar. in Martyr. Bolland. To. 2. Jan. ad hanc d. Bucel. Meno. Benedict.

deprædicat Muſſatus Paduanus ejus æqualis. Erepto ê vivis conjuge an ſponſo BEATRIX uni ſe DEO devovit. Ferrariæ Sanctimonialium Cœnobium ſub tutela D. Antonij condidit, in quod cum pluribus virginibus ingreſſa, vitam ſanctiſſimam egit. Deſiderabat Ezelinus Paduæ Tyrannus ejus nuptias Joanni ſororis ſuæ filio conciliare, hoc quaſi ſequeſtro cum Atteſtino BEATRICIS fratre in gratiam rediturus: verùm, quæ ſe ab humanis curis totâ mente abſtraxerat, conditionem reſpuit, fratre nil reluctante, quippe qui Ezelino nullam haberet fidem vel ſexcentis affinitatum nodis obligato. Aſſervatur in Cœnobio memorato Ferrariæ vita ejus deſcripta, in quâ contineri aiunt illuſtria ſanctitatis, ſubmiſſionis, inediæ, vitæque auſteræ exempla; miracula item quamplurima, quæ & tunc facta, cùm ê vivis exceſſit, & fiunt etiamnum aſſiduè, liquore ſalutifero ê marmore, ſub quo tumulata primùm fuit, ſcaturiente; atq; odore, quem ſuaviſſimum oſſa ejus exſpirant. Experta ejus patrocinij opem Anno 1628. Daria Robonia ejus loci Sanctimonialis, quæ genu adeò exulceratum habuit, ut præcidi tibiam oportere Medici judicarent. Confugit illa ad BEATRICIS auxilium, & die ſequenti, in quam decreta erat carnificina, ſana omninò fertur ſurrexiſſe, adiſſe templum, & ſacris interfuiſſe. Plura exſpectantur, ſi vita prodierit, quam aiunt nefas eſſe Cœnobio efferri. Meminerunt tamen ejus præter Muſſatum, Joannes Baptiſta Pigna, Arnoldus Wion, Hugo Menardus, & noviſſimè Bollandus. Bucelinus Wionem ſecutus Annum obitus deſignat 1262. cùm vitam Monaſticam profeſſa fuiſſet die 25. Martij, Anno 1254.

Eadem DIE XVIII. JANUARII.

B. MARIA

Brabantina Duciſſa Bavariæ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Henningis, Pieſpordij &c.

Luitfridus Comes Habſpurgicus.

Ermentruda Habſpurgica, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurenſis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Gerburga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi II. Imperatoris

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Sophia Uxor Godefridi I. Comitis Lovanienſis.

Godefridus II. Dux Brabantiæ.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

Henricus V. Dux Brabantiæ.

Henricus VI. Dux Brabantiæ.

B. MARIA, Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Nexus II.

Henricus IV. Imperator, cujus majores ſuperiore nexu.

Agnes Uxor Friderici Comitis ab Hohenſtauffen.

Fridericus Dux Sueviæ.

Fridericus Barbaroſſa Imperator.

Philippus Rex Romanorum.

Maria Uxor Henrici VI. Magnanimi, Ducis Brabantiæ.

B. MARIA, Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Nexus III.

Ludovicus Severus Dux Bavariæ.

Uxor I. B. MARIA Brabantina.

Uxor II. Mechtildis filia Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Ada. Widel. in Elogiis.

Matth. Rader. Bavar. S. To. 2. fol. 295.

Annal. Erfordia.

Avent. Annal. Bav.

Vitus Arenpeck.

Hund. Metropol.

Bolland. ad 18. Jan.

NUpero calamo deſcriptam damus MARIAM Brabantinam. Qui judicando temerarij, damnando plerunque injuſti ſunt. Neſcit animo ſpatium dare occupata ira. Judex non eſt, qui in cauſa plus æquo properat, ſed carnifex. Ludovicus Bojariæ Dux, ab immanitate facinoris Severus appellatus, Provinciam à Cæſare acceperat, ut Rhenum infeſtis latronum irruptionibus periclitatum, in priſtinam ſecuritatem aſſereret; relictâ Donawerdæ Conjuge MARIA Brabantinâ lectiſſimâ fæminâ: ſtrenuo muneri ſe accinxit ſtrenuè, ad locum contendit: *Venit, vidit, vicit*, latronibus vel fugatis, vel internecione deletis. Inter hæc optima Conjux binas literas exarat, iſtas ad maritum fide, illas ad Ruchonem Comitem humanitate plenas: ambas nuntio tradit, ituro non redituro. Vix ad Principem pervenit ſimplex tabellarius, eidem ex errore literas tradidit à Conjuge Ruchoni inſcriptas. Legit Ludovicus, & neſcio quid inde collegit peſſima dictatrice ſuſpicione, quæ parva principio mox grandeſcere incipit, mox iracundiâ accenſus Nuntio viam perſolvit; quem ê veſtigio jubens interfici, ad plures miſit, ubi requieſceret. Neq; hoc furori ſuffecit, quia nulli ira ſua videtur injuſta. Citatis mox equis Dux ipſe advolat, repente Donawerdæ adeſt; continua in nebula equitaverat, in qua omnia videntur majora turbato animo. Appulſus Verdæ, non hominem, ſed feram ſpirans, illicò arcis Præfectum interfici jubet, mox Gynæcæi præſidem matronam, ex alta turri præcipitari imperat, ipſe jam ante ratione dejectus. Non erat hoc tantùm perſonam, ſed & ſententiam & pœnam præcipitare: adeò militaris virtus Tyrannidi affinis eſt, niſi compeſcatur: & quod in bello licet, ſubinde in pacem domeſticam redundat. Necdum furor conſtitit, nobilis pediſſequa gladio confoſſa, fœces turbati animi ſanguine confuſæ innocenti MARIÆ epotandæ ſupererant. Illam quoque truncari curat. Tandem quatuor funerum pretioſis victimis cicur furor deferbuit. Sed ô inſolentis hominis rem inſolitam! Unicâ eâque inſomni nocte, Ludovicus facti pœnitentiâ totus canus efficitur. Longa profectò Nox, quæ nocenti vertici præcoce ſenectute incubans, duodecim horarum intervallo uſa, ſeptuaginta annorum ſpatium acceleravit, non maturavit; ſenem non fecit, ſed repræſentavit. Ita ætatem ſcelere quandoque præcurrimus. Sapuit tandem ante ſenectam ſenex, Romam peregrinus veniam exoravit, & in pœnam Fürſtenfeldam Cœnobium Ciſtercienſibus condidit. MARIÆ innocentis funus intulit Werdeæ ad S. Crucem, addita hac Epigraphe: *Anno Domini M. CC. LXVI. XV. Cal. Febr. in caſtro Werd mortua eſt Domina* MARIA, *Ducisſa Bavariæ, filia Ducis de Brabant.* Raderus in icone præfigit literam B. quod Beatam deſignat.

DIE

DIE XIX. JANUARII.

S. REMIGIUS

Epiſcopus Rotomagenſis.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo Merovingi, & Habſpurgici ſecundùm Lazium, Pieſpordium, alios.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

Anſegiſus Marchio.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

S. REMIGIUS Epiſcopus Rotomagenſis.

Pipinus brevis Dux Brabantiæ.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & ab ijs Habſpurgici.

Acta Synoptica.

MAgnis ortus progenitoribus, majores habiturus nepotes, nihil non magnum meditatus eſt REMIGIUS ab ipſis pueritiæ annis. Regio in Palatio educatus nihil Palatinum ambiit, quod à DEO abduceret, frequentiùs viſus terere Eccleſiarum limina quàm Aulæ, ad choros pſallentium DEI laudes alacris, oſor chorearum. Avidiſſimè bonas artes combibit, effuſurus in commiſſum ſibi gregem fluenta cœleſtis doctrinæ. Stupuiſſes inter ignes voluptatum prorſus illæſum, & maturam in Aula Virginem, ne famæ quidem ſiniſtræ fuligine infectam, adeò & ſenſuum ſuorum cuſtos, per quos ceu feneſtras mors ingreditur, & raræ abſtinentiæ tenax, per quam fomenta extinguuntur libidinis, privilegio creditur donatus cœlitùs conſervatæ ad finem Virginitatis. Admotus clavo Eccleſiæ Rotomagenſis, non tam REMIGIUM egit, quam REMEDIUM, ſic quippe etiam appellabatur. Nam egenis opitulari, oppreſſos defendere, mœſtos ſolari, captivos redimere, ſubjectum gregem verbo & exemplo dirigere, inter principes ſemper curas habuit. Fratre ejus Carolomanno, abjectis ſeculi curis, Monaſticæ diſciplinæ regulam amplexo, Caſinenſes, ad quos ê patria profugerat, animati egerunt apud Zachariam Papam, ut corpus S. Benedicti, quo Floriacenſes in Gallia Monachi gloriabantur, operâ Pipini Regis reciperent. Mandata hæc cura à Pontifice ipſi Remigio, qui habito conſenſu Pipini fratris, Floriacum accurrit cum pluribus, morem ſine remora gerens Chriſti Vicario. Sed eam translationem DEO non placuiſſe, oſtendit eventus, cùm omnes illi, qui ſacrum corpus ablaturi venerant, vix ingreſſi Eccle-

Lambec. Bibl. Cæſ. lib. 2. cap. 8. fol. 908.

Bolland. ad 19. Jan. To. 2.

Adrevald. lib. 1. de mir. S. Bened. c. 16.

Annal. Franc. ap. And. du Cheſne.

Sigebert. Contin. ad an. 751.

Renat. Choppin. Monaſt. lib. 2.

Menlius de Majorib. Habſpurg.

Eccleſiam, cœcitate percuſſi ſunt. Pro his in genua provolutus REMIGIUS, damnatâ ſuâ (ſi quæ erat) temeritate, pollicetur Floriacenſibus ſacrum corpus relinquere, & illicò recêpere comites viſum, ipſe verò parte reliquiarum à loci Abbate donatus ad Regem rediit, eúmque narratâ facti ſerie impulit ad nova & ampla Cœnobio conferenda beneficia. Miſſus iterum à fratre Pipino ad Deſiderium Longobardorum Regem Legatus, tantum apud avarum Regem eloquentiæ ſuæ vi perfecit, ut ablatum Eccleſiæ Romanæ patrimonium reſtituerit: ob quam cauſam Pontifex Paulus I. gratias agens, appellavit *DEO amabilem* REMEDIUM. Ipſi debent Galliæ & Germaniæ Eccleſiæ introductum juxta morem Eccleſiæ Romanæ pſallendi ritum, quin & cæremonias, quas maximo zelo, conductis Magiſtris cantandi artis peritis, promovit, & ad amuſſim ſervari præcepit. Tandem cùm Eccleſiam ſuam, prædiis ac poſſeſſionibus & ornamentis ſacris plurimis locupletaſſet, placidâ morte tranſivit ad Dominum, percepturus laborum mercedem Anno 771. ordinationis ſuæ anno decimo ſeptimo. Vitam ejus, quam deſiderabat Bollandus, eruit ê Bibliotheca Cæſarea Lambecius, in quâ celebritas Sancti refertur ad 13. Januarij. Sed hodie Rotomagi celebratur decimanona, ut teſtatur Bollandus.

DIE

DIE XX. JANUARII.

Ven. WILTRUDIS
Comitissa Habspurgica.

GENEALOGIA.

Belzo Comes Altenburgi & Habspurgi
Uxor - - Comitissa Sonnenbergica.

Adalbero Comes Calwensis.

Radepoto Comes Habspurgicus.
Uxor Itha Ducissa Lotharingiæ.

Itha Uxor Guntrami II. Comitis Habspurg.

Leopoldus Comes Calwensis.

Ven. WILTRUDIS Habspurgica. Uxor Adalberonis Comitis Calvensis.

Adalbero Comes Calwensis.

Acta Synoptica.

EX Comitibus Altenburgi & Habspurgi natam WILTRUDEM habent variæ Geneses, dubitat Guillimannus an filia fuerit Radepotonis, vel ex fratre neptis. Hæc conjuncta S. Leonis Papæ IX. nepoti Adalberoni Comiti Calwensi, peregrinum in Germania S. Leonem excepit hospitio, qui salubribus monitis, & paternâ correptione nepotem induxit, ut bona Hirschaugiensis Monasterij â majoribus suis occupata restituere, ac desolatum multis annis Cœnobium pristino nitori restituere polliceretur. Moras nectenti assiduis monitis instabat WILTRUDIS, donec importunitate uxoris victus Adalbero Monasterium novum conderet, eique duodecim inquilinos ex Eremo Hercynij saltûs impetraret. Incredibile dictu, quanto gaudio illos WILTRUDIS exceperit, quâ munificentiâ & rerum necessariarum suppeditatione clam marito foverit, & non destiterit segnem fundatorem ad operis absolutionem, imò & plenam manumissionem impellere. Quo pietatis studio meruit apud Hirschaugienses audire *Devota Christi famula, sancta Comitissa, & devotissima WILTRUDIS.* Diem pij ejus obitûs non consignârunt fastis, quorum intererat. Nos eam hoc loco reponimus, & Venerabilis titulo donamus, cùm non constet an Beatæ nomenclaturam, licèt meritam, consecuta sit.

Trithemius Chrō. Hirschaugien. mihi. fol. 73. 85. & seqq.

DIE XXI. JANUARII.

S. ERMENBURGA

Abbatiſſa.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, â quo communis opinio deducit Habſpurgicos.	Charibertus Rex Pariſiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici, ut ſæpiùs oſtenſum.
	Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.	
	Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.	
	S. Ermenredus Rex Cantiorum.	

S. Ermenberga. | S. ERMENBURGA Abbatiſſa. | S. Ermengitha. | S. Domneva.

Acta Synoptica.

Bucel. Menol. ad 21. Jan. Menard. ap. Bolland. 21. Jan. in præterm.

VNa filiarum S. Ermenredi Mervaldo Merciorum Regi nupta fuit. Alij putant Domnevam, ut diximus ad diem 17. Januarij, alij verò Ermenburgam. Sanctis adſcriptæ ſunt omnes; & hoc ſatis intento. Cæterum de ERMENBURGA hæc habet breviſſimè Bucelinus: Apud Eſteiam Cantiæ in Anglia S. ERMENBURGIS Abbatiſſæ Ermenredi Cantiæ Principis filia Earcomberti Regis neptis fuit. In Eſteienſi Cœnobio ſacro velo amicta, & deinceps Abbatiſſa creata, egregiâ vitæ ſanctitate refulſit, claruitque Anno 676. Diem ejus Natalem hac die referunt Bucelinus & Hugo Menardus. At verò Martyrologium Anglicanum die 19. Novemb. quam diem credidero ſorori ejus Ermenbergæ ſacram, donec certiora inveniam. Bucelinus eandem rurſus ad diem 2. Auguſti reponit quaſi diverſam.

DIE XXII. JANUARII.

Ven. THEODELINDA

Regina.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodoveus I. Christianus Rex Francorum.

Clotharius Magnus. Bucel. To. 2. Germ.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti, à quo Carolingi & Habspurgici. Henn. P. 1. Germ. fol. 10. & 176.

Theodoricus, aliàs Thirrus Rex Austrasiæ. Uxor Eustera filia S. Sigismundi Regis Burgundiæ.

Theodebertus Rex Austrasiæ.

Reginotrudis Uxor Theodonis III. Ducis Bavariæ.

Theodebertus Dux Bavariæ.

Garibaldus Dux Bavariæ.

Ven. THEODELINDA Uxor Flavij Autharis Regis Langobardorum.

Acta Synoptica.

NUlla unquam annorum diuturnitas obliterabit beneficia, quæ Langobardorum genti & universæ Italiæ contulit THEODELINDA Garibaldi Bojorum Ducis filia, Fl. Authari Langobardorum Regi elocata. Erant tunc Langobardi aut inani Deorum superstitione occupati, aut Arianismo implicati, ut cùm suam ibi salutem negligerent, Ecclesiarum bona publicam rati prædam, res sacras promiscuè popularentur. THEODELINDA divinitùs accensa, maritum magno animo aggressa, monendo, suadendo, orando pervicit, ut Catholicam pietatem admitteret. Paruit demum ille, & Ecclesiis satisfacturus, plerasque possessiones ultrò dedit, Episcoporum existimationem, quæ contempta jacebat, ad aliquem splendorem evexit, cujus exemplo excitati populares certatim ejurarunt impietatem. Sublato è vivis marito, eâ lege Agilulphum thori socium admisit, ut Catholicam religionem amplexus propugnaret. Sepulto & isto, per decennium, ingenti Ecclesiæ bono, cum parvo filio Adalvaldo regnum administravit. Condidit præter illustrem & visendam Modoëtiæ Regiam, etiam D. Joannis Baptistæ ædem sacram, magnísque ac regiis donis auxit, futuram regno præsidium, quoad pietas, & ejus cultus vigeret. Nam à solitario viro sancto Constanti Imperatori Langobardis bellũ illaturo datum oraculũ: Langobardos tunc vinci non posse, Reginæ exteræ factũ obstare, collocasse eam in regni finibus D. Joannis Baptistæ Basilicam, qui Deum perpe-

Ferrar. in Catal. gener. Sanct. Rader. Bavar. Sanctæ To. 1. Bolland. ad 22. Jan. in præterm. Paul. Diac. in gest. Langobard. Barthol. Zucchius. Andre. Presbyter. Marcus Velserus.

tuis precibus interpellet: ſed futurum aliquando, ut templi neglectus genti exitium accerſeret. Cujus rei fidem res temporum ſucceſſu firmavit. Annum ejus obitûs alij eſſe volunt 627. alij ſequentem, & diem 22. Januarij. Refertur in generali Catalogo Sanctorum à Ferrario, & à Matthæo Radero Bavariæ ſanctæ To. 1. fine titulo Beatæ. Nec conſtat de aliquo cultu Eccleſiæ illi exhibito. Meretur tamen locum inter heroides de Eccleſia benè meritas.

Eadem DIE XXII. JANUARII.

Ven. ELISABETHA

Regina Galliæ Vidua.

Habſpurgo-Auſtriaca.

GENEALOGIA.

Ferdinandus I. Imperator.

|

Maximilianus II. Imperator.

|

ELISABETHA Archidux, nupta Carolo IX. Galliarum Regi.

Acta Synoptica.

INopinato partu edita ELISABETHA patre Maximiliano II. Imperatore Anno 1554. die 4. Junij (licet alij ponant 5.) hora 10. min. 30. noctis, quæ erat dies Martis, Viennæ Auſtriæ in ſigno Leonis, ut notavit MSS. Cùm adoleviſſet, Carolo IX. Galliarum Regi elocata eſt, quem MS. Guillimanni appellat *optimum Regum.* Cui cùm unicam filiolam peperiſſet, viduata marito ad ſuos Viennam reverſa eſt Anno 1574. Tanta verò enituit non tam corporis pulchritudine, quàm vitæ caſtimoniâ, innocentiâ & ſanctitate (ut Menlius loquitur) quâ omnes Matronas ſuâ ætate ſuperabat, ut omnem rerum humanarum luxum aſpernata, cùm reiterandi cum Regibus & magnis Principibus matrimonij occaſiones non paucæ offerrentur, nullam acceptare voluerit, ſed ſe totam divinis contemplationibus addixerit. Galli ſanè, parci aliàs in Auſtriacorum laudibus, faſſi ſunt, ſe in regno ſuo honeſtioribus moribus Reginam nunquam vidiſſe, nihilque magis optaſſe, quàm ut ipſam ad vitæ obitum regnantem viderent. Pragæ condidit templum O. Sanctorum, Viennæ Auſtriæ, non templum modò S. Mariæ de Angelis, ſed etiam Cœnobium ſacrarum Virginum ex inſtituto S. Claræ viventium fundavit ſuo contiguum palatio, ubi piam & innocuam tranſegit vitam. Nec modò jejuniis, orandi ſtudio, corporis caſtigatione Virgines ſacras adæquavit, verùm etiam longè illas antecedere viſa eſt. Famula ejus, quam ex honeſtiſſimis probatiſſimisque perſonis delectam habuit, quæque univerſæ ejus vitæ arbitra & inſpectrix fuit, de ea teſtata eſt, tantæ Principis modeſtiam, manſuetudinem, humilitatem, in pauperes beneficentiam, quibus magno numero quotidie ad aulam confluentibus largiſſimè erogabat, ad eum perveniſſe gradum, *ut uno ore omnes eam beatam & ſanctam prædicarent.* Ante mortem teſtamento cavit, ut ſepelienda vili veſtitu indueretur, & omni pompâ neglectâ tumularetur: quod piiſſimæ Principi negare nefas creditum. Unde in ſarcophago ligneo, foſſa ſimplici in templo ſuæ fundationis condita eſt, ubi meliorem vitæ partem exegerat. Traditio in hanc diē apud Viennenſes, & præſertim ſacras Virgines durat, quòd ſimulacrum illud ingens Chriſti in Cruce ſuffixi (quod in medio illius Parthenonis templo adhuc ſtat) trunco in terram quadrâ figurâ rectè infixo, ſeſe non abs-

Menlius de progenit. Maximil. Imp. fol. 109.

Gans. in Gynæc. Auſtr.

Ehinger in Geneal. Auſtr.

Guillim. MS.

Anon. Græc. MS.

Lequile P. 4. de reb Auſtr. fol. 125.

que prodigio ſuperiore parte inflexerit ad ſiniſtrum templi angulum, in quo Princeps orationi vacare ſolebat. Et perſiſtit etiamnum eo ſitu inflexus Crucifixus, uti oculi noſtri ſæpenumero viderunt. Dabunt alij de Venerabili Regina plura, quibus plura patent archivorum arcana. Obiit verò Eliſabetha hac die 22. Januarij inter 11. & 12. noctis Viennæ Anno 1592. cùm vixiſſet Annos 37. menſes 7. dies 18.

DIE XXIII. JANUARII.

B. BADEFRIDUS

Comes, & Framehildis ejus Conjunx.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA, & ACTA.

AUthor vitæ S. Auſtrebertæ Virginis utramque paucis complexus tradit, BADEFRIDUM Comitem in Palatio Principis Dagoberti, fuiſſe virum honeſtate vitæ valdè venerabilem, moribus honeſtum, ſapientiâ clarum, conſilio providum, *priorum Regum ex proſapia oriundum*, officio Comitem Palatinum: & accepiſſe uxorem de proſapia Alemannorum Regis Framehildem. Erat verò (pergit ille) elegans & ipſa facie, ſed elegantior ſanctitate. Converſatio eorum qualis quantáve in terris extiterit, miraculorum gloria populis declaravit. Erant enim in caducis ſeculi honoribus valdè ſublimes, ſed animi probitate ſanctiores: fide firmi, charitate præcipui, juſtitiâ inſignes, ſpe longanimes, eleemoſynis dediti, pauperum in ſuſceptione valdè ſoliciti. His igitur talibúsque virtutum floribus ornati, Spiritus ſancti templa meruerunt effici, ut pòſt manifeſtiſſimis claruit indiciis. Hæc vitæ author. Unde Malbrancus abſolutè utrumque tam BADEFRIDUM quàm Framehildem ſanctis accenſet, licet dubitet Bollandus, quòd ignoret an alicubi publicus illis cultus exhibeatur, ſapienter quidem in tali opere, quod univerſæ ſcribitur Eccleſiæ. Certum tamen eſt, multos inveniri verè Sanctos, qui publicâ hactenus veneratione caruerunt. Nobis hæc ſuffecerint, & quòd inter Beatos ejus ſeculi ſaltem judicio (licet Sedis Apoſtolicæ deſit authoritas) recenſiti ſint, & quòd de Regum proſapiâ oriundi ſcribantur, Regum ſcilicet Francorum, in quorum Palatiis, ut alibi obſervatum, plerunque Comites Palatinos & Majores Domùs agebant, ipſis Regibus ſanguine conjuncti.

MS. Rotomag.

Surius in Vita.

Ferreol. Locrius Chron. Belg. ad ann. 680.

Jacob. Meier. Annal. Flandr. l. 1. an. 668.

Anton. Yep. ad ann. 684.

Bolland. To. 2. Jan. d. 23.

DIE XXIV. JANUARII.

B. ANSEGISUS

Marchio.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.

|

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

|

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

|

B. ANSEGISUS Marchio. Uxor S. Begga.
à quo Carolingi & Habſpurgici.

Alios nexus vide in S. Begga 16. Jan. S. Emeberto. S. Gudula &c. ſuprà.

Acta Synoptica.

Pieſp. in Tabula.

Bucelin. Menol. ad 17. Dec.

Henning. P. 1. Germ. fol. 21.

Bolland. 9. Jan. in Vita S. Wanningi.

Nuſſienſ. in Chron. Belg. mihi fol. 26.

Theod. Rhay. in Anim. Illuſtr.

ANSEGISUS, aliis dictus ANSCHISUS, & Anchiſes, quem Sanctum appellat Pieſpordius, Martyrem Bucelinus; per conjugem S. Beggam factus Brabantiæ Dux; ſub Childerico Rege Francorum hujus nominis II. Majorem domûs ſeu Palatij Præfectum egit. In tanto fortunæ apice tenaciſſimus juſtitiæ, liberaliſſimus opum in pauperes diſpenſator, verus patris ſui S. Arnulphi filius, ita curabat domeſtica, ut minimè negligeret aliena. Concertans cum lectiſſima conjuge de pietate, magnum magnorum Principum virtutis exemplar ſe exhibuit. Quo ſanè meruit Martyrij (ut creditur) lauream, cùm obvium caſu, an divini Numinis voluntate Gunduinum ſive Godinum, quem orphanum & pauperem ſuo more miſeratus, olim ê ſacro fonte levarat, & ceu filium habuit, ab ipſo deinde perfidè & crudeliter trucidatus. De ſacris ei honoribus exhibitis non conſtat, cauſa certè quæ fuit amor juſtitiæ, Martyrem efficere potuit. Conſtructuro S. Wanningo Fiſcanenſe Cœnobium, nullus DEO viſus aptior, cui revelaretur locus Cœnobij; ad eum igitur miſſus Wanningus didicit, ubi fundamenta jaceret novæ ſtructuræ & religioſiſſimi domicilij. Plura de ANSEGISO proment alij.

DIE

DIE XXV. JANUARII.

S. DOMNEVA REGINA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici certâ serie.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilberga Uxor S. Ethelredi Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio derivat Habspurgicos.

S. Ermenredus Rex Cantiorum.

S. Eansuida Virgo.

S. DOMNEVA cum sororibus Sanctis, Ermenburga, Ermengitha, Etheldritha, & duobus fratribus MM. SS. Ethelredo & Ethelberto.

Acta Synoptica.

DE Sanctis hisce sororibus, præter nomina cum sanctitatis prædicato, vix aliquid extare videtur; sanè hactenus si prodiit, me fugit. Fatetur Bollandus se præter S. Ermenburgæ natalem, cœterarum trium sororum reperire non posse. Ne tamen careant suo loco, reponemus ubi alia defecerint nomina. In antiquissima vita S. Wereburgæ hæc leguntur. *Eormredo ex inclyta conjuge Oslava nati sunt Ethelredus & Ethelbrichtus, quos innocenter jugulatos splendida lucis columna de cœlo prodidit Christi Martyres. Quatuor quoq; sibi filiæ Sanctæ* DOMNEVA, *Ærmenberga, Ermenburga, & Ærmengida velut Paradisaici fontis quadrifida emicuêre flumina.* Et rursum alio loco: *At beata & regia* DOMNEVA *Regis Wlpheri germano Meruvalæ conjugata, ad summæ Trinitatis gratiam triplicem Virginitatis protulit lauream Sanctissimas scilicet Sorores Mihlburgam, Mildrydam, & Mildgydam, quæ distinctis Monasteriorum suorum lapidibus irradiant patriam.* Ex quo colligitur, errare Malmesburiensem, Westmonasteriensem, Wigornienſem, Polydorum Virgilium, & Bucelinum, recentiores, qui Meruvaldo Ermenburgam nuptam scripserunt. Antiquiori scriptori major fides. Nobis tamen de connubio non est quæstio. Sanctam fuisse sufficit ad gloriam Habspurgo-Austriacam.

Malmesbur. lib. 1. de Reg. Angl. c. 4.

Westmonaster. ad an. 676.

Wigorn. ad an. 675.

Polydor. lib. 4. hist. Angl.

Hugo Menar. lib. 2. observat. ad 15. Feb.

Harpsfeld. Secul. 7. c. 10.

Joã. Capgrav. in vita S. Milburg.

Bolland. To. 2. Jan. ad 17. diẽ.

Vita S. Wereb. apud hunc.

Bucel. Menol. ad 21. Jan.

DIE XXVI. JANUARII.

S. BATHILDIS REGINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Chilpericus Rex Sueſſionum.
|
Clotharius II. Rex Francorum.
|
Dagobertus Magnus Rex.
|
Clodoveus II. Rex Francorum.
Uxor S. BATHILDIS ex Regio ſtemmate Anglorum, vel Saxonum Aſcaniæ Dominorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.
|
Arnoldus Marchio ad Scaldim.
|
S. Arnulphus Marchio.
|
B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.
|
Pipinus Heriſtallus Dux.
|
Carolus Martellus, & cœteri Carolingi, & Habſpurgici.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Acta Synoptica.

Aut. vitæ Coætan. Trithem. ad Vir. illuſtr. c. 112 Franc. Haræus in Vitis SS. Lipel. Silvanus Razzius. Jacob Doubletius Pet. de Natalib. lib 3. c. 59. Sauſſay. in Martyrol. Steph. Birettus in vita. Maurolicus. Petrus Galeſinius. Caniſ. in Martyrol. Bolland. ad 26. Jan. Bucelin. Menolog.

QUàm ſolicitè BATHILDIS Virgo nuptiales cum Archinoaldo Principe tædas fugit, tam feliciter ex nutu DEI conſecuta eſt Regias. Illi viduo inter domeſticas ancillas felix captiva BATHILDIS ſola placuit; at Bathildi non ſolus ille ſed omnis maritus diſplicuit. Servabatur majori connubio, ſervata ad ingentia facta. Ergo licet repugnans in thalamum Clodovei II. Regis abducta, id facta eſt conjugi, quod fuerat Clodoveo I. Crothildis: Regi obtemperans ut Domino, quaſi ancillam ſe exhibuit, Aulæ Proceribus matrem, ſacerdotibus filiam, egenis nutricem. Non facilè avarus tanto ſtudio congerit divitias, quàm illa conabatur profundere in egenos, in Eccleſias & cultum Numinis. Etiam cingulo argenteo ſe ſpolians ornavit aras. Quot Cœnobia utriusque ſexus, quot Eccleſias Regiâ munificentiâ conſtruxerit, auxerit, dotaverit, vix numeres. Calenſe Virginium, ampliſſimum Reginarum & Principum refugium, Corbeienſe in Gallia, Logienſe, Fontanellenſe, Jotrenſe, Farenſe, Luxovienſe, Cœnobia ipſi vel ſua debent exordia, vel incrementa. Simoniacum vitium per Galliam ſerpens, viris aliàs familiare, extirpavit fœmina. Tributa, quæ juxta capita familiæ exigebantur, cùm ob id multi proles alere negligerent, Bathildis ſuſtulit, maximo plebis gaudio, in cœlis præmio. Servilem conditionem Chriſtianorum miſerata, id effecit apud filios, ut lege latâ prohiberentur. Et licet tumulato marito unicè anhelaret expeditam à curis ſeculi vitam, morata tamen in Regia aula tantiſper eſt, dum & gravia Regni negotia componeret, & filios gubernaculo tractando ſatis inſtructos cerneret; tum verò ſtupente univerſo Regno, abdicatâ omni ſeculi pompâ, in Calenſe à ſe conſtructum Cœnobium ſe incluſit, ſanctiſſimo vitæ genere id aſſecuta, ut non multò poſt obitum Divis

ſo-

solenni ritu adscriberetur, maximis etiam illustrata miraculis, ut meritò inter primos regni, Regum & Reginarum Tutelares numerari meruerit. Vitæ ejus author paucis ejus gesta in Cœnobio expressit, quæ tamen si personæ conditionem attendas, ingentia sunt. *Abbatissæ obediebat ut matri, omnibúsque sicut sagax ancillula sanctâ devotione ministerium obsequii exhibuit. Ita autem humilitatis magnæ omnibus forti animo ministrabat exemplar, ut ipsa quoque in officio coquinæ, ministraret sororibus, ipsa munditias omnes faceret, & quod majus dicam, ipsa purissima margarita, inquinamenta stercorum propriis manibus mundaret*, &c. Cœlitum Imperatricis servitio addictissima, cùm ad ejus aram paulò ante obitum precibus daret operam, vidit ex eo loco ad cælum usque protensam scalam; per eam Angelos descendentes, qui ad capessendum præmium laborum invitarent. Occurrit morituræ S. Genesius Lugdunensis quondam Episcopus, & ipsius ante Episcopatum fidelis Eleemosynarius Angelicis stipatus agminibus, cubiculo admirandæ lucis radiis prodigiosè illustrato. Ut vel hinc constet, verè pauperum esse regnum cœlorum, quod præ cæteris ipsi aperiant iis, quorum apertas ad Eleemosynam manus senserunt in terris. Exspiravit feliciſſima anima circa annum 670. Natalis ejus hac die celebris est, in pluribus Martyrologiis. At Wandelbertus rejecit in diem sequentem, & Usuardi pleraque antiqua exemplaria ad diem 30. hujus. Scripserunt de ea Authores plurimi, sed illud maximum est, quod nomen ejus scriptum sit in libro vitæ.

DIE XXVII. JANUARII.

B. OTTO CAPPENBERGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus II. Henningii.

Widekindus I. Rex Saxoniæ.

Widekindus II. Dux Saxoniæ. Uxor Imetza, neptis Pipini Regis Francorum, & poſt aliquot generationes,

Hermanus I. Comes Cappenbergæ.

Godefridus Comes Cappenbergæ.

B. OTTO Comes Cappenbergæ.

Wigbertus Dux Saxoniæ.

Bruno Dux Saxoniæ.

Luitholphus Dux Saxoniæ.

Otto Magnus Dux Saxoniæ.

Henricus Auceps Dux Saxoniæ.

Otto I. Roman. Imperator, Uxor -- Adelheydis vidua Lotharii Regis Italiæ, Uxor Ottonis I. Imp.

Ehrentrudis filia Luitfridi Comitis Habſpurgici. Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus Rex Burgundiæ.

Nexus II. ex MSS. Cappenbergenſibus.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Caluus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex Francorum.

Carolus Simplex Rex Francorum.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ, qui fuit filius S. Rudolphi Regis Burgundiæ Jurenſis.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſala Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator Romanor.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor Friderici Ducis Sueviæ.

Fridericus Dux Sueviæ. Uxor Juditha vel Juttha filia Henrici Ducis Bavariæ.

Fridericus I. Imperator Barbarossa, à quo post duodecim generationes nata est Maria Burgunda Caroli Audacis filia, Uxor Maximiliani I. Imperatoris Austriaci.

N. Soror Agnetis, Uxor N. de Hohenloë Comitis Suevi.

Beatrix Sueva, Uxor Godefridi Comitis Cappenbergici.

B. OTTO, & B. Godefridus Comites Cappenbergenses.

MSS. Cappenb. ap. Bolland 13. Januar. Comment. præv. §. 11. num. 56. & §. 6. n. 28.

Chifflet. Vindic. fol. 98.

Alios Nexus vide supra in B. Godefrido, & alibi per Mathildem Burgundam.

Acta Synoptica.

FRatrem primo divinæ voci obtemperantem persecutus OTTO, mox secutus, ex lupo evasit ovis: & qui fraterna bona Deo donari ægrè tulerat, ipse sua etiam ex asse in ejusdem Cappenbergensis Cœnobii & Virginii Wesalienſis fundationem contulit. Minus verò egerat, nisi idem vitæ genus amplexus, fratri diu superstes totum se Deo mancipasset. Defuncto Ottone secundo post S. Norbertum loci Præpositо Anno 1152. ipse Antistes electus laudatissimè præfuit annis octodecim, eximius cultor Deiparæ & S. Joannis Apostoli, Præmonstratensis novellæ tunc familiæ præclarissimum ornamentum pariter & augmentum. Piè decessit Anno 1171. die 27. Januarii eidem tumulo cum fratre B. Godefrido illatus, Beati titulum meruit in Præpositorum Catalogo. Cætera ab aliis exspectamus.

Mallinkrot in Indicul. MSS. Cappēber. Bolland. ad vitam B. Godefr. §. 10. & seqq.

DIE XXVIII. JANUARII.

S. CAROLUS MAGNUS IMPERATOR.

Magna Merovingorum Progenies,
Magnus Habſpurgo-Auſtriacorum avus.

GENEALOGIA.

HAbſpurgo-Auſtriacos Principes & Archiduces à Magno CAROLO traxiſſe originem cum multiplici prærogativa ante Galliæ hodiernos Reges, ſatis ſuperque oſtendimus in prolegomeno, probatis omnibus gradibus à Meroveo ad CAROLUM, à CAROLO ad Rudolphum I. Imperatorem Habſpurgicum: nec inficias quisquam ire poterit, niſi qui nodum in ſcirpo quæſierit. Proinde hîc unicum ſtemma delineamus, à Meroveo exorſi.

Stemma Merovingo-Carolingum.

Meroveus Rex Francorum.

|

Childericus Rex Francorum.

|

Clodoveus primus Chriſtianus Rex Francorum.

|

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Romani.

|

Arnoaldus Dux Moſellanus.

|

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

|

Anſegiſus Dux Moſellanus.

|

Pipinus Dux Brabantiæ.

|

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

CAROLUS Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Impeartor.

Ca-

Carolus ſimplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Com. Habſpurgici.

Wernerus I. Comes Habſpurgicus.

Otto Comes Habſpurgicus.

Wernerus II. Comes Habſpurgicus.

Wernerus III. Comes Habſpurgicus.

Albertus Dives Comes Habſpurgicus.

Rudolphus Comes Habſpurgicus.

Albertus Sapiens Comes Habſpurgicus.

Rudolphus I. Imperator. Uxor

Theodoricus II. Dux Lotharingiæ ſuperioris.

Gerardus II. Dux Alſatiæ.

Gerardus Comes Egensheimenſis.

Udalricus Comes Egensheimenſis.

Henricus I. Comes Egensheimenſis.

Simon Comes Egensheimenſis.

Henricus II. Comes Egensheimenſis.

Anna Uxor Alberti Comitis Hochenbergenſis.

Anna Comitiſſa Hochenbergenſis.

Albertus I. Habſpurgicus Dux Auſtriæ, Imperator, à quo omnes Archiduces Habſpurgo-Auſtriaci.

Acta S. Caroli M. Synoptica.

PIpino *Brevi* an parvo natus eſt MAGNUS CAROLUS Magnorum Auſtriadum Genearcha, primus ê Germano ſanguine Imperator, Regum nepos, Imperatorum Parens juxta & Princeps, in quo nihil non magnum, niſi comparatione majoris, nihil non dignum annalibus, niſi quod eluit lacrymis. Habent enim & terreni ſoles ſuas maculas, ſed quas poſſunt detergere. E tot ſanctis majoribus exſpectari non potuit niſi ſancta progenies, derivatura in poſteros ſanctitatem. Clodovei, Clothildes, Radegundes, Clodoaldi, Gunthrami, Gondulphi, Ferreoli, Tharſitiæ, Sigeberti, Dagoberti, Arnulphi, Waldetrudes, Clodulphi, Beggæ, Gertrudes Hadelogæ, Landradæ, Godegrandi, Ithisbergæ Carolinam Geneſim ceu ſtellæ cœlum implent, quas inter ipſe nobiliſſimus Planeta, nondum ceſſat ſplendoribus poſthumis irradiare Germaniam. Ab ineunte ætate corporis & animi dotibus Heroicis ornatus regno ſe parem oſtendit, dignum imperio: cùm bella gereret pacis causâ, pacem ſanciret animarum non corporum bono. Adortus gentes barbaras noluit ſibi ſubjectas eſſe, niſi ſuave Chriſti jugum reciperent, quas inter Saxones triginta trium

Eginhardus in vita.

Baron. Anno 814.

Andr. Sauſſay. in Martyrolog.

Flodoard. in Hiſt. Rhemenſi.

Bolland. ad 28. Jan.

an-

annorum bello attriti, Slavi, Bohemi, Boii, Hunni proſcripto Idolorum cultu veram fidem amplexi, magna ex parte illi ſuæ debent converſionis felicitatem. Romam voti cauſâ quater adiit, in Eccleſiam D. Petri mirè munificus, in Vicarios Chriſti ſumma animi demiſſione propenſus. Paucis omnia ejus facinora complecti non licet, nec multa contrahi poſſunt in Synopſim. Appono tamen fragmentum verbis Sauſſay. Rem divinam in æde ſacra aſſiduè obivit, neque ſtatas preces & Canonicas, ſeu diurnas ſeu nocturnas, cùm potuit, unquam neglexit. Sacris operantes magna religione attendit. Myſticam ſuppellectilem, veſtem, vaſa, omnémque templorum ornatum tam copioſum inſtruxit, ut neque ſacræ januæ tutelam gerentes voluerit profano cultu munus obire. Eccleſiaſtici cantûs harmoniam, ipſe artem pſallendi apprimè callens, ad uſum qui exoleverat, revocavit. Sed & Apoſtolorum corpora, nimirum Simonis & Judæ, Philippi, utriusque Jacobi & Barnabæ, cum S. Bartholomæi capite, immenſisque SS. Martyrum Lipſanis ex pia præda collectis, Tholoſam advexit, & in S. Saturnini Baſilica collocavit. Spolia hoſtium, præſertim Hunnorum, Romam miſit ad ædem D. Petri exornandam. Leonem Papam â ſuis malè tractatum dignitati reſtituit, & divino zelo caſtigavit ejus perſecutores. Concilia plura Sedis Apoſtolicæ aſſenſu cogi, & in iis æquiſſimis legibus morum corruptelam coërceri procuravit. Jam quanta ejus in templa & perſonas templis deſervientes liberalitas, an potiùs profuſio? Novem Sedes Epiſcopales in Germania, templa viginti ſeptem principalia condidit, ut taceamus innumera vetuſtatis vitio collapſa, quæ priſtino nitori reſtituit. Victus illi & veſtitus ad modeſtiam Chriſtianam ac penè religioſam compoſitus, vini potus parciſſimus. Lectio ſacra ad menſam ex ſacris potiſſimùm hiſtoriis & D. Auguſtini libris adhibita, famem ejus præ omni delicato explebat edulio. Clementia in hoſtes admiranda: neminem unquam extra aciem occidi voluit, Saxonum Regi ſæpius refractario, ſæpius victo, nullam aliam irrogavit pœnam, quàm ut ejurato idolorum cultu, ſeriò Chriſti legem amplecteretur, datâ ei in uxorem (an potius filio Widekindo) Imetzâ nepte ſua ex fratre Carolomanno. Tot rebus piè ac præclarè geſtis obſequentiſſimus Eccleſiæ filius, magnanimus Religionis defenſor, meritus nomen *Chriſtianiſſimi* Imperatoris, cilicina veſte penè decennio uſus, multis lacrymis delicta eluens, tandem ſanctiſſimè obdormivit Anno Octingenteſimo decimoquarto, poſt obitum etiam clarus miraculis, & poſt trecentos & plures annos per Fridericum I. Imperatorem levatus ê tumulo, & publicis honoribus conſenſu Sedis Apoſtolicæ coli cœptus. De quo alii, qui à paucis volunt intelligi; Elogia ingenioſa, qui à multis, hiſtorias fuſiores conſcribunt. De Canonizatione ejus non conſtat, niſi per Paſchalem III. Antipapam. Cum Sancti tamen titulo, tacitè conſentiente Apoſtolicâ Sede, colitur in multis Eccleſiis Germaniæ, ſub ritu eriam duplici propriis ordinatis officiis, de quibus plura Bollandus, qui tot fatetur eſſe ſcriptores vitæ Magni CAROLI, ut multis Tomis comprehendi non poſſint.

Eâdem

Eâdem DIE XXVIII. JANUARII.

B. MARGARITA UNGARA,

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus, | Albertus I. Imperator Auſtriacus. | Agnes Auſtriaca, cujus Maritus ——— Andreas III. Rex Ungariæ.

Andreas II. Rex Ungariæ. — Stephanus Poſthumus. | Bela IV. Rex Ungariæ. | B. MARGARITA.

Acta Synoptica.

ETiam Pannonia parit Margaritas in tempeſtate. Pretioſum minantis cœli munus MARGARITA Ungara Belæ IV. Regis, & Mariæ vel Chunegundis ejus conjugis filia, concepta eſt, cùm ingens Tartarorum procella effuſa in Ungariam extremo regnum excidio parabat involvere. Ejectus in litora Dalmatiæ Bela cum conjuge uterum ferente ceu naufragus cœlum reſpicit, vovet ſi decumani fluctus inſultantis Barbarici turbinis detumeſcant, prolem quæcunque naſceretur, divino ſe cultui mancipaturum. Reo voti naſcitur filiola, quam MARGARITAM dici voluit, triennem Sanctimonialibus D. Dominici educandam commiſit; quæ cum ætate irrorantis divinæ gratiæ hauſtu intra cellam ceu conchulam ſuam, miro incremento ad ſanctitatis inæſtimabile pretium coaluit. Adhuc infantula nihil geſſit infantile; quadriennis horas B. Virginis perfectè recitare addidicit. Ad luſum cum æqualibus vocata, aut Magiſtræ imperio juſſa, ſolvebatur in lacrymas, audita ſubinde dicere: *Intremus Eccleſiam, ſalutemus DEUM, & B. Virginem, iſte ſit ludus noſter.* Tam ſerio luſu facilè eluſit inimici inſidias. Chriſti Crucem, in qua Salvatorem paſſum pro humano genere didicerat, ſummo ſemper proſecuta eſt affectu, amplexari, & coram ea millies procumbere ſolita, ſecum etiam geſtare voluit. Nec minùs devota Virginum Virgini, nullam ejus feſtivitatem præterire paſſa eſt, quin præmiſſo pridiano jejunio pane & aqua contenta, diem ipſum recitatis mille Salutationibus Angelicis, ad ſingulas ſeorſim in terram procidens, tranſigeret. Viliſſimo inter ſorores habitu indui volupe illi erat, novum reſpuens aut commutans. Ab anno quinto ætatis linea, & à corpore & à lecto excluſit. Septimo verò anno aſperum induta cilicium toto Adventu & Quadrageſima, præcipuis quoque Chriſti ac Deiparæ ſolennitatum vigiliis, & totius anni decurſu à die Jovis ad Sabbathi Completorium geſtare ſolita, in omni vita eum ſervavit tenorem. Flagris quotidie in corpus ſuum piè ſæviebat, & non rarò à ſororibus impetravit ut virgis per eas ad uſq; ſanguinis effuſionem cæderetur. Triduo verò ante Paſcha ſingulis horis à die Cænæ Domini ad veſperum Sabbathi ſancti die ac nocte flagra iterabat, ab omni cibo ac potu, imò & ſomno abſtinens, ut mirum videri debeat Regiæ Virginis tenellum corpuſculum tanta ſuſtinere potuiſſe. Verùm is, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, integrabat vires, cùm etiam de media nocte cubiculo, in quo Virgo à ſororibus flagellabatur, divinum lumen infunderet. Hujus illi

S. Antonin. P. 3. tit. 23. cap. 13. Thurocius in Chrō. Ungar. Joan. Dugloſſ. in vita B. Chuneg. Tomus Marnavit. de Illuſt. Illyrica Eccl. Petrus Ranzan. Epitome rerum Ungaric. Fr. Garinus Ord. Prædic. in vita. Laurent. Surius. Franc. Haræus. Pet. Ribadeneira. Heriber. Rosweyd. Jacob. Doublet. Sylvanus Razzius. Renat. Benedict. Guliel. Gazæus. Joan. Bolland. To. 2. Jan. ad diem 28.

etiam poteſtatem fecit DEUS, ut in tenebris ſibi & aliis Solem juberet illuceſcere. Ægrotis maxima ſerviebat charitate, ſibi tamen ſervitia exhiberi cùm nollet, morbos, quoad potuit, diſſimulare noverat. Quæ aliis horrorem & nauſeam, ipſi delicias creabant; ſcabiem, ſaniem, & ulcera contrectare, & mundare avida etiam in ancillis. Fuit quæ octodecim annis decumbens ventris fluxu & vomitu emaciata, tantum fœtorem emitteret, ut nulla ei ſervire vellet. Hîc verò MARGARITA occaſionem virtutis arripiens, à Prioriſſa obtinuit ſervitium ab aliis recuſatum. Munditiæ externæ in ſe negligens, tanto ſtudioſius curabat internam, unde oblatas Ducis Poloniæ, Regis Bohemiæ, ac tandem Caroli Regis Siciliæ nuptias conſtantiſſimè repudiavit, adeò ut promiſſa etiam diſpenſatione Pontificia, dicere audita ſit; malle ſe naſo ac labiis præciſis deturpari, & oculis privari, quàm in cujusquam mortalis copulam conſentire. Tum incitato ad virtutem curſu, vivens adhuc in cœlum ferebatur, cùm ardenti Orationis ſtudio ſæpè intenta, ultra cubitum â terra ſublimis in aëre viſa eſt divinis abſorberi deliciis. Tandem miraculis multis in vita & poſt obitum clara, prædicta ſororibus mortis die, triduo ſolo ex febre decumbens, munita ſacramentis ad extremum halitum orans inter illa verba: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, felicem animâ cœlo transmiſit. Anno Chriſti 1270. ætatis vigeſimo Octavo, cum 24. annos & menſes aliquot in Cœnobio exegiſſet. De matris ejus genere nonnulla inter hiſtoricos diſceptatio eſt. Alii enim Græcorum Imperatoris filiam fuiſſe volunt, ut Thuroczius. Spalatenſe Epitaphium ſororibus ejus poſitum Theodoro Laſcari eam attribuit: quando verò illud Epitaphium poſitum ſit, ignoratur. Alii Miecislai Ducis Halicienſis filiam ſcripſerunt; unde Bollandus quæſtionem indeciſam reliquit. Urſina Romana familia eam apud Sanſovinum, & MSS. quæ vidi, inter ſua decora numerat, & Chunegundem Urſinam matrem MARGARITÆ appellat, quod & Joa. Bapt. Ferrarius in quadam Oratione, & Julius Cæſar Recupitus in Panegyrico expreſſit. Veroſimile eſt Belam IV. Regem, qui Anno 1235. coronatus ſcribitur, & obiit anno 1275. id eſt quinquennio poſt Margaritam, geminas habuiſſe conjuges, & ex priore Chunegunde natam B. Margaritam, ex altera verò Maria Græca Catharinam & aliam Margaritam, quæ Spalati ſepultæ ſunt. Atverò Chunegundem filiam Ottonis Pii Marchionis Brandenburgici nuptam fuiſſe Belæ IV. tradit Henninges, qui etiam primus, quod ſciam, ſcripſit Brandenburgicos ex Urſinis oriundos. Hinc eorum opinio, qui B. MARGARITAM Urſinis adſcripſerunt, originem habet. Sed res hæc eſt altioris indaginis. Quòd verò ſcriptores rerum Ungariæ non meminerint hujus Chunegundis conjugis Belæ IV. nihil mirum, quia tota Ungarica Hiſtoria turbata eſt, & manca; præſertim in Genealogiis: ſimiliter verò nec Græci ſcriptores meminerunt filiam aliquam ſive Theodori Laſcaris ſive Alexii Angeli Comneni, qui iis temporibus in Græcia vixerunt, nuptui traditam Regi Ungariæ.

Thurocz. cit. Marnavit. de SS. Illyrican. Piſtor. Niddan. Bolland. cit. in Comment. præv. Jo. Bapt. Ferr. in Oration. Recupit. To. 2. Panegyric. 8. MS. Urſina. Joſephus Bonafede in MSS. Franc. Sanſovir. lib. de Urſinis.

DIE

DIE XXIX. JANUARII.

S. MODERICUS EPISCOPUS ARESITENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio derivat Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.

S. MODERICUS Episcopus Aresitensis, cum fratre S. Ferreolo, & sorore S. Tharsitia.

B. Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

S. Arnulphus Marchio.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi & Habspurgici aliâ viâ.

Alios nexus vide in SS. FERREOLO & THARSITIA.

Acta Synoptica.

SAnctis adnumeratum MODERICUM fratrem B. Arnoaldi & S. Ferreoli, veteres plures affirmant; sed quo die natalis ejus recurrat, nondum ait sibi compertum Bollandus. Acta æquè latent; id unum ex Gregorio Turonensi habetur: Lingonensi Episcopo S. Tetrico ægrotante, Clerus successorem expetit MODERICUM, qui à Rege indultus ac tonsuratus Episcopus ordinatur, sub ea specie, ut dum B. Tetricus viveret, hic Ternodorense castrum, ut Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur: migrante verò decessore succederet. In quo castro dũ habitaret, iram Regis incurrit: asserebatur enim contra eum, quòd ipse Sigeberto Regi adversus fratrem suum Guntheramnũ venienti, alimenta, & munera præbuisset. Igitur extractus à castro, in exilium super ripã Rhodani, in turri quadam arcta atq; detecta retruditur: in qua per duos ferè annos cum grandi cruciatu commoratur: obtinente B. Nicetio Episc. Lugdunũ regreditur; habitavítq; cum eo per duos menses. Sed cùm obtinere non posset à Rege, ut in locum, unde dejectus fuerat, restitueretur, nocte per fugam elapsus ad Sigeberti regnũ transiit, & apud Arisitensem vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus Diœceses XV. quam pridẽ Gothi quidã tenuerant. &c. Hæc S. Greg. de MODERICO, quem sancto fine clausisse vitam, nefas sit dubitare, cùm Sancti nomen meruerit apud veteres. Illud observandũ circa illa tempora & primis seculis fuisse multos Episcopos quarundam Ecclesiarum, quæ tamen ex fundatione non erant Episcopales; hinc non mirũ in antiquis scripturis reperiri tam abstrusa & minimè communia nomina, quæ in Episcopatuum Catalogis non reperiuntur, uti manifestum fit ex hoc ipso loco de S. MODERICO, qui cùm debuisset fieri Lingonensis Episcopus, interea in exiliũ pulsus, tandem Episcopali infulâ & potestate ornatus in Arisitensi vico functiones Episcopales exercuit.

S. Greg. Turon. hist. lib. 5. c. 5.

Bolland. To. 1. Jan. in Vita S. Tharsitiæ, & To. 1. Feb. fol. 296.

DIE

DIE XXX. JANUARII.

S. ALDEGUNDIS VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Bertharius Rex Thuringiæ.

S. Radegundis Uxor Clotharii I. Magni Regis Francorum.	S. Berthilia Comitiſſa, Uxor Walberti IV. Com. Hannoniæ.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.	S. ALDEGUNDIS Virgo Malbodienſis.	S. Waldetrudis Uxor S. Vincentii Madelgarii.

Alios nexus vide in S. Berthilia, S. Gertrude Pipini Regis filia &c.

Acta Synoptica.

Hucbald. Elnon. in vita.

Anon. antiq. vitæ auth.

Baſil. Athenſis.

Andr. Tricquetius. in vita.

Baldric. in Chron. lib. 2. cap. 36.

Hubert. in vita S. Gudulæ.

Bucelin. Menol Benedict.

Andr. Brunner in faſt.

Bolland. ad 30. Jan.

DIva ALDEGUNDIS regali Francorum Regum proſapiâ oriunda pleriſque vetuſtis authoribus ſcribitur. Walbertum Hannoniæ Comitem patrem habuit, Berthiliam matrem, Albo Divorum inſcriptos. Eam mater digno generis connubio copulare cùm vellet, conſtanter obnixa virgo, non alium admiſſura ſe dixit, quàm cujus prædia ſint cœlum, & terra, & mare, & cujus fundi atque divitiæ nunquam deficiant. Et verò quî aliter loqueretur, quàm vox cœlo allapſa, quæ juſſit uni Agno caſtum ſervare thalamum, palmâ interim & veſte nitidiſſima arrhæ loco datis? Ad id ipſum eum Angelus Tutelaris viſibili forma conſpicuus hortaretur, quam mater telam in ſyndones nuptiales offerebat, eâ Neophytos veſtiit ALDEGUNDIS. Ad Caſtrilocenſe poſtea Cœnobium profecta, ſacríſque diſciplinis à S. Waldetrude ſorore inſtituta, ad Sambram poſtea & Malbodium Monaſterium conſtruxit, ubi turbam Virginum DEO dicatarum congregavit, quibus prædia ſua, poſſeſſionésque, quas amplas habuit, publicâ donatione conſignavit: ſe ipſam inſuper Chriſto emancipans. *Cætera verò univerſa* (ita loquitur Hucbaldus Monachus) *in uſus pauperum delegavit, nihil ſibi præter vile reſervans indumentum ſanctæ Religioni congruum, victúmque quotidianum, quo cum reliquis ancillis Dei communiter vivebat, &c.* Non tamen ita communiter, ut non cœterarum ſortem ſupergreſſa copioſioribus ê cœlo gratiis ditaretur. Angelicorum enim ſpirituum alloquio frequentius recreata, nuncium etiam accepit à Regina Angelorum, quo jubebatur petere, quod vellet. Alacriter reſpondit ALDEGUNDIS, id ſolum ſe deſiderare quod Dominus vellet, Chriſtique voluntatem in ſe fieri unicè optare. Principis Apoſtolorum & ipſiusmet Chriſti viſione digna habita, magnis paſſibus an curſibus ad ſublimem ſanctitatis apicem contendit. Templum ſubituræ clauſæ aliquando fores, prodigioſè reſeratæ ſunt, quin & candela miniſterio Angelico accenſa. Vidit nonnemo Chriſtum inter Angelicos cœtus ad cornu altaris conſiſtentem, ſuæ colloqui ALDEGUNDI. Cùm fractas aliquando vi-

res fontanæ hauſtu reſtaurare vult, aqua ſubitò in generoſiſſimum vinum mutata eſt. Mortem S. Amandi Epiſcopi Trajectenſis,ê cujus manu ſacrum velum ſuſceperat, in ſpiritu vidit, ſimul monita ad eandem cœleſtis gloriæ coronam ſe præparare. Cúmque afflictionem aliquam,ut pleniusin hac vita purgaretur,optaret,cancri ut vocant,morbo laborare cœpit, quo veluti Martyrio ac Purgatorio quodam excocta ſub mortem cæleſtis luminis ſplendore circumfuſa placidè obdormivit, ante & poſt obitum multis illuſtrata miraculis. Agunt deea plures authores in margine adducti. Theodorus Rhay allegato Martyrologio Caniſii, tradit eam fuiſſe S. Baſini Regis & Martyris filiam: quod aliorum Genealogiis repugnat.

DIE XXXI. JANUARII.

S. VERONUS CONFESSOR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator:

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ. — Carolus Calvus Imperator, à quo cæteri Carolingi, & ex iis Habſpurgici.

S. VERONUS Confeſſor, cum ſorore S. Verona.

Acta Synoptica.

INventum eſt Anno Chriſti milleſimo quarto corpus S. VERONI, per ipſiusmet Sancti revelationem, nullo alio addito titulo, quàm quòd Veronus appellatus ſit, objeritque tertia Calendas Aprilis. Translatio verò facta eſt die 31. Januarii, ut habetur in Florario his verbis: *Apud Lembeckam in confinio Brabantiæ & Hannoniæ depoſitio* S. VERONI *Confeſſoris de ſtirpe Karolidarum, cujus propalatio pridie Calendas Februarii.* Quòd ejus ſoror fuerit S. Verona (licet dubitet Henſchenius) teſtatur Hagiologium MS. rubeæ vallis propè Bruxellam: *Vita ſanctorum geminorum* VERONIS *& Veronæ de ſtirpe Karolidarum progenitorum.* Acta intercidiſſe ait author miraculorum, quæ poſt inventionem collecta ſunt. Olbertus Abbas Gemblacenſis. Nihilominus Sauſſayus, & ex eo Gabriel Bucelinus hæc de S. Verono referunt: VERONUS nepos Ludovici Pii Imperatoris relictis ſeculi pompis Monaſterio à ſe extructo ſe incluſit, ubi egregiis effulgens virtutibus, æternæ beatitudinis munera conſecutus eſt. Cujus corpus cum S. Veronæ ſororis, & ejusdem propoſiti religioſi conſortis primo Lambecæ conditum, pòſt ad Montes Hannoniæ translatum eſt. Claruit magnâ miraculorum gloriâ, & in Caſtrilocenſi Cœnobio religioſiſſimè aſſervatur. Miracula quæ poſt inventionem contigerunt, illuſtria ſanè ſunt: inter quæ puella à nativitate cœca opem S. VERONI inclamans, & candelam in manu tenens, ipſa viſum, candela lumen è cœlo recepit: contracti, muti, ſurdi, paralytici plures curati, candelæ etiam ſæpius divinitùs accenſæ, quæ fuſiore ſtylo proſequitur Olbertus Abbas, qui floruit ſeculo decimo tertio. Rayſſius in Hierogazophylacio teſtatur: Montibus Hannoniæ in nobili collegiata Eccleſia Dominarum Canoniſſarum S. Waldetrudis, ſacrum corpus S. VERONI depoſitum adſervari in theca, quæ ex ære affabrè confecto eſt conflata. Lembecæ verò haberi portionem aliquam reliquiarum ejusdem ſancti VERONI, quæ in capſa feriâ ſecundâ Pentecoſtes defertur Tubeccam. Et ſunt, teſte Galopino, ſinciput, brachium, & aliquot oſſa. Laudetur Deus in Sanctis ſuis.

Florar. MSS. Hagiolog. Rub. Vallis MS. Olbert. Abb. in hiſt Invent. Sauſſay. in Martyrolog. Gallic: Bucellin. Menol. ad diem 30. Mart. Rayſſ. in Hierogazophyl. p. 456. Henſchē. To. 3. Martii fol. 845.

Eâdem DIE XXXI. JANUARII.

B. LANDOLUS VEL LANDEOLUS EPISCOPUS, COMES HABSPURGICUS.

GENEALOGIA.

Ottopertus Comes Vindonissæ & Altenburgi. Anno 670.
|
Babo Comes Vindonissæ & Altenburgi.
|
Rotpertus Comes Vindonissæ & Altenburgi.
|
Hettobertus Comes Vindonissæ & Altenburgi. Anno 766.
|
Ramptechtus Comes Vindonissæ & Altenburgi.
|
Guntramus I. Comes Vindonissæ & Altenburgi.

Luithardus Comes Vindonissæ & Altenburgi, stemmatis propagator usque ad hodiernos Comites Habspurgicos, & Austriæ Archiduces.

B. LANDOLUS vel Landeolus Episcopus.

Acta Synoptica.

LANDOLUS Comes Vindonissæ & Altenburgi, cujus posteri à Rapatone atnepote nominati sunt Habspurgici, in Chronico Constantiensi scribitur S. LANDEOLUS, Guillimanno verò est LANDOLINUS vel LANCELINUS, Eggerardo LANDOLOHUS. In Monasterio S. Galli educatus Episcopalem Insulam consecutus est, incertum tamen cujus Ecclesiæ. Trevirensem Archiepiscopum nominant Constantienses tabulæ; alii Narnienſem, alii Darvienſem; ubi verò ille Darvienſis Episcopatus, nondum licuit indagare. Si Gualteri Catalogus Episcoporum Trevirensium inspiciatur, & conferantur Hettonis, Thietgaudi, & Bertholdi Episcoporum anni regiminis cum Annis Christi, desunt anni 11. ut proinde inter Thietgaudum & Bertholdum videatur reponendus B. LANDOLUS, qui obiit Anno 877. sed Bertholdo nihilominus decem anni regiminis adimendi essent. Verùm quia nuper Masenius in Epitome Annalium Trevirensium accuratè videtur collegisse Episcopos illius sedis, & distinxisse annos regiminis, nec tamen LANDOLI ullius meminit, verosimilius arbitror, LANDOLUM Habspurgicum fuisse solum titularem aliquê Episcopum, qui vicinus S. Galli cœnobio in paternis bonis vitam sanctam egerit, sæpius invisens S. Gallum, & limina Apostolorum, quod elicitur ex illis Eggerardi verbis: *De ipso* LANDALOHO *sancto Darvienſi Archiepiscopo pauca scribere necessarium puto. Suevus hic & nobilis erat, apud S. Gallum quidem educatus, & doctus, cujus Vindonissa cum multis aliis hæreditas erat. Igitur Episcopus factus Romam pergere solebat. Per Jovis itaque montem transiens ibat: per septimum autem rediens Gallum & Hartmuotum suum salutabat. Devoverat autem S. Gallo Lollingam villam dare, sed cognatis renitentibus conquisitionis suæ loca quædam cuidam Udalrico Comi-*

Eggerard. in vita Salomonis Episc. Constant. Guillimañ. Habspurg. lib. 3. c. 6. Chron. Constant. mihi fol. 720.

Comiti, ut Gallo Abadort cum eisdem locis diſponeret, concambiens tradidit. Rediit autem tandem aliquando Româ, & ad Gallum ſuum tendens Italici aëris vitio febri correptus, vix ad Roſchanchin pervenire prævalens, Hartmuoto cum fratribus ad ſe advocato, nobiliter diem obiit. Diſpoſuit igitur adhuc vivens ad titulum S. Petri, cui ibat, qui eſt in cœmiterio S. Galli, capellam quâ itinerans utebatur, cum reliquiis & libris, & omnibus utenſilibus ſacris, in quo & corpus illius cum omni honore humatum eſt. Phreneticus, ut ajunt in ſeptimo ejus, ſuper illius corruens tumbam ſanus ſurrexit. Tradunt & alias infirmitates ſæpè illic meritis illius curatas. Ita Eggerardus apud Guillimannum, qui cenſet B. LANDOLUM obiiſſe circa annum 877.

Finis Menſis Januarii in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
FEBRUARIUS.
Sive
ALBERTUS I. TRIUMPHATOR,
&
FERDINANDUS IV. AMABILIS,
Habſpurgo-Auſtriaci Cæſares.

NEptuno ſacer olim erat Februarius. Neſcio quid hic Deaſter commune habeat cum ALBERTO I. & FERDINANDO IV. Auſtriacis, niſi quòd alter ad *Aquas* violentâ morte peremptus, alter immaturo funere elatus, omnium populorum ſæculis materiam dederit lacrymarum. Utriusq; tamen Manibus Februa indicimus, cùm eorum nominibus hunc menſem ſignamus: niſi potiùs libeat lychnuchos accendere, & faces immortalis virtutis præferre poſteritati. Nam

ALBERTUS I. TRIUMPHATOR,

Cæſar Cæſari, Nepoti Cæſus.
Triumphator hoſtium, hoſtia domeſticorum.
Eo tamen feliciſſimus,
Quòd primus Auſtriaco-Marianus.
Utà Patre docilis Tyro didicerat,
Veteranus MARIAM coluit.
Quid agis calame?
Albo moliris inſcribere, ſuo ſanguine purpuratum?
Muricem lacti miſces?
Sed venialis hic error eſt.
Bellè ornat purpura candorem innocentiæ.
Vir antiqui ævi
Auſtriaco artificio in purpura ſervavit candorem:
Credidiſſes conchyli adnatum unionem.
Exoſus Aulæ fucos.

Ignavum fucos pecus habuit inſidiatores.
Æmulæ victor dextræ,
Dextræ cognatæ ſuccubuit, an ſiniſtræ?
Certè ſiniſtro caſu!
Stare dignus more Auſtriaco poſt victorias.
Erras iterum calame:
Stat, qui Virgineâ fulcitur manu.
Romanum fuiſſe ſcias, niſi malis dicere *Marianum.*
Nam emiſſurus magnam animam
Invocato auxilio Virginis glorioſiſſimæ
Ingremio Epiſcopi Spirenſis ſuum reddidit ſpiritum.
Felix caſus, qui cadentem erigit.
Nunquam ſtatur in morte melius
Quàm tali caſu!
Nunquam pronuntiatur ſecuriùs
Io triumphe!

Primus hic ex Habſpurgicis Auſtriæ Dux Purpuram bis tinctam induit, alieno & proprio ſanguine cruentatam. Adeò nulla eſt magna felicitas ſine magnis infortuniis. Aſſurgenti ad ſummum rerum apicem Auſtriæ ingentes objectæ ſunt tempeſtates, ut inter procellas naſceretur candidus Unio, quo Auſtria deinceps fatali velut quodam connubio uniretur Imperio. Jungamus nunc Purpurato Imperatori Candidatum Imperii.

FERDINANDUS IV. AMABILIS,

Romanorum Rex, non Annorum.
Thetidis ac Solis filiæ, Cœli ſereni lacrymæ,
Candidi uniones
Signate nomen.
Non aliis debet defleri lacrymis,
Nec aliis notari calculis
FERDINANDUS
Purpuræ Imperii Candidatus,
Vix datus, illicò ereptus.
In terris *Quartus*, in cœlo Tertius.
Matrem cùm non poſſet prævertere, anteceſſit Patrem
Ordine præpoſtero,
Ut ante Solem Heſperus occumberet
In terris Phœnomenon, in cœlis ſtella fixa.
Siccine igitur
A juventute dictus Junius infeſtus eſt juventuti?
Et audet ante Sirium urere
Florem Majalem præcipitans in languorem?
Non jam Sol Cancrum ingreſſus eſt, ſed Cancer in Domum Solis:
Spes Auſtriæ facta eſt retrograda!
O diem atrum!
Licet *Felicitatis* nomine obſignatum:
Septem Filiis *Felicitas* non contenta
Octavum hunc cœlo transmiſit.
O *Quarto* fatalem
Decimam diem Quintilis!
Quæ decimavit fructum Auſtriæ nondum maturum.
Fallor!
Maturuit, qui in Adoleſcentia expreſſit Virum:
Et ratâ Metaphorâ ſenium tranſtulit in juventutem.
Noluit Romanus Rex
Romanum *Meſſis Feſtum* negligere,
Ultrò ſe Mortis falci ſubmiſit.
Adorare *Frumentum Electorum* ſolitus
In vere ætatis Æſtatem exhibuit.
Quàm fertilis ab eo Autumnus exſpectari potuerit
Ex eo collige:
In flore fructum dedit;
Canos morum habuit ante annos.
Spectare tamen ad Autumnum eſt viſus,
Qui ab ipſa pueritia nihil acerbum habuit.

Morituro terra ingemuit ſuo motu,
Quaſi de cœlo conqueſta
Quod ſibi delitias ſuas eriperet.
Verùm demus hanc cœlo veniam,
Quod rapuiſſe creditur, commodatum recepit.
Non enim computat annos tempore, ſed factis.
Diuturna illi ſæpè ſunt, quæ nobis *diurna*.
Rex cùm eſſet, à ſeipſo auſpicatus eſt regnum.
Ut aliis vitam extenderet, contraxit ſibi.
Futuri natura præſcia
Cùm parem nobis Fratrem ejus dederit, injuria non fuit;
Et minùs gratia.
Debitum illa ſuum repetiit, hæc depoſitum.
Natalem cum MARIA communem ſortitus
Communia penè habuit feſta.
Eodem Naſcentis die primùm
Incorporari voluit MARIÆ filio corporato
Avitâ Auſtriæ Pietate.
Candidi Leonis Bohemiæ Coronam accepit
Cùm coleretur Candida
MARIA ad NIVES.
Viſitantem in terris extremo morbo, viciſſim
In cœlis voluit *Viſitare*.
Quidni
Salomon Amabilis Domino
Amaretur à Matre Amabili, Matre Sapientiæ,
Cui *Mores* ſuos conformaverat, & *Amores*.
Oſtendit demùm illa
Angelos regnare in terris poſſe, deberi cœlo.
Utrobique ſolicitos
PRO DEO & POPULO.

Februarium Neptuno ſacrum jam diximus; diceremus etiam Auſtriam paſſam *naufragium in portu*, cùm exſpiraret FERDINANDUS IV. niſi pro illo nacti fuiſſemus LEOPOLDUM, qui velut alter Fabius inter Electorum moras *Cunctando reſtituit rem*. Sanè ſi Q. Fabio Maximo Conſuli Triumphales fuerunt Calendæ Februarii de Liguribus, omnes anni Calendæ erunt triumphales LEOPOLDO, qui plurium annorum Februa
Zelo Auſtriaco indixit hæreſibus.

CALENDIS FEBRUARII.

S. SIGEBERTUS REX FRANCORUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Chilpericus Rex Sueſſionum.
|
Clothatius II. Rex Francorum.
|
Dagobertus I. Rex Francorum.
|
S. SIGEBERTUS Rex Francorum Auſtraſiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.
|
B. Arnoaldus Dux.
|
S. Arnulphus Dux, & cæteti Moſellani, ex his Carolingi, ex Carolingis Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Victorioſis nominibus Auſtraſii Reges præluſerunt Victoriis Auſtriacis; SIGEBERTUS alter dominatricis familiæ conditor, alter ſanctitatis exemplar, hic Dæmonum, ille Hunnorum triumphator. Quantus futurus eſſet SIGEBERTUS Dagoberti Magni filius, Orator pro poſteritate ac Domo ſua Habſpurgo-Auſtriaca, in cunis oſtendit. Quadrageſimo à natali die cum luſtralibus undis tingitur, baptizanti S. Amando Epiſcopo reſpondet *Amen*. Vix adoleverat, cùm Samo ê mercatore Franco Dux Vindorum in Carinthia & Carniolia nominatus, latè per Thuringiam ſigna circumferebat victricia, ſuæmet infeſtus patriæ, vel ideò, quia Dux alienæ. Opponitur illicò Samoni SIGEBERTUS, & ut alacriùs imperia exequatur miles, regio inſignitus diademate, ex Dagoberti patris voluntate Metis regiam auſpicatur. Satis id erat Auſtraſiis habere SIGEBERTUM Regem, tametſi adoleſcentem, ex cujus nomine augurium, ex virtute & ſanctitate ſpem certam haberent victoriæ. Collata ſigna, congreſſæ acies, & mitis Auſter violentam Boreæ tempeſtatem diſflavit. Tumulato patre & pace in regno ſancita *laborabat* SIGEBERTUS (verba ſunt Haræi) *obviam ire aë eis catervis, qui ſecum bellarent exercitus*. Eo fine duodecim condidit Monaſteria, & amplis inſtruxit reditibus, quæ inter Stabulenſe & Malmundarium celeberrima. Uſus eſt in hoc præclaro opere conſiliis potiſſimùm Chuniberti Colonienſis Epiſcopi, cui à puero ceu moderatori vitæ à patre commendatus erat, & S. Remacli Tungrenſis Epiſcopi. Nempe facilè nobis adhærent eorum mores, quorum familiaritate utimur, & primus ad ſanctitatem gradus eſt converſari cum ſanctis. Obiit munificentiſſimus in Eccleſias Rex, relicto poſtſe filio Dagoberto, Calendis Februarii Anno ætatis 31. regni 17. qui erat Chriſti 656. illuſtratus poſt obitum pluribus miraculo-

Sigeb. Gemblac. in Vita. Fredegar c. 75. & ſeqq. Mon. S. Dionyſ. cap. 36. & ſeqq. Aimoin lib. 6. cap. 38. & 41. Jac. Moſand. Append. Surii. And. du. Cheſne To. 1. hiſt. Franc. Bolland. ad 1. Febr. Franc. Haræ. in Vita ex Sigeb. Gemblacenſi.

culorum ſignis. Corpus tumulo illatum Metis, poſt annos quadraginta elevatum eſt incorruptum, & rurſum poſt annos quingentos, & ſeptuaginta duos prorſus integrum, omnis maculæ expers, non ut mortui, ſed quaſi dormientis repertum, translatum eſt. De quo fuſiùs Authores vitæ, Sigebertus Gemblacenſis, Fredegarius Scholaſticus, Aimoinus, Surius, Haræus, Bollandus, & alii.

Eâdem DIE I. FEBRUARII.

B. BRIGITTA VIRGO ABBATISSA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Pieſpordii, Hennigis, Lazii.

Ramprechtus Comes Habſpurgicus.

Hugo I. Comes Habſpurgicus.

Hugoprechtus Comes Habſpurgicus, Dux Burgundiæ Transjuranæ.

Hugo II. Dux Burgundiæ Habſpurgicus.

Conradus Habſpurgicus, Dux Burgundiæ, Uxor Ehrentrudis vel Ermentrudis Habſpurgica, filia Luitfridi Comitis.

Rudolphus I. Habſpurgicus, Rex Burgundiæ I.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgundiæ. Uxor Mathildis Carolinga, filia Ludovici IV. Transmarini Regis Francorum.

Giſela Uxor Henrici Hetzelonis, Ducis Bavariæ.

B. BRIGITTA V. Abbatiſſa Ratisbonenſis.

S. Henricus II. Imperator, Uxor S. Chunegundis.

B. Giſela Uxor S. Stephani Regis Ungariæ.

Nexus II. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomañus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Hathunigis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ, aliis dicta Luitgarda.

Lotharius I. Imperator.

Lotharius Rex Lotharingiæ, Uxor Thietperga ſecundùm quoſdam Habſpurgica.

Hugo Rex Italiæ.

Ru-

Ermengardis Comitiſſa Namurcenſis.
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ.
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cœteri.

Henricus Auceps Imperator.
Henricus Rixoſus, Dux Bavariæ.
Henricus Hetzelo, Dux Bavariæ.

Lotharius IV. Rex Italiæ, Uxor Adelheydis filia Rudolphi Regis Burgundiæ ſecundùm quoſdam Habſpurgici.

B. BRIGITTA V. Abbatiſſa Ratisbonenſis.

S. Henricus II. Imperator, Uxor S. Chunegundis.

B. Giſela Uxor S. Stephani, Regis Ungariæ.

Acta Synoptica.

Rader. Bav. S. To. 1. f. 102. Boll. To. 1. Feb. ad 1. diem in prætermiſſ.

DE patre S. Henrici II. Imperatoris dubium movet Raderus, eúmque non ê ſtirpe Saxonica ſed Bavarica ortum ſcribit: quam litem cœteris pleriſque ſcriptoribus indictam non vacat hic diſcutere, videantur quæ ad acta S. Henrici Imp. die 14. Julii delibo. Pium dici in Epitaphio non Rixoſum facile credam, quia agnomen Rixoſi vulgo habuit, quod elogio inſeri non congruebat. Cœterùm triadem ſobolis, præter Henricum, agnoſcit idem Raderus educatam à S. Wolffgango, & ſingulis ab eodem prædictam ſuam fortunam, cùm ſcilicet Henricum adhuc parvulum Imperatorem, Brunonem Epiſcopum, Giſelam Reginam, BRIGITTAM Abbatiſſam appellitare conſueſſet. Præfuit autem Cœnobio Virginum Ratisbonæ excitato à patre Henrico, ſuaſu S. Wolfgangi Epiſcopi. Sancta nominatur in quodam Calendario Benedictino, ut aſſerit Bollandus. Aliud de ea nondum legi.

DIE II. FEBRUARII.

S. ADALBALDUS DUX DUACENUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Bucelini, & Pieſpordi,

Richimo vel Richomer Princeps, cujus Uxor S. Gertrudis filia Theodobaldi Ducis.

Gerberta aliis Getberga, quin & Bilthildis Uxor N. - - ſecundùm Blondellum & Bucelinum, Ægæ vel Ægani Majoris Domus.

Sigefridus Comes Pontivenſis. Uxor S. Bertha.

Erchinoaldus Clodovei II. Regis Præfectus Palatio.

Leodiſius Major Domus Regiæ, Uxor N. - - - - ex ſanguine S. Sigismundi Regis Burgundiæ.

Atticus ſeu Ethico Dux Alſatiæ, Uxor Bereſuindes ſoror Bilhildis Reginæ.

Adelbertus vel Albericus Dux Alſatiæ, Uxor Gerlindis.

Luitfridus Dux Alſatiæ. Uxor Hiltrudis Habſpurgica, quæ Ottobertum nepotem adoptavit, à quo omnes Habſpurgici.

S. ADALBALDUS Dux Duacenus, Uxor S. Rictrudis.

S. Cloſendis. S Adalſendis. S. Euſebia. } Sorores.

S. Maurontus earum frater.

Acta Synoptica.

ADALBALDUS Sanctâ prognatus aviâ, ſanctæ maritus conjugis, ſanctas Orbi daturus proles, exornat hanc diem, an potiùs Domum Habſpurgo-Auſtriacam non tam mundi Regnatricem, quàm cœlitum generatricem. Aviam habuit S. Gertrudem, quæ viduata marito Monaſterium Hamaticenſe conſtruxit, eique præfuit prima Abbatiſſa: Matrem Gerbertam, patrem virum haud dubiè nobiliſſimum (nam de Æga multi dubitant) quia Regibus conſanguineum. Id teſtantur verba Chronici Marchianenſis: *Beata igitur Rictrudis ex generoſa Wasconum proſapia (Regium ſtemma & Senatorum genus optimum) nobiliter orta,* ADALBALDO *Francorum Duci potentiſſimo ſub Rege Dagoberto, Clodovei videlicet patre, fratríſque ipſius Sigeberti Auſtraſiorum Regis, qui ipſius erant conſanguinei, nobiliter nupta, genuit ex eo filium nomine Maurontum, & tres*

Hucbald. Etnon. in Vit. S. Rictrud.

Auth. Vitæ S. Euſeb.

Joan. Monach. Elnonenſ.

Jo. Buzelin. lib. 1. Flandrogall.

Author. Chron. Marchianen. Fredegar. c. 84. Aimoin. lib. 4. c. 8. Chron. Malleac. ap. Labbè. To. 2. Bolland. To. 1. Feb. die 2. fol. Epit. 296. 6. 7. Andr. Sylvius in hiſt. Merovin. Raphaël Beauſchamp. Tract. de Weſtergotth.

tres filias Virgines Sanctiſſimas, Cloſendem, Euſebiam, & Adelſendem. Has ille ad omnem pietatem erudiit. Plures alii proles tribuunt, ſanctos videlicet Terreolum & Modericum, ſed immeritò, ut ſuo loco conſtabit. Suffecit illi hæc ad cœlos quadriga. Virtutes ejus paucis perſtringens Author vitæ S. Rictrudis, inquit: Vir non ad uxorem amarus, ſicut ſe ipſam diligebat, & illa timorem viro deferens ſubdita erat, ſicut oportebat in Domino. Erat ambobus veræ dilectionis indicium idem velle, & idem nolle: ſed in ipſo apice nobilitatis, multo nobiliorem matri Eccleſiæ quotidie impendebant. Et poſt nonnulla: *Vir ab omnibus benè habens teſtimonium*: utique bonis, quibus ſolis placuit: expertus illam veritatem: *Inimici hominis domeſtici ejus.* Ægrè hi tulerunt contractum cum Rictrude matrimonium: unde proficiſcentem in Vaſconiam, diſpoſitis inſidiis trucidarunt. Sed malis diſplicuiſſe, nullum vitium eſt, utpote quibus etiam ipſe Deus non placet. De cæde ſancti viri memoratus Chronographus Marchianenſis: *Cùm autem ab impiis capite multatus fuiſſet* (ut quædam ſcriptura refert) ambabus manibus caput ſuum aſſumens, ad Eccleſiam, in quâ tumulandus erat, devexit. Ad cujus ſepulchrum multa illo tempore miracula facta ſunt. Hinc Joannes Elnonenſis Monachus, & alii eum Martyris titulo non verentur donare, præſertim cùm extet (teſte Bollando) in Eccleſia S. Amati Duacena Catalogus Sanctorum vetuſto charactere conſcriptus, in quo S. ADALVALDO ducis locus inter Martyres aſſignatur: & in antiqua tabella ibidem legitur Antiphona: *Iſte eſt, qui propter ſuum Martyrium factus eſt perfectus amicus Dei. Verſ. Gloria & honore &c. Adeſto quæſumus Domine populo tuo, ut Martyris tui* ADALBALDI *merita præclara ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam ſemper ejus patrociniis adjuvemur.* Videtur hinc formari poſſe conjectura, quòd non propter connubium, ſed ob juſtitiæ, ac purioris fidei, vel ſanctioris vitæ ſtudium â cognatis ſuis ſit cæſus: præſertim cùm illis temporibus adhuc Vaſcones Idola coluerint, ut coævus author Baudemundus refert. Hæc breviter de S. ADALBALDO, de ejus conjuge & liberis alibi ſuo loco.

Eâdem

Eâdem DIE II. FEBRUARII.

S. HADELOGA V. ABBATISSA KITZINGENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

B. Ansegisus M. Dux Brabantiæ, Uxor S. Begga.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, Uxor B. Plectrudis.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ, Uxor Chunhildis. — S. Gertrudis Carleburgensis.

Pipinus Brevis Rex Francorum, Uxor Berthrada. — S. HADELOGA V. Abbatissa Kitzingensis.

S. Carolus Magnus Imperator, à quo per varias deductiones Habspurgici.

Acta Synoptica.

INgens Orbis malum suspicio, quæ multos aut perimit, aut premit innocentes: in amicos etiam, in sanguinem proprium & prolem crudelis est. Sed DEUS benè utens malis, suspicionem Caroli Martelli, quâ urebatur, vertit in bonum filiæ HADELOGÆ. Hæc nubilis, at nuptias exosa, frustrà sæpius à patre cœtui cuipiam Deo sacratum Virginum adjungi petiit; repulsam passa, quia plurium Regum ac Principum thoris exambita. Versabatur in aula Martelli Clericus opum dives, sed ditior virtutum, & quod rarissimum est in aula prorsus innocens. Hic HADELOGÆ à patre malè tractatæ compassus, & verò etiam hortator servandi propositi, frequentiori illius alloquio imitavit crabrones, ollares aularum amicos, quibus ex alieno malo, privatum accrescit bonum, prodire ante Principes non soliti, nisi cùm prodere satagunt. Oneratur probris probitas, arguitur non satis honesti cum Virgine commercii Clericus, & quod amorem Martelli erga utrumque mereri debuerat, iniqua suspicione traducitur in odium. Rea est filia, quasi procos aversata Regios, ut clam sacerdotis pareret voluptati. Jussus illico exesse ab Aula Clericus, cum Virgine probrosi criminis insimulata. Tum primùm HADELOGA propositi exequendi libertatem nacta, in liberalitatem effusa est, & adnitente suo virtutis pædagogo intra nemora Franconiæ Cœnobium condidit, Virgines sub D. Benedicti regula Deo servituras collegit, ipsa earum vivendi arbitra & exemplar. Clericus interim profectus Hierosolymam, sancto illic fine quievit. Et dum Martellus evanescente iniquæ suspicionis nebula, bonæ famæ odore allectus, filiam multarum jam Virginum matrem invisit, multisque donariis auget Cœnobium; pervisum ei se sistit Clericus, suam & Virginis innocentiam contestans, ac intra anni cursum supremum ei vitæ diem denuntians, latam pridem mortis senten-

Anonym. Author Vitæ Canon. Bodec.

Hieron. Dungershem. Encom. S. Scholasticæ.

Brusch. de Monast. German.

Trithem. in Comp. Annal. & lib. 3. de viris illust. Ord. Bened.

Dorgan. in Calend.

Hugo Menard. in Martyrol.

Bucelin. in Menologio.

Joan. Nadasi in Anno Sancto.

tiam, quam pœnitentia ad id temporis suspendisset. Territus eo visu Martellus, filiam quam prius malè suspectam habuerat, deinceps ceu sanctam suspexit. HADELOGA verò eos in virtute propressus fecit, ut viva etiamnum Thaumaturga audiret. Militem suo Monasterio tributarium à latronibus occisum, per canem, qui cæso in Sylva Domino mœstus redierat, divina inspiratione agnovit. Canem itáque cum famulis ad locum cadaveris insepulti ire jubet, & herum ostendere: quod ille velut rationis compos ad amussim præstitit. Rursus vocatis omnibus subditis, in authorem cædis inquirens, cùm nemo reos proderet, ad canem conversa: Vade, inquit, in nomine Domini, & prode reos hujus criminis, cujus patrati tu solus testis interfuisti. Mirum dictu: canis illico percussorem aggressus, gutture illius præmorso strangulavit, alterum qui vestes heri abstulerat, ita toto corpore laniavit, ut nec vestis ulla lacinia, nec membrum corporis integrum remaneret, evidenti argumento sanctitatis HADELOGÆ. Tandem de die mortis edocta divinitus, convocatis sororibus suprema documenta, pauperibus copiosam eleemosynam elargita, die Purificatæ Virginis, cui devotissima semper vixerat, spiritum cœlesti suo sponso reddidit, pluribus inscripta Martyrologiis, à pluribus etiam Ecclesiis sacris honoribus coli solita. Miracula ejus plura consignarunt authores, quæ inter illud: quod sanctimoniali dissolutæ per quietem apparens, ei dixerit: *Soror charissima, ecce venit Christus, præpara te in occursum ejus*: quibus verbis omnem ab ea tentationem totâ vitâ propulsavit. Alteri quoque immodestè ad tumulum suum accedenti apparens, alapam infregit, & modestam reddidit. Pauperem etiam eleemosynis monasterii sustentatum per visum corripuit, & in orando solertiorem reddidit.

Eâdem DIE II. FEBRUARII.

S. BRUNO DUX SAXONIÆ MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus M. Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludolpus Dux Saxoniæ. — Ludovicus Rex Germaniæ.

S. BRUNO Dux. Luitgarda, cujus maritus

Ludovicus Junior Rex Germaniæ.

Nexus II. ex iisdem Carolingis.

Carolus M. Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ. — Carolus Calvus Imp.

Carolomanus Rex Bavariæ. — Ludovicus Balbus Rex,

Arnulphus Rex Bavariæ, Imp. — Carolus simplex Rex.

Hedwigis Bavara, aliis dicta Luitgardis. — Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ,

Ermengardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii, Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri.

Ludolphus Dux Saxoniæ.

S. Bruno Dux M. — Otto Magnus Dux, Uxor-

Henricus I. Auceps Imp.

Otto I. Magnus Imperator, Uxor Adelheydis Burgundo-Habspurgica.

Acta Synoptica.

BRunswigæ conditor BRUNO patrem habuit Luitholphum, qui ex Magni Widekindi prosapia ortus, propter vitæ integritatem, ac morum probitatem charus omnibus, virtute militari formidabilis hostibus, Danorum vires ita attrivit, ut eo vivente nullam partem Germaniæ tentare sint ausi. Romam Religionis causâ profectus, inde sacra lipsana attulit B. Innocen-

Annal. Fuld. ad an. 880. Diethmanus lib. 2. Chron.

Widikind. Mon. lib. 1. Annal.

Gelen. in faſtis Agrippinenſ.

Adamus Brem. lib. 4. c. 34.

Albert. Staden. ad an. 876.

Ericus Pomeran. in hiſt. Dano.

Albert. Crantz. Saxon. lib. 2. cap. 31.

Chron. Epiſc. Mindens.

Bolland. ad 2. Feb. & alii apud hunc.

tii Papæ Anno 859. Duo præterea Cœnobia condidit Bruneteshuſen & Gandersheim, in quorum poſteriore tres ejus filiæ Hathomudis, Gerberga, & Chriſtina ordine ſibi in Abbatiſſæ munere ſucceſſerunt. His aliisque de ſubditis & Eccleſia DEI meritis Luitholphus primus familiæ ſuæ intulit Ducis titulum, cùm priùs Marchio nominaretur. Succeſſit ei in Ducatu ſenior primùm filius BRÜNO, qui ſtudio propagandæ fidei paterna premens veſtigia contra Nordtmannos pugnavit. Habebat ſecum in exercitu Epiſcopos Theodoricum Mindenſem, Marquardum Hildesheimenſem, Dodonem Paderbornenſem, Drogonem Oſnabrugenſem, Aufredum Trajectenſem, Albertum Hamburgenſem, Edolphum Verdenſem, Comites item duodecim, Satellites Regios octodecim, præter reliquam militum turbam, qui omnes ad Ebekhesdorff aquæ exundatione concluſi in hoſtium poteſtatem venerunt, atque ab iis in odium Chriſtianæ fidei trucidati ſunt. Quorum corpora cùm ab invicem diſcerni non poſſent, illic tumulata ſunt, ubi poſtea inſigne Cœnobium Monialium conſtructum fuit, totam eam turmam Martyrum religioſo cultu & honore proſequentium. Sed miraculis DEUS ſanctos ſuos honoravit, cùm ex oſſibus eorum ſalubre oleum manavit, cùm eo loci præſumens villanus fœnum falcare, & jumentis porrigere, pœnas dedit, ipſe cum uxore omni ſenſu privatus, pecora verò crepuerant. Plura de S. BRÜNONE Duce, aliisq; SS. Martyribus Authores in margine allegati. Contigit hæc Martyrum cædes Anno 880.

die 2. Feb.

DIE III. FEBRUARII.

S. BERLENDIS VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Author Florarii agens de S. Berlende hæc habet: *Apud Merebecam in Brabantia translatio S. Berlendis Virginis, filiæ S. Odelardi Comitis, quæ & ipsa extitit de stirpe Karolidarum.* Quâ verò serie generationum ex Carolingis processerit, hactenus investigare non licuit. Interim fragmentum apponimus.

Seranus Comes Herbatilicus, quem alii Ducem Aquitaniæ nominant, Uxor Amantia.

Nonna Uxor S. Odelardi Comitis Hombergensis. — S. Amandus Episcopus Trajectensis.

Eligardus Comes, ab Ungaris interfectus. — S. BERLENDIS Virgo.

S. Nonna. — S. Celsa.

Acta Synoptica.

PRofuit BERLENDI ægro patri Odelardo malè ministrasse, ut ejus gravi castigatione modicam elationem dediscens ad profundissimum se demitteret suimet contemptum. Petebat æger pater à filia aquæ poculum, quod cùm exhibuisset illa, iterúmque reciperet, dedignata ex eodem illoto bibere, residuum aquæ effudit, poculum eluit, & tum demum aqua recenti plenum ori admovit. Displicuit patri factum filiæ, & ob unicum hoc delictum conscenso curru ad D. Gertrudis Cœnobium Nivellam abiit, ibique signatis tabulis solenni forma per cespitis, rami, & cultelli traditionem, omnem suam substantiam D. Gertrudi pridem sepultæ obtulit: filiámque ex asse exhæredavit. Tulit patienter filia impatientiam patris: acceptavit sinceri cordis oblationem D. Gertrudis. Cùm enim Odelardus ad ejus tumulum accedens, Divam alloquitur, térque quatérque inclamat: *Sancta Gertrudis hoc munusculum de manu mea suscipe, & noli me peccatorem ante te flentem ac ejulantem spernere, ni velis ut donum hoc aliis daturus abscedam.* Res mira! confestim Divæ tumba se aperit; illa exerto inde brachio manúque apprehendit Odelardi munus, cespitem, ramum, cultellum, & intra tumbam recipit, stupente populo qui adstabat, videbátque magnalia Dei. At BERLENDIS paternis haud dubiè meritis ad rerum terrenarum contemptum excitata, id etiam, quod in quotidianas necessitates concedebat pater, elargiri pauperibus, fastum omnem ponere, jejuniis, vigiliis, ciliciis corpus exercere, & magnis passibus ad fastigium virtutis eniti cœpit. Relicta demum paterna domo, Morsellam ad Cœnobium sanctimonialium se contulit, sacróque suscepto velo, multò adhuc alacriùs ad sanctitatem contendit. Ibi post annos aliquot patrem defunctum divinitùs intellexit, cùm ejus animam inter concentus Angelorum ad cœlos deferri audiit, unde obtentâ Præfectæ Cœnobii facultate, paternos lares repetiit, corpus tumulo inferri curavit, & cùm Morsellense cœno-

Anon. MSS. Vitæ author. Author Florarii. Wion in ligno Vitæ. Gelen. Molan. Addit. Usuardi Pahier in Menol. Virg. Rosweyd. in hist. Eccles. Belg. Bolland. ad 3. Feb. Bucel. in Menolog.

cœnobium non pridem ab Hunnis vaſtatum ægrè ſenes Virgines aleret, ipſa domi remanſit, vicinam Eccleſiam aſſiduè frequentans, & vitæ aſperitate quaslibet incluſas ſuperans. Cilicium nudo corpori applicatum nunquam depoſuit, pro lecto ſtoria, pro cervicali lapis erat, cibum Dominicis ac feſtis diebus & bis ſolùm per hebdomadam admiſit; carnem aut piſcem à die ſuſcepti ſacri veli nunquam guſtavit, plerumque ſolo pane & aqua jejunavit potiùs quàm refecta eſt. O nos nimium delicatos, qui ad tam delicatæ Virginis abſtinentiam non erubeſcimus! Conſulto an fortuito die Paſchatis illi appoſitus fuit à domeſticis ſuis piſcis, ejus attactu in carnem verſus. Territa Virgo ad miniſtrum: Ignoſcat tibi Deus, cur mihi illudere voluiſti, carnem apponens, quam ſciebas me non comeſturam. Negante illo obfirmatè, intellexit factum id eſſe voluntate divina, & guſtatâ modicâ particulâ repoſuit. Aquam etiam illi aliquando appoſitam repentè in vinum verſam Annales memorant. Sic nempe delitiabatur cum Virgine cœleſtis ſponſus, donec cœlo maturam, poſteaquam ſeptendecim annos ab obitu parentis rigidiſſimo vitæ genere expleviſſet, ad triumphantis Eccleſiæ Virginea agmina evocaret: in terris nihilominus magnis honorans prodigiis: quæ fuſiore calamo alii proſequuntur. Quàm multis amplæ hæreditates ruinæ occaſio ſunt, BERLENDI exhæredatio, compendium fuit ad ſanctitatem. Obiit Anno 667. impoſita tumbæ ligneæ, quæ miraculo in lapidem eſt ſolidata: ut conſtaret orbi, nihil in ea molle fuiſſe, quæ tam durum vitæ genus fuiſſet amplexa.

Eâdem DIE III. FEBRUARII.

S. WEREBURGA VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiorum, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Charibertus Rex Parisiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, & cœteri post hunc Mosellani, à quibus Carolingi, dein Habspurgici.
	Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.	
	Eadwaldus Rex Cantiorum.	
	Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga filia Annæ Regis Anglorum Orientalium.	
	S. Ermenilda Uxor Wulpheri Regis Merciorum.	
	S. WEREBURGA Virgo.	

Acta Synoptica.

QUatuor Regnorum sanguinem Regium in se derivavit WEREBURGA, quem in servato Virginitatis flore DEO sacravit. Anglo-Saxonum, Cantiorum, Francorum, Anglorum Orientalium, & Merciorum. Si magnum est à magnis nasci, majus certè à Sanctis parentibus prolem sanctitatis imitatricem generari. Mater ei Ermenilda sanctissima fœmina, quæ in Aula Monasterium habitare visa, sic filiam erudiit, ut terrenarum deliciarum generosa contemptrix, spretis Regiorum procorum ambitionibus, uni Christo conjungi desideraverit. Ergo ad Elienſe Monasterium provolans, sub materteræ Æthelredæ, & aviæ suæ S. Sexburgæ disciplinâ adolevit, sacro velo donata brevi tempore facta cœteris sororibus vitæ norma, & digna quæ pluribus dein Cœnobiis præficeretur Magistra. Mortuo Vulphero patre decimoseptimo regni anno, qui fuit Christi 675. Ermenilda mater idem Elienſe Cœnobium ingressa, suave jugum Domini subiit. Certabant alterna pietate mater & filia, quæ humilior, quæ subjectior esset. Ermenilda suspiciebat filiam quia Virginem, WEREBURGA verò Ermenildam quia matrem: gaudebat utraque tam vinci quàm vincere in cursu virtutis. Patruus Ethelredus, qui Wulphero fratri in regno successerat, animadversa Virginis singulari prudentia simul & sanctitate, eam omnibus Merciorum regni Cœnobiis præfici curavit Antistitam, ut sacræ institutionis, cujus erat perfecta discipula, in multorum salutem decentissima foret magistra. Nihil ex hac prælatione adhæsit WEREBURGÆ fastus; sed demissionis studium tanto ardentius arripuit, omnibus ministram se potiùs exhibens, quàm Magistram, matrem quàm Dominam. Ipse patruus Rex Ethelredus sancta ejus conversatione permotus, purpuram posuit, in Bardenienſi Cœnobio

Goscelin. Mon. in Vita. Guliel. Cambden. Joan. Capgrav. in Legend. Sanct. Anglo. Histor. Elienſ. Mon. Edovard. Maihau. Tract. peculi. de S. Harpsfeld. Sec 7. c. 23 Florent. Wigom. ad an. 675. Westmonast. ad an. 676. Vinc. Bellovacen. Spec. lib. 25. c. 32. Pet. de Natal. lib. 11. c. 67.

Monachum indutus, ubi inſigni effulſit ſanctitate. WEREBURGÆ verò merita Deus reſpiciens, voluit adhuc in terris poſitæ impenſum honorem, ut quo in pretio illam haberet, ſignis ac miraculis oſtenderet. Fortè ad Wedonam regij patrimonij ſedem ingens ſylveſtrium anſerum turma advolaverat, quæ fruges depaſcebatur: Villico quiritanti imperat Virgo, ut totam illam Anſerum catervam ad ſe adducat. Mirari ille ac ridere imperium, quòd pennata animalia ſolo acceſſu ſuo territa crederet evolatura. Id tamen juſſus, anſeres alloquitur: Ite ad Dominam noſtram. Sic illa jubet. Mirum viſu! omnes illico inſtar oviculaſum ſequuntur villicum, & ſtabulo ſe includi patiuntur. Manè autem clangoribus quaſi abeundi licentiam poſtularent, impetrarunt dimitti. Sed cùm unam ex iis quiſpiam miniſtrorum furto ſublegiſſet, poſtquam abire ſunt juſſæ, ſupra tectum habitaculi Virginis conſederant, ingenti rurſum clangore quaſi repetentes ſociam furto ablatam. Id Virgini mox innotuit, & furto reſtituto omnes dimiſit liberas, nec ab eo tempore Wedonæ ulla ejusmodi avis unquam ampliùs viſa. Cúm verò WEREBURGA plurium Cœnobiorum curam gerens ſolicitè modò his modò illis adeſſe vellet, corpus tamen ſuum Hamburgenſi Cœnobio deſtinavit, præmonens Hamburgenſes, ubicunque moreretur ab illis tolli, & ſepulturæ mandari. Matura igitur cœlo cùm obiiſſet in Tricengehamenſi Cœnobio, advenêre Hamburgenſes miniſtri; ſed obſeratis Eccleſiæ portis à Tricengehamenſibus excluſi ſunt; toto populo vigilias ad Eccleſiam exercente, ne ſacrum pignus inde poſſet auferri. Sed placuit Deo oſtendere, ſuæ quoque voluntatis eſſe voluntatem ſanctæ: unde noctu ſomno oppreſſi ſunt omnes cuſtodes Tricengehamenſes, & fores Eccleſiæ ſpontè reſeratæ ſunt Hamburgenſibus, qui ſacrum corpus magnâ reverentiâ ſublatum in ſuum deportarunt Cœnobium, ubi plurima Deus miracula interventu ſanctæ Virginis operatus eſt; corpore poſt novennium toto incorrupto & vivido reperto, veſtibus quoque incorruptis: in cujus veneratione cæci lumen, muti loquelam, ægri ſanitatem pluries receperunt. Claruit Anno 680. Obiit circa annum 706. ut arbitratur Bollandus. Natalem ejus retulit Wion ad 8. Julii; ſed confudit S. Witburgam cum WEREBURGA. Florarii author ad 19. Februarii, ſed plerique hac die 3. Feb. antiquiores conſignant.

Polyd. Virgil. lib. 4. hiſt. Angl.

Andr. da Cheſne. lib. 6. hiſt. Angl.

Bucel. Menol. ad 3. Feb.

Wion. ad 8. Jul.

Hieron. Porter. in florib. SS. Angl.

Bolland. ad 3. Feb.

Malmesburg. lib. 2. de Reg. Angl. c. 13.

DIE

DIE IV. FEBRUARII.

B. JOANNA BITURICENSIS REGINA FRANCIÆ, *FUNDATRIX ANNUNTIATARUM.*

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. à Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Ducis Lotharingi.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo rectâ lineâ hodierni Habspurgo-Austriaci.

Albertus II. Comes Namurcensis.

Albertus III. Comes Namurcensis.

Godefridus Comes Namurcensis.

Aleydis Uxor Balduini III. Comitis Hannoniæ.

Balduinus IV. Comes Hañoniæ.

Balduinus Comes Flandriæ, & Imperator Constantinopolitanus, à quo Austriaci Reges Hispaniæ.

Isabella Hannonia Uxor Philipii II. Regis Franciæ, quæ prima sanguinem purum Carolinum intulit Capetinis.

Ludovicus VIII. Francorum Rex, Uxor Blanca Alphonsi VIII. Regis Castellæ filia.

S. Ludovicus IX. Rex Franciæ.

Philippus III. Rex Franciæ.

Carolus Valesius Comes Alenconii.

Philippus VI. Valesius Rex Franciæ.

Blanca Uxor Rudolphi Habspurgici, filii Rudolphi I. Imperatoris.

Joannes Valeſius Rex Franciæ.

Carolus V. Valeſius Rex Franciæ.

Carolus VI. Valeſius Rex Franciæ.

Carolus VII. Valeſius Rex Franciæ.

Ludovicus XI. Valeſius Rex Franciæ.

B. JOANNA Valeſia, Fundatrix Annuntiarum.

Nexus II. ex Habſpurgo-Auſtriacis.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ. — Albertus I. Imperator.

Eliſabetha Uxor Joannis Lucelburgici Regis Bohemiæ. — Otto Jucundus Archidux Auſtriæ.

Gutta Uxor Joannis Regis Franciæ. — Anna Uxor Ottonis Jucundi Archiducis.

Carolus V. Valeſius Rex Franciæ.

Carolus VI. Valeſius Rex Franciæ.

Carolus VII. Valeſius Rex Franciæ.

Ragundis ſponſa Sigismundi Archiducis Auſt. — Ludovicus XI. Valeſius Rex. — Magdalena ſponſa Ladislai Poſthumi Auſtriaci Regis Bohemiæ.

B. JOANNA Duciſſa Biturigum.

Nexus III. ex iiſdem.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Mechtildis Uxor Ludovici V. Ducis Bavariæ.

Ludovicus Bavarus Imperator.

Stephanus I. Dux Bavariæ.

Stephanus II. Dux Bavariæ.

Eliſabetha Uxor Caroli VI. Valeſii Regis Franc.

Carolus VII. Valeſius Rex Franc.

Ludovicus XI. Valeſius Rex Franc.

B. JOANNA Duciſſa Biturigum, Fundatrix Annuntiatarum.

Nexus IV. ex iiſdem.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Gutta Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ.

|

Eliſabetha Uxor Joannis Lucelburgici,

|

Gutta Uxor Joannis Regis Franciæ.

|

Carolus V. Valeſius Rex Franciæ.

|

Ludovicus Dux Aurelianenſis.

Carolus Valeſius.	Joannes Comes Angoliſmenſis.	Maximilianus I. Imp.
Ludovicus XII. Valeſius, Uxor B. JOANNA Bituricenſis.	Carolus Comes Angoliſmenſis.	Philippus I. Rex Hiſpaniæ Auſtriacus.
	Franciſcus I. Valeſius Rex, Uxor -	Eleonora Auſtriaca. / Carolus V. Imperator Auſtriacus.

Acta Synoptica.

JOANNA Ludovici XI. filia, Caroli VIII. ſoror, ex voluntate parentum juvencula conjuncta eſt Ludovico Aurelianenſium Duci, qui Carolo VIII. Rege abſque liberis defuncto, Regni faſces adeptus, conſilio Procerum, ne Britanniæ Armoricæ Ducatus abalienaretur, Annam Caroli viduam duxit, JOANNA dimiſſa. Cauſa divortii metus præferebatur, & quòd invitus eam duxiſſet compellente Virginis patre Ludovico XI. quódque illius corpus nunquā attigiſſet. Neque JOANNA ſe oppoſuit, ſed libens ad alterius æternique Regis cultum ſe convertit, mente prorſus tranquilla, quòd Alexandrum VI. Pontificem indulſiſſe, & ut loquuntur diſpenſaſſe intellexiſſet: habitans ſe ſuſtentavit, reſiduos in pauperum & pios uſus impendit. Ordinem in honorem cultúmque Deiparæ ab ipſa inſtitutum Alexander Papa Anno 1501. primùm confirmavit; poſt illum Julius, & Leo X. privilegiis auxerunt. Univerſa porro Virginum Annuntiatarum regula nonniſi decem capitibus conſtat, quæ decem primarias Deiparæ virtutes imitandas proponunt, nimirum Caſtitatem, Prudentiam, Humilitatem, Veritatem, Pietatem, Obedientiam, Paupertatem, Patientiam, Charitatem, & compaſſionem, quæ ex nullius Sancti regula vel præſcripto, ſed Evangelicis verbis depromuntur. Veſtis illarum eſt talaris Leucophæa in teſtimonium vitæ pœnitentis, chlamis candida ex humeris ad pedes deſinens, in memoriam Virgineæ puritatis Deiparæ: ſcapulare rubeum in formam crucis ante pectus adaptatum, in memoriam Paſſionis Dominicæ. JOANNA porrò toto curſu vitæ ſanctiſſimè transacto, ferè quadragenaria deceſſit Biturigis die 4. Februarii Anno 1505. & in primo à ſe fundato Ordinis Cœnobio condita eſt, ubi miraculis clareſcit. Copioſiùs alii res ejus proſequuntur. Breviſſimè Sauſſagus: *Rarâ mundi deſpicientiâ admirabilis, ſceptra faſtidiens, Chriſti ſuave jugum aſſumpſit, liliâque ſpinis coronans, ſancto collecto ſodalitio, in aſceterio quod condidit, recluſa eximios omnis virtutis flores, & ſuaviſſimos pietatis odores emiſit, ac demum meritis plena in omni ſanctitate vitam finivit, plurimisque in tumulo claruit ſignis adeptæ beatitudinis.*

Phil. Labbe To. 2. Bibl. fol. 394. Aubert. Myræ. in Chron. Don. in Elog. Sammarthani in Annal. Hilarion Coſtanus in vita. Andreas Fremiot. Archiep. Bituric. Ludovic. Attichius Epiſc. Reiens. Joan. Bolland. To. 1. Feb. ad diem 4.

DIE V. FEBRUARII.

S. ADELHEYDIS V. ABBATISSA VILICENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator:

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

B. Lotharius I. Imperator.

|

Ermingarda Uxor Ratneri Magni Ducis Moſellani.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.		Ricuinus vel Richimerus Dux Moſellanus Comes Ardueñæ obiit Anno 945.	
Luitfridus Comes Habſpurgicus, & cæteri uſque ad hodiernos.		Godefridus I. Dux Moſellanus Comes Arduennæ.	Otto Comes Arduennæ obiit Anno 986.

Godefridus II. ſine liberis Año 986.	Gerbirga Uxor Mengoſi ſeu Megingoſi Dynaſtæ Geldriæ.	Gothelo Dux Moſellanus & Lotharingiæ.	Fridericus Dux Moſellanus.
			Theodoricus Dux Moſellanus.
B. Berthrada Virgo.	S. ADELHEYDIS Virgo Abbatiſſa Vilicenſis.	Godefridus III. Dux, Uxor Agnes Habſpurgica Luitfridi I. neptis.	Giſela nupta I. Erneſto Duci Sueviæ. 2. Conrado II. Imp.
			Henricus III. Imperator.

Acta Synoptica.

NObiles majorum ceræ tunc demum illuſtres fiunt, cùm in cereos abeunt pietatis igne accenſos. ADELHEYDIS illuſtriſſimis nata parentibus, ſed & piis, illuſtrior evaſit ſanctitate. Pater illi Mengoſus (quem ab obitu Megingaudium dixêre) mater Gerbirga Godefridi Ducis filia, alterius Godefridi ſoror, ut vitæ Author Bertha ſanctimonialis commemorat. Monaſterio Vilicenſi à parentibus condito prima Antiſtes data, vitam vixit longè ſpectatiſſimam, eximiæ ſanctitatis argumentis teſtatam. Eam ſanctiſſimus ille Colonienſium Archiepiſcopus Heribertus tanto in pretio habuit, ut in ſtatuendis, quæ res divinas concernunt, libenter ejus uteretur conſiliis, neque indignum Pontificia duceret auctoritate, mulieris tam ſanctæ ſententiam rogare, & quæ ſuaſerat exequi. Claruit etiam inſigni miraculorum gloriâ. Si quam voce rau-

Bertha Monial. in vita. Surius. Haræus. Bolland. ad hanc diem. Aubert. Miræus in faſtis Belg. Herman. Greven. Molanus addit. ad Uſuard.

rauca & diſſona in Choro canentem obſervaret ex ſororibus, objurgare ſolebat leni manu in faciem eædens, & correpta ſoror illico ſonora & delectabili voce potita eſt, totâ deinceps vitâ expers raucedinis: ſi quam longa ægritudine laborantem videret, hanc quoque ſeveriùs objurgare cœpit quaſi Cœnobio inutilem, pigram ac deſidioſam, & illicò quæ ægra fuerat priſtinas vires ac ſanitatem recipiebat. Neque interim ſolari neglexit, quæ in ægritudinem primùm inciderant, iiſque ſuis manibus neceſſaria miniſtrare, ſolicita mater non tantùm ſororum, ſed & pauperum, quibus alendis certos Monaſterio reditus aſſignavit, ut perpetua inde cederet egenis alimentatio. E Vilicenſi Cœnobio ad Colonienſe evocata, duplicis Abbatiæ oneri planè non ſuccubuit: quin utrique magna & prudentia & charitate providit: donec meritis plena in Colonienſi domicilio, prædicta priùs ſua morte Heriberto Archiepiſcopo, & ſumpto ſacro viatico, migravit ad ſponſum. Inſtantibus ſororibus Vilicenſibus, ut ſacrum corpus in earum Eccleſia conderetur, negavit primùm Heribertus; ſed divina cognita voluntate, navi illud impoſuit, quæ ſponte ſua, nondum applicatis remis adverſo flumine moveri cœpit, proſequente Archipræſule & magno cœtu ſacerdotum; quod magnis deinde prodigiis inclareſcens, ab indigenis & advenis honoratum eſt.

Wion. Hugo Menard. Bucel. in Menol. Stangefol. Annal. Weſtphal. lib. 3. Theod. Rhay. in Animab. Illuſtr.

Eâdem

Eâdem DIE V. FEBRUARII.

S. BERTHRADA VIRGO ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA & ACTA.

Greven. ap. Bolland. To. 1. Febr. f. 593. & 715.

FUit ſoror S. Adelheydis, cujus proinde eadem eſt Genealogia. De Actis nihil particulare, quod adducam, reperio. Sanctis ipſa quoque cum matre Gerberga & ſorore Adelheyde adnumeratur ab Hermano Greven Carthuſiano Colonienſi. Bollandus eam recenſet inter prætermiſſas hujus diei; de cultu ſacro ei exhibito nihil ſe comperiſſe affirmans. Nec nobis plura occurrunt, præter id quod in Vita S. Adelheydis ponitur, ubi de filiabus Gerbergæ: *Binæ Coloniæ nuncupatæ ſunt ſervituti, & legi divinæ: una in Monaſterio S. DEI Genitricis MARIÆ, quæ tantâ promovebatur induſtriâ morum, obſervantiâ regularis Imperii, ut dignè conſtitueretur Domina, & Mater illius Monaſterii.* Quæ de Berthrada intelligenda ſunt.

Eâdem DIE V. FEBRUARII.

S. ALCIMUS AVITUS EPISCOPUS VIENNENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Fla. Avitus Imperator abdicavit Anno 456. & ordinatus est Episcopus Placentiæ.

S. Ischius Senator, post susceptas proles Episcopus Viennensis in Gallia.

N. filia nupta Tonantio Ferreolo Præfecto Prætorii Galliarum.

Papianilla Uxor S. Sidonii Apollinaris.

Bouchett. P. 1. de orig. Reg. Franco. Bolland. To. 1. Feb. fol. 660.

S. ALCIMUS AVITUS Episcopus Viennensis post patrem, cum S. Apollinari fratre Episcopo Valentiæ ad Rhodanum, & Fuscina sorore Moniali.

N. Uxor N.

Ansbertus Senator, Uxor Blithildis filia Clotharii Magni Regis Francorum, à quibus Carolingi & Habspurgici certâ & indubitatâ serie, ut in Prolegom.

Acta Synoptica.

VItæ virtutis memor AVITUS, cùm patri successisset in Viennensi cathedra, adversus hæresim Arianam, quæ tunc non solùm Africam, sed & Galliam, Italiámque ex parte occupaverat, magno animo decertavit. Scripsit plurima castigato eloquio, prosâ & metro, quæ veneratur posteritas. Quantas ab hæreticis passus sit persecutiones, fratris ejus Apollinaris vita testatur. Ipsi debet S. Sigismundus Rex Burgundionum suam conversionem, à quo non solùm in fide, sed omni præterea pietate instructus, celeberrimum Monasterium Agaunensium Martyrum Mauritii & Sociorum construxit. Cœterùm Avitus, ut loquitur vitæ Author, *Imperatoribus & Regibus, etiam populo, per Epistolas, per homilias insuper & vivâ voce declamando quasi tonitruum extitit.* Succinctè ejus Elogium complexus est, qui scripsit Epitaphium, è quo pauca decerpimus:

Anon. MS. ex Bibl. Budecen.

Martyrol. Richenavien. Centulen. Roman. Joan. Liuræus in Antiq. Viennen.

Florar. SS. MS. Isidor. Hispalen. de script. Eccles. cap. 23.

Bollandus sup. cit.

Franc. Haræus in Vitis SS. Cæs.

Baron. in Not. ad Martyrol.

Nam, quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin prospice sancti
Gesta viri: primùm floreſcens indole quantâ
Spreverit antiquo demissos stemmate fasces,
Maturum teneris annum dum præstat in annis;
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora Pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat ut soliti felicia cœpta laboris. &c.
Subjicitur magnus, servat mediocria summus;
Distribuit parcus, pascit jejunus, amando
Terret, & austeris indulgentissima miscet:

Cunctantes ſuaſu juvit, ſolamine mœſtos;
Jurgia diſſolvit, certantes fœdere junxit.
Diſſona veridicam inficiunt quæ dogmata legem
Hortatu, ingenio, monitis, meritiſque ſubegit.
Unus in arte fuit, cui quilibet ordine fandi
Orator nullus ſimilis, nullúsque Poëta,
Clamant quod ſparſi per crebra volumina libri.

Obiit ſub Juſtino Imperatore, ſepultus Viennæ Galliæ in Eccleſia Apoſtolorum, circa Annum 520.

DIE VI. FEBRUARII.

S. AMANDUS EPISCOPUS TRAJECTENSIS,

Brabantorum, Vasconum, Alsatarum, & Slavorum Apostolus.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Author Florarii apud Bollandum agens de Elevatione S. Berlendis, tradit eam fuisse filiam S. Odelardi Comitis. *Hujus pater Odelardus Comes fuit inter Antverpiam & Condacum; mater verò soror extitit S. Amandi Episcopi.* Alibi verò ait: *Elevatio corporis S. Berlendis Virginis & sanctimonialis de stirpe Karolidarum.* Non satis exprimit, utrum Carolinum sanguinem traxerit à patre vel à matre; verosimilius est, quòd à matre, cùm S. Amandus, à nonnullis asseratur fuisse ortus ex Ducibus Aquitaniæ. Sic censent Molanus, Yepes, & Bucelinus; adeóque licet ignoretur certa ejus à Carolingis deductio, satis est quòd constet eum fuisse *de stirpe Karolidarum*, cujus hoc est fragmentum.

Serenus Comes Herbatilicus, ex Ducibus Aquitaniæ. Uxor Amantia.

Nonna Uxor S. Odelardi Comitis Hombergensis. — S. AMANDUS Episcopus Trajectensis.

S. Berlendis Virgo. — Eligardus Comes, ab Ungaris Occisus.

S. Nonna. — S. Celsa.

Acta Synoptica.

Puero AMANDUS nomen amabile factis implevit, cùm spretis mundi illecebris, neglectis minis paternis, religiosæ familiæ se mancipavit. Negaturum ajebat pater hæreditatem, si id vitæ institutum amplecteretur: at Amandus generosè ampliorem sibi hæreditatem in cælo suppetere respondit; caveret ipse pater, ne eâ excideret. Adscriptus novæ militiæ penè puer, quantus esset futurus, in ævi diluculo maturè ostendit, cùm ingentis molis anguem oratione suâ in latebras compulit, ut deinceps ampliùs visus non sit. Romam deinde ad D. Petri supplex ivit. Hunc ibi in somnis vidit, & auctorem habuit Galliæ repetendæ. Sed & in puppe eundem tempestate jactatus patronum conspexit. Jam Trajectensi decoratus Insulâ cùm reo, cui laqueo gula frangenda erat, servare precando apud immitem judicem non posset vitam, mortuo restituere potuit. Dagobertum Regem Pontificali auctoritate acriùs redarguens, pro zelo exilium meruit, eôque benè usus, & ad obeundum paratus Martyrium in Vasconiam profectus, ibi gentilibus prædicavit Evangelium. Quin & trajecto Danubio ad Slavos, qui non pridem Carinthiam & Carnioliam occupaverant, & novo Duci Samoni è Francis delecto obtemperabant, progressus, Apostolicum exer-

Baudemond. in Test. S. Amandi. Hariger. Lobien. de gest. Episc. Tung. Philipp. Harveng. in vita. Milo Mon. Elnonen. Gilbertus Elnon. de Translat. Guntherus Mon. S. Amand. de Mirac. ejusdem.

Vincent. Bellovac. ſpec. hiſt. lib. 21. S. Antonin. P. 2. lib. 12. c. 8. Jacob de Vorag. in legẽda. Pet. de Natal. lib. 3. c. 100. Franc. Haræus lib. de Vitis SS. Bollandus lib. 1. Feb. Bucel. Menolog. Benedict. Andr. Brun. in faſtis, & alii.

exercuit munus. Occaſionem tam remotè ſuſcepti muneris prædicandi, ſuſpicatur Bollandus, fuiſſe, quòd Samo Carinthiæ Dux vel Rex ê Brabantiæ pago Senonago ad Senam fluvium oriundus fuerit, cujus conſanguineos in eodem pago jam antè Chriſtianis ſacris imbuerat, & ab iis fortè acceptis ad Samonem literis, operæ ſe pretium facturum ſperaverit. Revocatus ab octennali exilio, Dagobertum jam maturiorem uti ætate ſic moribus, feliciter ſanctitatis, liberalitatis, omniúmque Regiarum virtutum exemplar formavit: filium Sigebertum luſtralibus admovit undis: & cùm ad ſolennes Baptizantis preces nemo reſponderet Amen, id ipſe infans 40. natus dies ſubjecit, unico verbo facundus & in laudes AMANDI, & in præſagium ſuæ ſanctitatis. Inter hæc cùm benè ageret, malè audiit apud improbos, ut ferè ſolent hoc frui privilegio, qui Deo chari. Sed quod ille æquanimiter tulit, ſeverè ultus eſt Deus. Cùm enim nonnemo famam Antiſtitis lacerâſſet, Dœmonem ſenſit carnificem, cujus impulſu, ſuis ipſe manibus laceratus oppetiit. Alii, qui mortem Divo machinabantur, oculis amiſſis luerunt facinus, receptis verò per ejusdem ſancti preces, agnoverunt pœnitentes. Mortuum S. Adelgundis in cœlum deferri vidit AMANDUM, & obviam turbam candidatorum, audiitque hos illos eſſe, quos verbis vitæque exemplis prior ipſe cœlo transmiſiſſet. Hic nempè verus eſt Apoſtolicus ſpiritus, nolle ſolum placere Deo, nolle ſolum cœlos petere. Obitum ejus conſignat Bollandus Anno 684. ætatis 90.

Eâdem DIE VI. FEBRUARII.

S. HILDEGUNDIS FUNDATRIX MARENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Lazii & Henningis.

Luitfridus Comes Habspurgicus.

|

Ehrentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Juranæ.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

Conradus Rex Burgundiæ, Uxor Mathildis filia Ludovici Transmarini Regis Francorum.

|

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

|

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

|

Henricus III. Imperator.

|

Henricus IV. Imperator.

|

Agnes Uxor Friderici Ducis Sueviæ.

|

Fridericus II. Dux Sueviæ.

|

Margareta Uxor Arnoldi Comitis Cliviæ.

|

Hadwigis Uxor Hermanni Comitis Lidtbergæ.

|

S. HILDEGUNDIS Uxor Lotharii Comitis Arensis, Fundatrix Parthenonis Marensis & Abbatissa.

|

B. Hedwigis Virgo Monialis & Magistra.

Alium nexum vide in S. Hedwige die 14. Aprilis.

Acta Synoptica.

RAdicis succum attrahunt thyrsi, & facilè parentum mores imitantur liberi. HILDEGUNDIS matrem habuit Hadwigem Lidtbergensem Comitissam, quæ marito defuncto unà cum tertia filiarum Gertrude Deo servitura, ad Dunwaldense Præmonstratensis Ordinis Cœnobium secessit. Piæ matris exemplum secuta filia, post tumulo illatos maritum & Theodoricum

Pet. Rostius in vita Chrysost. Vander Sterre. in natal. SS. Ord.

filium, altero filio Hermanno Cappenbergæ Monaſticen profeſſo, Chriſtum omnium bonorum ſuorum hæredem conſtituit, & caſtro ſuo Meer ſacrarum Virginum Monaſterium condit, poſteaquam ſumma cum pietate ſacra Apoſtolorum limina inviſiſſet. Collectis Virginibus prima ipſa præfuit, non tam arbitra quàm vivendi norma, & exemplar, probante factum Alexandro Papa III. qui Anno 1178. ſpeciali Bulla Cœnobio confirmationem indulſit. Poſt obitum miraculis claruit, quorum notitiam ſubtraxit prioris ſeculi bellum Colonienſe, & Religionis quaquaverſum mutatio. Beatam & ſanctam jam olim appellatam, & divino etiam honoratam officio, teſtes ſunt plures. Ad ejus invocationem, & applicationem cinguli, quo uſa fuit, parturientes adjutas; pectinis quoque impoſitione cephalea laborantibus auxilium præſtitum, vetera habent documenta. Corpus ejus uti & filiæ B. Hadwigis piè aſſervatum fuit propè ſummum altare Eccleſiæ Marenſis uſque ad deſolationem Truchſeſſianam, quâ Gebhardus Colonienſis Archiepiſcopus à Catholica deſciſcens fide, dimotus à Cathedra, vi quod jure non potuit, ſibi vendicare voluit Paſtorale, factus ê Paſtore Mercenarius.

Joan. Pagius in Biblioth. Præmon. lib. 2. Auth. Chron. Cliviæ.

Bolland. ad 6. Feb.

Eâdem DIE VI. FEBRUARII.

S. INA REX WEST-SAXONUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio derivat Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adiſbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.

S. Eanfleda Uxor S. Oswij Regis Deirorum.

Alfridus Dux Northumbriæ cujus Uxor

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici indubitatâ ſerie.

Cebaldus Rex West-Saxonum.

Kenredus Rex West-Saxonum, cujus frater S. Ceolulphus.

S. Kuthburga.

S. INA Rex West-Saxonum. Uxor S. Edelburga.

Acta Synoptica.

REgium INÆ genus celebrare, opus non eſt, cùm Regium ejus indolem, & in res ſacras prodigalitatem loquantur facta. Libet uti verbis MS. Glaſtonienſis, ut habent Principes, quod æmulentur pariter & admirentur. *Fecit etiam idem Rex* (INA) *conſtruere quandam Capellam ex auro & argento, cum ornamentis & vaſis ſimiliter argenteis & aureis, ac infra prædictam vetuſtam Eccleſiam collocavit. Ad Capellam itaque illam conſtruendam, duo millia, & ſexcentas, & quadraginta libras argenti donavit. Et Altare ex ſexcentis & ſexaginta quatuor libris auri erat. Calix cum patena de decem libris auri. Incenſarium de octo libris & viginti marcis auri. Candelabrum ex duodecim libris & dimidia argenti. Cooperto-toria librorum Evangelij de viginti libris & quadraginta marcis auri. Vaſa aquaria, & alia vaſa altaris, ex ſeptemdecim libris auri. Pelves de octo libris auri. Vas ad aquam benedictam ex viginti libris argenti. Imago Domini, & B. Mariæ, & duodecim Apoſtolorum ex centum & ſeptuaginta quinque libris argenti, & viginti octo libris auri. Pallæ Altaris & ornamenta ſacerdotalia undique auro & lapidibus pretioſis ſubtiliter contexta. Hunc ergo theſaurum ob amorem S. DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, Monaſterio Glaſtoniæ dictus Rex contulit devotiſſimè. Inſuper ſcripto Regio terras, poſſeſſiones, & libertates ejusdem Eccleſiæ confirmavit.* Hæc ibi, & plura apud alios, ex quibus Bollandus potiora ſelegit, profuſiſſimæ in res divinas liberalitatis argumenta. Multi, hoc Rege, Epiſcopatus erecti in Anglia, conſtructæ Eccleſiæ, conceſſæ immunitates, auctæ poſſeſſiones, latæ ſubditis novæ leges. Inter hæc, cùm

MS. Glaſtonien. Cambdenus in Britania. Malmesburienſis. l. 1. de geſt. Pontific. Angl. Chronol. Anglo-Saxonum. Beda hiſt. Angl. lib. 5. cap. 3. Continuator Bedæ lib. 1. c. 3 Edovard. Maiheu ap. Bolland. To. 1. Feb. fol. 905. & ſeqq.

Bucelin. Menolog. fol. 100. ad hanc diem.

cùm annis triginta ſeptem regnâſſet INA, Romam profectus, primus omnium Regum, Angliam vectigalem fecit Eccleſiæ, & denarium ex ſingulis domibus regni ſui B. Petro conceſſit, ad cujus quæſturam ſe in Angliam miſſum, poſterioribus temporibus, fatetur Polidorus Vergilius. Româ reverſus INA, hortatu Ethelburgæ conjugis, abdicato regno, denuo Romam adijt, ubi detonsâ cæſarie, vili habitu indutus (alij putant Monaſtico) diſſimulato genere, inter mendicos, totus divinis intentus ſervitijs, reliquum exegit vitæ. Sociam ſe illi præbuit pia conjunx: *Ita mutuâ caſtitate connexi* (ut loquitur Malmesburienſis) *temporibus ſuis viam hominum ingreſſi ſunt; non ſine magnis miraculis.* Ferunt tamen INA mortuo, Ethelburgam redijſſe in Angliam, & Berklingenſi Cœnobio Antiſtitam præfuiſſe. Obijt verò INA circa annum 778.

Diem ejus natalem hac die conſignat Bollandus.

DIE VII. FEBRUARII.

S. RICHARDUS REX ANGLO-SAXONUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ê Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga.

Lotharius Rex Occidentalium Saxonum. Uxor N. Offæ Regis Soror.

S. RICHARTUS Rex. Uxor S. Bonna vel Wuna Soror S. Bonifacii Episcopi.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, & cæteri post hunc Mosellani, à quibus Carolingi, dein Habspurgici.

S. Wunibaldus. S. Wilibaldus Episcopus. S. Walpurga.

Acta Synoptica.

REgia Anglo-Saxonum propago RICHARDUS, patre Lothario Cantiorum Rege, ut tradunt Wilsonus, Wion, & alii; Regii sanguinis Offæ Regis Orientalium Saxonum Sorore natus, ut ex Philippo Eystadiensi conjecturat Bollandus, à puero semper Christianissimus, liberos suos disciplinam Christianæ Religionis, & viam veritatis, per se ac fideles pædagogos edocuit: unde & S. Wilibaldum adhuc puerum Monasticæ professioni addixit. Proficiens autem de virtute in virtutem, assumptis secum liberis, dimisso regno, peregrinationem difficilem, etiam pauperibus onerosam aggressus, loca sacratiora invisere decrevit. Liberis S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino affini suo commendatis, iter prosecutus, post longa exilia, post famis, sitis, frigoris & æstus ingentes ærumnas, in Italiam pervenit, ac in civitate Luca, sanctæ vitæ sanctam coronidem imposuit coronatus Confessor. Terrenæ exuviæ in Ecclesia S. Frigdiani reconditæ maximis deinceps coruscarunt miraculis: curatienergumeni, paralytici, & laterum torturâ laborantes, manifestè produnt, quàm pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Decessit septimo Idus Februarii, & hac inscriptione sepulchrali, post multos annos appositâ, Lucæ honoratur.

Hic

Hic Rex RICHARDUS *requieſcit ſceptrifer almus:*
Rex fuit Anglorum, regnum tenet iſte polorum.
Regnum dimiſit, pro Chriſto cuncta reliquit.
Ergo RICHARDUM *nobis dedit Anglia Sanctum:*
Hic genitor ſanctæ Walburgæ Virginis almæ,
Et Willebaldi, ſancti ſimul & Wunebaldi.
Suffragium quorum det nobis regna polorum.

Eâdem DIE VII. FEBRUARII.

B. NIVARDUS ABBAS, GERMANUS S. BERNARDI ABBATIS CLARÆVALLENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

IOannes Seyfridus Abbas Claræ-vallenſis ſive Zuvethallenſis in Auſtria, ante annos circiter 60. librum edidit de origine Habſpurgo-Auſtriaca, in quo, ut S. Benedictum inſereret Habſpurgicæ Arbori, amplexus eſt opinionem illam inſulſam & prorſus fabuloſam Pierleoniſtarum, quæ ſcilicet Habſpurgicos oriundos confingit ex Perleonibus & Frangepanibus Romanis, nullo ſolido argumento ſuffultam. Meliori jure poterat ſuum S. Bernardum Auſtriacis innectere, ſed aliam amplectendo opinionem, quod nos facimus, non ſine fundamento. Apud Philippum Labbè in Bibliotheca Nova MSS. reperio, hiſtoriam Epiſcoporum Autiſiodorenſium Authoris Anonymi, inter quos refertur Gulielmus de Scilligniaco Caſtro territorii Autiſiodorenſis, patre Burchardo, fratre Deimberti, ejusdem Caſtri Domino, cujus mater fuiſſe aſſeritur *Aanor filia nobilis Viri Andreæ Domini de Monte Barri, quæ fuit de genere illius Sanctiſſimi Bernardi Claræ-vallenſis Abbatis*, Sanctimoniæ ſpectatæ fœmina, cujus funeralis tumulatio non ſine miraculo aut prodigio facta ibidem recenſetur. Occurrit proinde, cùm etiam author vitæ S. Bernardi adſtruat, matrem ſancti Bernardi fuiſſe *Aleth ex caſtro cui nomen Mons Barrus*, opinari hunc ſanctum maternâ origine deſcendiſſe à Comitibus Moncionis & Barri, ex quibus hodierni Duces Lotharingiæ fluxerunt. Licet verò in horum Comitum Geneſi neque Andream ullum, neque Aanorem, neque Aletham ſive Aleydem reperiam, quibus S. Bernardi cognatio poſſit convenire, non ideò tamen à conjectura dimoveor, cùm certus ſim Geneſes illuſtrium familiarum hactenus editas, pleráſque mancas, & imperfectas eſſe, ut conſtat omnibus Geneographiæ vel modicè peritis. Quare ſiquid divinationi tribuendum, arbitror Aletham ſive Aleydem S. Bernardi matrem, fuiſſe filiam Theodorici Junioris ducis Moſellani, & Barri Comitis, aut ſororem ejusdem, quæ Henningi ſcribitur Adelberga: aut ſaltem neptem ex uno fratrum Ludovico aut Theodorico: his enim tempora congruunt. Cujuscunque verò filia fuerit, cùm conſtet fuiſſe de Monte Barri, quod idem ſonare videtur ac Mancionis & Barri, quæ nomenclatura ortum habuit per connubium Sophiæ Theodorici Junioris filiæ (fortè matris vel aviæ Alethæ jam memoratæ) poſtremæ prioris ſtirpis Comitum de Barri, Anno 1032. cum Ludovico Mançionis & Ferretæ Comite; ſi aliunde Comites Mancionis & Barri oſtendantur conſanguinei Habſpurgo-Auſtriacis, ſequitur manifeſtè etiam S. Bernardum ejúsque fratres ad hanc nobiliſſimam ſtirpem pertinere. Oſtendo proinde nexum; tu lector meliorem ſi vis inquire.

Labbe To. 1. Bibl. fol. 479.

Vita S. Bern. cap. 1. lib. 1.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus ſimplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcenſis.

Hadwidis Uxor I. Chunonis Rhynfeldenſis. 2. Gerardi Alſatiæ & Lotharingiæ Ducis.

Ex I. thoro.
Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Ex II. thoro.
Itha Uxor Radepotonis Habſpurgici, à quo cœteri omnes Habſpurgici.

Agnes filia Rudolphi Rhynfeldenſis Imperatoris, Uxor Bertholdi II. Habſpurgici Ducis Zäringiæ.

Agnes Zäringica Uxor Stephani Comitis Burgũdiæ Veſontinæ, qui in expeditione ad terram ſanctam occubuit Anno 1102.

Ermingarda ſive Ermentrudis Uxor Theodorici Comitis Mancionis & Barri, qui & Landtgravius Alſatiæ nominatur. Fuit filius Ludovici Comitis Mancionis & Ferretæ, ex Sophia poſtrema ſtirpis Comitum Barri antiquiorum, quam ſuſpicamur fuiſſe Alethæ ſeu Aleydis matris S. Bernardi matrem vel aviam.

Acta Synoptica.

Gabr. Bucel. in Menel. Angel. Manriq. in Annal. Ciſterc. Montalbo. Chryſoſt. Henriq. in Menol. Ciſterc. Tam. de Salazar. Martyrol. Hiſpan. Bolland. ad 7. Feb. in præter.

NIVARDUS germanus frater melliflui doctoris Bernardi, cùm natu minimus eſſet, puer mores pueriles judicio & ſpiritu ſupergreſſus, cœteris fratribus Bernardum ſequutis, & Guido unus è fratribus puerum in platea ludentem ſic compellaſſet: *Eia frater* NIVARDE *ad te ſolum reſpicit, omnis terra poſſeſſionis noſtræ;* mox ſagaciſſimus puer: *Vobis ergo cœlum, mihi terra? Non eſt ex æquo facta hæc diviſio.* Quo dicto abeuntibus illis, remanſit quidem tunc domi cum patre NIVARDUS, ſed paulò poſt ſecutus fratres, nec à patre, nec à propinquis à propoſito dimoveri potuit, ſub Bernardi diſciplina ad omnem virtutem formatus, ab eodem in Hiſpanias miſſus, celeberrimum Spinæ Monaſterium illic conſtruxit, & reformationem Ciſtercienſem latiſſimè propagavit, ac poſt vitam in omni ſanctitate tranſactam, cùm regna illa & ordinem illuſtraſſet, meritis locuples, migravit ad ſuperos. Hanc ei diem natalem aſſignat Menologium Benedictinorum, appoſito Beati titulo.

DIE

DIE VIII. FEBRUARII.

S. ELFLEDA V. ABBATISSA STRENEASHALÆ.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgi Comites.

Charibertus Rex Pariſiorum. Uxor Ingoberga.

Bertha, vel Aldoberga, vel Adelberga, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum Cantiorum.

S. Ethelburga, cujus maritus

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Duces Moſellani & Carolingi, & Habſpurgici.

Alla Rex Nordthanymbrorum.

S. Edwinus Rex Nordthanymbro.

Acca Uxor Ethelfridi Regis.

S. Lanfleda cujus maritus.

S. Oswius Rex Nordhanymbrorum.

S. ELFLEDA Virgo Abbatiſſa Streneaſhalæ.

Acta Synoptica.

Pietatem ad omnia utilem experimento didicit Oswius Rex Nordthanymbrorum. Cùm enim à Penda Rege Merciorum inextinguibilis odii furore laceſſeretur, totáque ejus gens internecionis commi-natum periculum incurriſſet, ad cœleſtia converſus arma, filiam ELFLEDAM unius anni infantem DEO vovit, ejúsque ſervitiis dicandam, ſi de infeſtiſſimo hoſte victor rediret. Parvo igitur ſuorum numero inſultanti hoſti occurrit, & fretus divina ope evaſit, adeò feliciter, ut Merciorum triginta Duces in prælio occubuerint, reliquus miles vel ferro peremptus, vel undis in fuga hauſtus victoriam Oswio reliquerit. Voti proinde reus filiam ad Monaſterium Heortheu deductam diſciplinæ Sanctiſſimæ Abbatiſſæ Hildæ commiſit, quæ Virginem in omni pietate & religione educavit, ut poſtmodum ſanctæ magiſtræ in regimine Cœnobii ſuccedere mereretur. Præter filiam etiam poſſeſſiones Rex Abbatiſſæ attribuit, ex quibus novum illa Monaſterium Streneashalæ condidit, & cum primis coloniis etiam ELFLEDAM induxit: Ubi Virgunc:ula magnos in virtute progreſſus faciens, cum S. Guthberto familiaritatem contraxit, à quo multa futura didicit, tacere juſſa dum evenirent. Contracta graviſſima infirmitate ejusdem ſancti precibus ſanitatem recepit, & à reliqua debilitate obtento ejus cingulo plenè convaluit. Eodem cingulo alia quoque Monialis capitis dolore liberata eſt. Tandem ELFLEDA exactis in cœnobio penè

Ven. Beda lib. 3. c. 24. hiſt. Anglor. Henric. Huntidon. lib. 2. Weſtmonaſter. ad an. 696. Wigorgorniens. Malbucosburienſis lib. 1. & 3. de geſtis Pontif. Anglo. Eduard. Maiheu. in Troph. Hieron. Porter. in Florib. SS. Wion. lib. 4. ligni vitæ cap. 28

Anton. Yepes in Chron. Benedict. Bucellin. Menol. Bolland. ad 8. Feb.

Sexaginta annis, ad complexum & nuptias (ut loquitur Beda) Sponſi ſui cœleſtis Virgo Beata intravit, Anno Chriſti 715. Sacrum ejus corpus unà cum reliquiis S. Trumwini Epiſcopi & Oswii Regis Patris in Monaſterio Streneashalenſi repertum, in digniorem poſtea locum translatum eſt. Diem ejus natalem conſignant plerique 8. Februarii. Martyrolog. Benedictinum 2. Aprilis, Florarium MS. 20. Martii. Nos Bollando & Bucelino ſubſcribimus.

DIE IX. FEBRUARII.

S. MENGOLDUS MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomañus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator. — N. Soror Arnulphi Imperatoris, Uxor Hugonis Regis Angliæ.

Adheles Uxor Osbrichti Regis Nordthanymbrorum. — S. MENGOLDUS Dux Martyr.

Acta Synoptica.

MENGOLDUS Arnulphi Imperatoris ſororius, in aula avunculi educatus, Geylam viduam Guilielmi Hannoniæ Comitis uxorem duxit: cujus poſſeſſiones dum acriter defendit contra iniquos invaſores, odium & inimicitias ſibi conſciſcit, uti ferè ſolet enaſci infauſta hæc proles, ubi frigida illa verba *Meum & Tuum* in domum cœteroqui felicem irrepſerint. *Jus* & *vis* facili Metatheſi invicem confunduntur, cùm debilior pars legibus, fortior armis innititur. Qui MENGOLDO vim inferre moliebantur propinqui erant, Albricus Dux Geylæ uxoris frater, & Liethardus Geylæ filius ex priore matrimonio: quorum ille priorem ſororis maritum fraudulenter occiderat, hic à Mengoldo licet privignus, inſtar filii educatus, viperæ naturam induerat, quæ uterum maternum perforat, à quo geſtatur. Ambo itaque Juris & legum ſubſidiis deſtituti, ad vim convertuntur. Rapinas exercent, quibus ſubditi MENGOLDI ſpoliati. MENGOLDUS ad talionis pœnam quærendam ſollicitatus, pluribus annis, militem potiùs egit quàm Oeconomum. Cruenta tandem diſſidia, & mutuas cædes exoſus, utpotè quæ non facilè cujusquàm animum relinquunt à noxa immunem, præteritas labes ſuſcipit expiandas. Principem ergo diſſimulans, plebeio habitu varia per orbem Chriſtianum ſacra loca inviſit, duris interea corpus afflictionibus caſtigans, reficiénsque animum rerum cœleſtium meditatione. Quibus cùm toto ſeptennio ſe exercuiſſet, Hoium in ditionem ſuam rediit, vitámque illic inſtituit omnibus Chriſtiani Principis officiis venerandam. Locum verò ſibi delegit ad Eccleſiam SS. Timothei & Symphoriani, ubi DEO reliquos vitæ dies impenderet, approbante intentionem cœlitùs demiſſa voce: *Vade ad locum quem intendis, ubi in remiſſione peccatorum habiturus es ſepulchrum.* Jam percrebuerat in Provincia rumor adveniſſe MENGOLDUM; unde certatim accurrebat omnis ordo & ætas notorum, quos ille ſalutaribus monitis inſtruens à ſe dimittebat. Nec latuit ea res priorum ejus adverſariorum cognatos, qui maligno conſilio, in vindictam vel de pœnitente homine ſumendam conſpirarunt: & ad præfatam Eccleſiam cum paucis comitibus tendentem per diſpoſitas inſidias adoriuntur. Hos ille prior ami-

Galen. in Faſtis Agrippin. Molanus in Addit. ad Uſuard. & Offic. Eccleſ. Laurent. Melart. lib. 1. Hiſt. Huen. Sigebert. Gemblac. in Chron. Ægid. Bucher. in hiſt. Epp. Leodienſ. ad an. 892. Brovum. lib. 9. Annal. Trevir. Anon. vitæ auth. Bolland. ad 8. Feb. Rader. To. 2. Bavar. S. fol. 141.

cè ſalutatos ad pacem & quietem hortatur, à cædibus & rapinis abſtinere rogat: verùm ſurdis fabulam. Cognitâ itaque divinitus deſtinatæ per impios cædis horâ, in crucis modum ſe extendens procumbit, & in manus DEI commendans ſpiritum à ſicariis trucidatur. Ferunt ab iis, qui eum comitabantur, auditas illicò Angelorum voces canentium : Te Martyrum candidatus laudat exercitus. Corpus in Eccleſia tumulatum, pluribus deinde coruſcavit miraculis, ſæpius translatum, de quo apud Bollandum varii Authores. Accidit ejus cædes circa annum 892. die 28. Aug. ſed in Martyrologiis paſſim reponitur ad 8. Februarii. Nos ſecuti Molanum, Sauſſagum, & Wilſonum hac die 9. Februarii.

Molan. in Addit. Uſuard. Sauſſag. in Martyrol. Gall.

Wilſon. in Martyrol. Anglic.

DIE

DIE X. FEBRUARII.

S. AUSTREBERTA V. ABBATISSA PAULIACENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Badefridus Comes Palatii ſub Dagoberto Magno Rege Francorum, originem trahens à Regibus Francorum. Uxor Framehildis ex Regibus Alemanniæ orta. De quibus videatur dies 23. Januarii, ubi de B. Badefrido.

|

S. AUSTREBERTA Virgo Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

DE AUSTREBERTA Regio Francorum & Alemannorum ſanguine oriunda priùs fuit gratia ſolicita, quàm natura. Nondum nata, jam ab Angelo prædicta futura, quæ plurimos virtutis exemplo à peccati ſervitute vindicaret. Adoleſcentula undas cùm intueretur, ſacro flammeo caput ſuum obnubi vidit. Felicior certè Narciſſo, quæ in undis non quæſivit amorem ſterilem, ſed fœcundum. Placuit forma virtutis illex, laudavit ſpeculum, nec aliud deinceps ſpeculata eſt, quàm evitare mundi cataclyſmum. Quare aliter nuptias à parentibus oblatas cùm non poſſet, fugâ eluſit; fugæ comitem parvulum germanum trahens. Ventum erat iterum ad aquas, ſed quæ ripas egreſſæ mare fecerant. At illa aquis ſancti propoſiti olim authoribus non diffidens, non aliter eas quàm pratum Hamadryades ſicco pede calcavit. Ita non repugnantibus ultra parentibus, Agno Apocalyptico deſponſa, promiſſum multò antè flammeum accepit, vel eo ſanctius, quia ſancti Audomari manibus impoſitum. Neque prole etſi Virgo caruit. Paulò pòſt in Cœnobio Pauliacenſi fœcundiſſima multarum Virginum mater ſalutata. Ex his fuit, cui ſub noctem vox è cœlo delapſa, moneret Antiſtitam, omnes ut ê lecto ſe proriperent, juberet. Monuit illa, hæc juſſit. In templum ubi convenêre, cubiculum corruit, & pro dormiente Virginitate vigilare ſe cœlum oſtendit. Ampliorem etiam hoc curam pro moritura habuit AUSTREBERTA. Jam enim animam cùm ageret, aliique in auxilium Cœlites evocarent, vidit ipſa omnes eo ordine, quo compellabantur, obviam ſibi venire. Et nos dubitamus, an ſupernaproni ſint in vota noſtra, qui etiam per nomina citati adſunt? Expiravit feliciſſima anima decima Februarii Anno Chriſti 704. cùm ſacrum velum ſuſcepiſſet, Anno 656. ad regimen Pauliacenſis Cœnobii evocata 670. miraculis ante & poſt obitum clara. Natalem ejus celebrant Eccleſiæ pleræque hac die 10. Februarii, & reponitur in plerisque Martyrologiis. Inventionem Audomarenſes reponunt ad 10. Octob. Bruxellenſes ad 20. ejusdem menſis. Laudetur DEUS in ſanctis ſuis.

Laur. Sur. in Vita. Andr. Brunn. in Faſtis Gabr. Bucelin. in Menol. Benedict. Clemens Marchant. Heribert. Rosweydt. Franc. Haræus. Sylvan. Razzius. Cornel. Graſius. Gulielm. Gazæus. in vita Ferreol. Locr. in Chron. ad ann. 680. Yepes Chronic. To. 2. Cent. 3. c. 5. Jac. Majer. Ande. Fland. lib. 1. Claud. Robert. in Gallia Chriſti. & alii apud Bollandum ad 10. Feb.

DIE

DIE XI. FEBRUARII.

S. THEODORA IMPERATRIX CONSTANTINOPOLITANA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Maria Uxor Leonis III. Iſauri Imperatoris Conſtantinopl.

Conſtantinus VI. Copronymus Imperator.

Leo IV. Porphyrogenitus Imp.

Conſtantinus VII. Porphyrog. Imp.

Euphroſyne Uxor Michaëlis Thrauli Imp. Conſtantinop.

Theophilus Imp. Conſtantinop. cujus Uxor S. THEODORA Imperatrix.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Franciæ.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

B. Lotharius Imp.

Ermingarda Uxor Raueri Ducis Lotharing.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Luitfridus Comes Habſpurgi.

Hunifridus Comes Habſpurgi.

Guntramus II. Comes Habſpurgi.

Betzo Comes Habſpurgi.

Radeolo Comes Habſpurgi: Uxor ———

Carolus Calvus Imp.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitiſſa Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ.

Itha Lotharingica. Wernerus Comes Habſpurgi, & reliqui rectâ lineâ ad hodiernos.

Acta

Acta Synoptica.

NOn tam diſſimilis eſt roſa ſpinis, gemma luto, dies nocti, quàm THEODORA fuit Theophilo Imperatori. *Ille per omnem vitam infelix, unum bonum nactus eſt* (ait Conſtantinus Manaſſes) THEODORAM *conjugem, fœminam planè divinam, venerabilem inter mulieres alias, unioni & carbunculo ſimilem.* THEODORA *lucus erat cunctis virtutibus ornatus, conſitus gratiis hortus, arbor omnis elegantiæ modeſtiæque. Theophilus è diverſo ager erat metæ impietatis, tribulis refertus, rubus aſper, lædens viſcera Rhamnus.* Immitem animum patientiſſimè tulit mitis mulier, dum & in fratrem conjugis ſæviret Theophilus, & onerarias naves induſtriæ ſuæ cum mercibus juberet exuri, jactitans ſe Imperatorem non mercatorem eſſe: cùm interim avariſſimus tributorum exactor eſſet, & quod in conjuge carpebat quæſtûs genus, longè turpius & populo gravius ipſe exerceret. Audiit idem apud Nicetam: *non malus, & juſtitiæ propugnator, ſed in ſacrarum imaginum abrogatione, atque Orthodoxorum infectatione nullo ſuperiorum perſecutorum inferior:* quo uno & peſſimi nomen meruit & injuſti. Quantum verò ille odii in ſacras imagines, tantum THEODORA affectûs, & pietatis fovebat; clàm eas obſeratas habens, & filiabus oſtentans, illisque earum venerationem exemplo commendans. Nec latere potuit ea res Imperatorem, qui niſi matrem Imperatricis, â qua liberè ut hæreticus objurgabatur, fuiſſet reveritus, graviùs in conjugem animadvertiſſet. Totos duodecim annos durum id jugum THEODORA ſuſtinuit, donec maritus Dyſenteriâ ſolutus, illi & filio parvulo Imperii habenas dimitteret. Hoc metu & onere ſoluta, palàm venerari imagines, Manuelem Magiſtrum Domeſticum & Theoctiſtum Patricium Logothetam pupilli Imperatoris Tutores impellere, & hortari ad extirpandam hæreſim Iconomachorum, nihil non agere, quo priſtino honori vindicaret ſacras imagines. Et verò piiſſimum Imperatricis conatum ipſe adjuvit DEUS, Manueli, qui diù titubabat, ægrotanti prodigiosè reſtituta ſanitate, cùm earum venerationem viſitantibus Cœnobitis pollicitus fuiſſet. Depoſitus à Patriarchali Sede Jannes hæreſeos promotor, ſubrogatus Methodius, quem impius Theophilus ob ſacrarum imaginum cultum exilio ejectum, cum duobus latronibus antro incluſerat, ubi altero eorum defuncto, incredibiles è cadavere fœtores pati coactus erat. Jannes verò cùm neque relegatus ad Monaſterium, à ſua hæreſi deſiſteret, imperaſſetque Diacono, ut imaginibus Deiparæ & Angelorum, quas ibi conſpicatus fuerat, oculos erueret; juſſu Imperatricis oculis privari juſſus, quos merito perdidiſſet, ni quorundam favore, & precibus inflexa Imperatrix mutaſſet pœnam, & per Satellites flagellis cæſo ducentos ictus infligi præcepiſſet. Summa etiam Theodoræ cura de viris Eccleſiaſticis, de Sanctorum reliquiis: Unde ejus operâ S. Nicephori Patriarchæ, & S. Theodori Studitæ Conſtantinopolim, ingenti populi confluxu & devotione, relata corpora. Inter hæc Bulgarorum Rex Bogaris, cùm audiſſet imperare mulierem cum impubere filio, bellum animosè denuntiat; cui Theodora in Sanctorum, quibus cultum reſtituebat, ſubſidio ſpem collocans, imperterritè reſponderi juſſit: Paratam ſe contra ejus exercitum in acie conſiſtere, ſperaréque à DEO victoriam, quæ ſi præter ſpem non concederetur, ipſum nihilominus victorem non fore, qui fœminam viciſſet. Territus hoc reſponſo barbarus à cœpto deſiſtit, & de captivorum agit commutatione. Remiſſa inter hos in Bul-

Conſt. Manaſſ. in Annal. Georg. Cedren. Joann. Curopalata. Jo. Zonar. Mich. Glycas. & alii apud Bollandum ad 11. Feb.

gariam Soror Bogoris, quam pridem captivam Imperatrix in aula educarat, & Chriſtianis legibus imbuerat: hæc fratri Regi adhuc Ethnico non ſolùm fidem Chriſti inſtillavit, ſed & ſingulare pietatis ſtudium, ut poſito Diademate Bogoris, Cœnobiticæ vitæ ſe addixerit. Cùm verò tanta in aliis efficeret THEODORA, in proprio filio experta eſt ſollicitudinem ſuam malè impenſam. Hic enim Bardæ Patritii & avunculi ſtimulis incitatus, materna ſpernens conſilia, nec ſine irriſione & contumeliis, ſenſim in mores diſſolutiſſimos lapſus eſt; quos cùm emendare non poſſet THEODORA, palatio egreſſa, privatam vitam amplexa, non diù quiete frui potuit; nam fratris proprii Bardæ impulſu Michaël filius invitam cum filiabus Cœnobio juſſit includi ac velari. S. Ignatium Patriarcham, qui ei velum imponere recuſabat, relegari præcepit. Extant ad THEODORAM Nicolai Papæ conſolatoriæ literæ, quæ inſignem ejus virtutem & ſanctitatem inſinuant. Obiit piiſſima Imperatrix Anno 867. die 11. Feb. poſt occiſum Bardam fratrem menſe nono, quam ſubſecutus eſt filius Michaël ipſe quoque occiſus eodem Anno 12. Cal. Oct. Sanctorum faſtis adſcriptam colligitur ex Menologio Baſilii Imperatoris. Et in Menæis extant de ea ſequentia: *Eodem die memoria* THEODORÆ *Auguſtæ, quæ Orthodoxiæ feſtum inſtituit.* THEODORAM *Auguſtam lætus honoro, quæ Chriſti mei honoravit imaginem.* Pluribus de ea agit Bollandus, ſolerti induſtria ex variis colligens diſperſa.

DIE XII. FEBRUARII.

S. ERMELINDIS VIRGO, VEL ERMENTRUDIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
- Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani.
  - Arnoaldus Marchio ad Scaldim.
    - S. Arnulphus Marchio.
      - B. Anſegiſmus Marchio, Uxor - S. Begga.
- Carolomañus Dux Brabantiæ.
  - B. Pipinus de Landis Dux.
    - S. Begga.
  - Amalberga Uxor Walberti Comitis.
    - S. Amalberga Uxor Witgeri Comitis.
      - S. ERMELINDIS.
      - S. Gudula, & Sorores.

Acta Synoptica.

INter alias proles S. Amalbergæ & Witgeri Comitis fuit S. ERMELINDIS, vel Ermenildis, quæ etiam Ermentrudis ſcribitur in Breviario Malbodienſi. Reponitur ejus feſtum hac die in Florario MS. apud Bollandum, qui id tamen rejicit ad diem 13. ejusdem menſis, quaſi eadem hæc foret cum Ermenilda Regina Merciorum; ſed ſi in Florario legitur ERMELINDIS Virgo, utique diverſa eſt ab Ermenildâ Reginâ, atque adeò hæc ipſa, de qua agimus. De actis ejus nihildum inveſtigare licuit, niſi fortè eadem ſit cum S. Gilda Abbatiſſa, cujus hac die meminit Bucelinus, aitque fuiſſe in Monaſterio Pennebeckhe Brabantiæ à ſe condito Abbatiſſam. Ex Ermenilda enim facilè potuit formari ERMENGILDA & corrupta voce Gilda. Certiora exſpectamus aliunde. Videantur interim, quæ de S. Emeberto fratre ERMELINDIS, de S. Pharailde, Gudula ſororibus, & Amalberga matre alibi producimus, & agnoſcetur ex tota familia ſancta ſanctitas Ermelindis.

Florar. ap. Boll. ad 12. Feb. in præterm.

Gabr. Bucel. Menol. ad 12. Febr.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. ERMENILDA REGINA MERCIORUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.	Charibertus Rex Pariſiorum. | Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum Cantiorum. | Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum. | S. Ercambertus Rex Cantiorum, Uxor S. Sexburga filia Annæ Regis Anglorum Orientalium.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & ex Carolingis Habſpurgici certâ ſerie orti.

S. Ægbrichtus, ſive Egbertus Rex, Obiit Anno 673.	S. ERMENILDA Regina Uxor Wulpheri Regis Merciorum, Mater S. Wereburgæ.	Lotharius Rex obiit An. 685.	S. Earcongotha Virgo.

Acta Synoptica.

Jo. Capgrav. in Epito. vitæ.

Pet. de Natal. lib. 11. cap. 67.

Vinc. Bellovac. ſpec. lib. 25. c. 32.

Joan. Bremlon. Chron. Regn. Merc.

Beda lib. 2. & 3. hiſt. Angl.

Malmesburien. lib. 1. de Reg. c. 4.

Auth. Chron. Anglo-Saxon. Weſtmonaſter. ad an. 674.

CHriſtianam legis Amazonem, qui legis ERMENILDAM: Bella illi atrocia, ſed cum Idolis & dœmonibus; animus planè invictus & cedere neſcius. Non antè deſiit urgere maritum, ſollicitare ſacerdotes, omnem ſuum conatum ac vires impendere, quàm funditus è Regno Merciorum Idololatriam extirpatam videret. Marito, cui ſeptendecim annis convixit, innata quadam ſuavitate & morum blanditiis penè importunè perſuaſit, ut infelix lolium, quod ſub patre ejus Penda idolicola firmas radices egerat, funditus exciſum, locum daret ſemini Verbi DEI. Et ille quidem patre ſuo melior admiſit, quas ſancta conjunx injiciebat ſcintillas, ut cum Sancto zelo in profanos ictus exardeſceret, monitis pariter ERMENILDÆ obtemperans, ejus exemplum in operibus pietatis æmularetur. Fato demum functus viduam reliquit ERMENILDAM, ad ſanctiores mox thalamos evolaturam. Nam illa tumulato marito, cum filiola unica Wereburga ad Elienſe Cœnobium ſub Matris ſuæ S. Sexburgæ diſciplinam ſe contulit, ubi jam altero partu ejus filia, ſanctitatis & propoſiti æmula, eidem in Cœnobii regimine ſucceſſit Abbatiſſa, filiam

filiam Wereburgam ita formatam ad ſanctitatis leges poſt ſe relinquens, ut & ipſa idem Antiſtitæ munus poſt matris obitum ſuſcipere juſſa, nihil in ſancta converſatione matri & aviæ conceſſerit. Obiit piiſſimè ERMENILDA Idibus Februarii Anno 703. cùm Elienſi Cœnobio annis ferè viginti tribus præfuiſſet.

Gotſelin. Mo[illegible]. in Vita S. Wereburgæ. Bolland. ad 13. Feb. Bucelin. in Menol.

Eâdem DIE XII. FEBRUARII.

B. URATISLAUS PRINCEPS BOHEMIÆ.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomañus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imp.

Otto I. Imperator.

Otto II. Imperator.

Judith.

Lotharius Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Luitfridus Comes Habſpurgicus.

Hunifridus Comes Habſpurgi.

Guntramus II. Comes Habſpurgi.

Lancelinus Comes Habſpurgi.

Radepoto Comes Habſpurgi.

Wernerus I. Comes Habſpurgi.

Otto Comes Habſpurgicus.

Wernerus II. Comes Habſpurgicus.

Wernerus III. Comes Habſpurgicus.

Adelbertus Comes Habſpurgicus.

Rudolphus Comes Habſpurgicus.

Albertus Sapiens Comes Habſpurgicus.

Rudolphus I. Imperator.

Gutta ſeu Judith Regina Bohem.

Borziovius Dux Bohem. Uxor S. Ludmilla.

B. URATISLAUS Dux Bohem. Uxor Drahomira.

Boleslaus Sævus Dux.

S. Wenceslaus Martyr.

Boleslaus Pius Dux, cujus Uxor

Hemma Saxonica.

Boleslaus III. Dux Boh.

Jaromirus Dux Bohemiæ.

Udalricus Dux Bohemiæ.

Bretislaus Dux Bohemiæ. Uxor

Uratislaus Rex I. Bohemiæ.

Uladislaus Princeps Bohemiæ.

Uladislaus II. Rex Bohemiæ.

Primislaus Ottocarus Rex III. Bohem.

Wenceslaus Ottocarus Rex Bohemiæ. IV.

Ottocarus Rex Bohemiæ V.

Wenceslaus Pius Rex Bohemiæ. Uxor

Acta Synoptica.

HOstivitus Idolorum cultor Bohemiæ Princeps Anno 855. mortuus, filium post se reliquit Borzivoium, qui concilio universæ gentis solio paterno impositus, mitrâ Przemislai capite exornato, ejusdémque calceis rusticis indutus, aliisque vetustis cærimoniis consecratus est. Anno abhinc altero, stabiliendæ potentiæ suæque stirpis, Ludmillam nobilissimo & potentissimo genere puellam conjugem duxit, ex qua duos mares liberos Spithinæum & URATISLAUM suscepit. Fortè ita evenit ut Welchradum in Moraviam ad Suatoplucum Regem Christianum Borzivoius nondum Christianus accersetur, à quo quidem convivio adhibitus, sed remotiore mensa tanquam profanus & idolicola, mox eâ occasione à S. Methodio, qui tunc apud Suatoplucum agebat, de Christiana fide edoctus baptismum petiit, & unà cum triginta comitibus, quos secum adduxerat, in pervigilio S. Joannis Baptistæ Anno 856. sacro fonte ablutus est. Redux in Bohemiam sacerdotem secum deducit, & Hradetzii (Reginogræcium nunc appellant) templo fundato in honorem S. Clementis constituit. Concitavit ea novitas plebem, ut Ducem suum ad spontaneum exilium adegerit. Profugit ille ad Suatoplucum Regem cum Ludmilla conjuge jam Christiana, ubi melius in fidei mysteriis eruditus vovit, si fasces reciperet, Deiparæ Virgini Basilicam erigere. Nec multò pòst revocatus à Bohemis, voto se exolvit. Demum cùm filios jam adultos & tractandis fascibus idoneos cerneret, divino amore incensus valedicere mundo, & totum se cœlestibus curis dedere constituit, majorem natu Spithineum populo in concilium vocato Ducem proponit, ipse depositis omnibus honorum insignibus, Tetinum in loca sola procul ab hominum consortio, concedit, uni Christo serviturus imposterum. Spithinæus brevi potitus imperio, patrique præmortuus, locum dedit RUATISLAO fratri, qui paternis insistens vestigiis Christianam fidem latè propagare studuit, bellicis etiam subinde expeditionibus clarus. Uno eo infelix, quòd Drahomiram nactus fuerit conjugem, cujus in idolorum superstitione duritiem emollire non potuerit. Suscepit ex ea filiorum par, Wenceslaum Sanctum, & Boleslaum Sævum fratricidam. Boleslaviam condidit ex filii nomine appellatam; templa plura construxit; & demum Anno 916. multis militiæ incommodis læsâ olim valetudine, morbis fractus, postquam filiis Religionem Christianam & concordiam, Proceribus erga Principes suos fidem & obedientiam commendasset, vitâ excessit triginta tres natus annos, Pragæ in S. Georgii templo, quod quadriennio antea in monte construxerat (quem modò Pragensis arx angustis substructionibus contegit) uti optarat, humatus. Fuit (ut loquitur Balbinus) *optimus Princeps, cui Beati titulum, ut hodiéque legimus, ipsa tumuli affirmat Inscriptio.* Plura de eo tam ipse, quàm Dubravius. Videtur verò idem Balbinus etiam Borzivoio titulum Beati concessum asserere, eò quòd ejus nomini, vel supra ejus tumulum, altare erectum sit; de quo nunc agere supersedemus.

Balbin. Epit. Bohem. lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 13.

Dubrav. hist. Bohem. lib. 4.

DIE XIV. FEBRUARII.

SS. EUPHRASIA, ET FEBRONIA VV.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegisus Dux.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux.

Pipinus Brevis Rex.

Carolus M. Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Ariſtulphus Rex Longobardorum. Uxor Giſeltruda Soror B. Anſelmi Ducis.

SS. EUPHRASIA & FEBRONIA VV.

Terentia, cujus maritus ——

S. Clodulphus Dux Moſellanus.

Martinus Dux Moſellanus.

Lampertus Dux Moſellanus.

Loherus Dux Moſellanus.

Acta Synoptica.

GEminæ hæ Sorores faſtiditis ſeculi pompis ac delitiis, uno ardore converſæ in Cœnobio omnium SS. Papiæ, quod hodie S. Martini dicitur, quódque in earum gratiam Rex Pater condiderat, eodem inſpectante & ſtupente populo, regalia ornamenta abjecerunt, & velo ſuſcepto humillimas ſe Chriſto ancillulas devoverunt: in quo ſummæ demiſſionis rariſſimo exemplo, & ſanctitatis cumulatæ meritis, ad Regis Regum amplexus & thalamos evocatæ ſunt circa annum Chriſti 756. Earum Reliquiæ adhuc eo loci religioſè aſſervari dicuntur. Ex Jac. Guala, Gabriel Bucelinus.

Jacob. Guala, apud Gabr. Bucel. Menol. fol. 123.

Eàdem

Eâdem DIE XIV. FEBRUARII.

S. BRUNO EPISCOPUS RUSSORUM MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ven. Bruno Senior Comes Querfurtensis, demum Monasticen professus, Obiit Anno 1008.

S. BRUNO Episcopus Russorum M. — Gebhardus Comes Querfurtensis.

Burchardus Pius Comes Querfurtensis.

Gebhardus Comes Querfurtensis.

Lotharius Saxo Imperator.

Gertrudis Querfurtensis, quæ

Nupta I. Henrico Superbo Duci Bavariæ.

Henricus Leo Elector Dux Saxo. & Bavariæ.

Henricus Palatinus Rheni.

Gertrudis Uxor Othonis Ducis Bavariæ.

Ludovicus Severus Dux Bavariæ. Uxor Mechtildis filia Rudolphi I. Imperatoris.

II. Henrico Duci Austriæ, filio S. Leopoldi.

Leopoldus Victoriosus Dux Austriæ.

Leopoldus Glorioſus Dux Austriæ.

Henricus Medlingensis Dux Austriæ.

Gertrudis Uxor Hermanni Marchionis Badensis.

Agnes Uxor Meinhardi Principis Tyrolensis.

Elisabetha Uxor Alberti I. Imperatoris Habspurgici, Magna Avia Hodiernorum Archiducum.

Acta Synoptica.

BRUNO Querfurtensis Comes Illustrissimo natus genere, adolescentiam bonis literis imbuit Magdeburgi sub disciplina Geddonis Philosophi. Ab Ottone dein III. Imperatore evocatus ad aulam, magnæ benevolentiæ significatione susceptus est. Verùm pertæsus mundi, vitam religiosam amplexus est in Monasterio Magdeburgensi, ubi post annos aliquot exemplo S. Adalberti Pragensis Episcopi Martyrio inflammatus, statuit & ipse Gentilium terras adire, vel Christo eas lucraturus, vel sibi Martyrii comparaturus triumphum. Quare Romano primùm Pontifici, Romam profectus, consilia sua aperuit, qui fausta apprecatus, censuit Episcopali ornandum dignitate, Pallium quo consecratus insigniretur addidit. Id Bruno secum in Germaniam detulit, & pro-

Diethmar. lib. 6. Chronic. Wion. lib. 2. lign. vitæ. cap. 29. Hugo Menard. Bened. Borgan. Sigebert. ad añ. 1009 Inchof. in Annal. Hung. ad an. 1008.

Bolland. To. 2. Feb. ad 14. Feb. Paul. Lang. in Chronic. Citizen. Sauſſay. in ſuppl. Martyrol. Gallic. Trithem. lib. 3. de Viris illuſtr. Ord. S. Benedict. Gabr. Bucel. Menol. ad 15. Octob.

probante quæ moliebatur S. Henrico Imperatore, Merſeburgi à Taginone quarto Magdeburgenſium Antiſtite conſecratus ad Pruſſos abiit, iis fidem Chriſti annuntiaturus. Cúmque ſedulus ſpartam ſuam tueretur, ac lolium idololatriæ expurgare contenderet, à barbaris comprehenſus, manibus pedibúsque truncatis, capite demum præciſo Martyrii palmam cum ſociis octodecim, quos ſecum adduxerat, adeptus eſt, die 14. Februarii Anno 1008. non ut alii ſcripſerunt 1009. vel ut Myræus 1010. Pater ejus ejusdem nominis Bruno, filii monitu Monachicam amplexus vitam, ſuperſtes aliquamdiu religiosè vixit, & ſancto etiam fine quievit. Plura de eo Diethmarus ejus cognatus, Wion, Baronius, Inchofer, Bollandus, & alii.

DIE

DIE XV. FEBRUARII.

S. OSWIUS REX NORDTHANYMBRORUM.

Ex Majoribus Habſpurgo Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & dein Habſpurgici rectâ ſerie.

Charibertus Rex Pariſiorum.
|
Adilberga Uxor Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio derivat Habſpurgicos.

Alla Rex Nordthanymbrorum.

Ethelburga, cujus maritus —

S. Edwinus.

Acca Uxor Ethelfridi Regis.
|
S. OSWIUS Rex.

S. Eanfleda, cujus maritus — —

S. Elfleda Virgo.

S. Edhelfreda Virgo.

Acta Synoptica.

WAduit Anglia cognatorum Principum ſanguine, cùm in mutuas ſævirent cædes, eſſétque *non hoſpes ab hoſpite tutus; non gener à ſocero, fratrum quoque gratia rara.* Edwinum avunculum OSWII, filiúmque ejus Osfridum, aperto victos marte, Penda Rex Merciorum ê medio ſuſtulerat; mox etiam Oswaldum Oswii fratrem, à cujus cæde diviſum regnum inter OSWIUM & Oswinum Edwini ex fratre pronepotem: ſed quia poteſtas omnis impatiens eſt conſortis, OSWIUM ambitio impulit, ut Oswino bellum inferret, quem poſt fugam ê prælio proditoriè captum, interemit. Integri compos regni nil non molitus eſt, quo exiſtimationem purgaret, majeſtatem augeret, & atrocis facti offenſam probitate morum poſteriorum minueret. Et primus quidem non parvus laudum ejus cumulus extitit, quod fratrem Oswaldum, & avunculam Edwinum nobiliter ultus ſit, dum Pendam Regem Merciorum (ut loquitur Malmesburienſis) illud vicinorum excidium, perduellionum ſeminarium, exitio dedit. Ex quo tempore tam Merciis, quàm omnibus propè Anglis, vel ipſe præſedit, vel præſidentibus imperavit. Acceptam verò debuit hanc victoriam uni DEO, cui nempe ceu alter Jephte filiam ſuam Elfledam ante pugnam obtulerat. Hinc voto perſoluto totus ad officia pietatis converſus, non amplius de campo & arena, ſed ara & cultu divino ſolicitus, operam adhibuit ut divinis in ſe confluentibus beneficiis reſponderet, Chriſtianiſmi infantiam poſt S. Oswaldi fratris necem in regno ſuo palpitantem, Regio ſpiritu animaret, & ad lapſum pronam erigeret. Hinc acciti ab eo ſacerdotes & vitæ Chriſtianæ Magiſtri, quorum induſtriâ non Mercii tantùm, ſed & reliqui Auſtrales populi, ad pietatem quà eruditi, quà confirmati ſunt. Filiæ ſuæ, quam unius anni infantem DEO ſacraverat, nobiliſſimum Streneashalæ Virginium condidit, ampliſſimisque donariis auxit. Multis deniq; præclarè geſtis obiit piiſſimus Rex OSWIUS Anno Chriſti 670. ætatis 58. cum filia Elfleda decimum ſextum ageret, die 15. Februarii, ut habet Beda. Wigornienſis verò habet Calendis Martii, quod fortè legendum eſt 15. Cal. Martii.

Beda lib. 2. c. 20. hiſt. Angl. & lib. 3. c. 1. & alibi. Malmesburg. lib. 1. c. 3. Henr. Huntindor. hiſt. lib. 2. Bolland. ad 15. Feb.

DIE XVI. FEBRUARII.

S. ETHELFREDA VIRGO MONIALIS S. OSWII REGIS FILIA, S. ELFLEDÆ SOROR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA

Eadem eſt, quæ S. Elfledæ Sororis, & S. Oswii patris, præcedenti die. Non meminit hujus Oswii filiæ Bollandus, alioqui accuratus in horum Regum Genealogia: & Monaſterium Witbyenſe cenſet idem eſſe quod Streneahlenſe, quæ Bucelinus diſtinguit.

Acta Synoptica.

Polyd. Virg. Arnold. Wion apud Bucelin Menol. 15. Feb.

ETHELFREDA Oswii Nordthumbriæ Regis filia, mira generoſitate blanditias ſeculi, aulæ Regiæ & paternæ pompas aſpernata, rigorem diſciplinæ Monaſticæ omnibus ante tulit, inque Cœnobio Wilbienſi, quod Rex pater ejus condiderat, DEO ſe conſecrans, Sanctiſſimæ vitæ perfectiſſimam Magiſtram habuit S. Congyldam Abbatiſſam, cujus Magiſterio tantum profecit, ut S. Elfledæ ſorori ſuæ Steneahalenſis Cœnobii Abbatiſſæ, ut germana carne erat, ſic & Spiritu & perfectione gemella appareret. Claruit Anno Chriſto 760. ut putat Bucelinus, ſed tardiùs eam claruiſſe oportet, quia minorem natu, vix enim ante annum 655. nata fuerat, ut ex ætate S. Elfledæ colligitur.

Eâdem DIE XVI. FEBRUARII.

BB. AMABILIA ET ELISABETH SORORES VV.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Henricus I. Imperator Auceps, cujus Majores à Carolo Magno vide in B. M. Gertrude Regina ad 5. Auguſti.

Otto I. Imperator. — Gerberga Uxor Ludovici Transmarini Regis Francorum Carolingi.

Otto II. Imperator. — Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Juditha Uxor Brzetislai Ducis Bohemiæ. — Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Wratislaus I. Rex Bohemiæ. — Henricus III. Imperator.

Wladislaus I. Dux Bohemiæ. — Henricus IV. Imperator.

B. Amabilia, & B. Eliſabeth Sorores. — Wladislaus II. Rex Bohemiæ cujus Uxor I. —— Agnes Uxor S. Leopoldi Marchionis.

Gertrudis II. maritus —— Henricus II. Dux Auſtriæ.

Przemislaus Ottocarus I. Rex Bohemiæ. — Leopoldus V. Dux Auſtriæ.

Wenceslaus Rex Bohemiæ. — Leopoldus IV. Dux Auſtriæ.

Przemislaus Ottocarus II. Rex Bohemiæ — Henricus Medlingenſis Dux Auſtriæ.

Wenceslaus II. Rex Bohemiæ. — Gertrudis Uxor Hermanni Badenſis.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus. — Agnes Uxor Meinardi Tyrolenſis.

Cujus Uxor fuit —— Gutta. — Albertus I. — Imp. Uxor —— Eliſabetha Tyrolenſis.

Alios nexus vide in B. Adalberto Salisburgenſi die 7. Aprilis, in Henrico Pragenſi Die 14. Junii. in Wenceslao II. Rege Die 21. Junii. in Anna Lignicenſi 23. Junii. & alibi.

Acta Synoptica.

AMABILIA & ELISABETHA ſorores Wladislai II. Regis Bohemiæ à prima ætate Dei ſervitio ſe conſecrarunt: Amabilia in Parthenone S. Benedicti Clatoviæ, altera in Doxanenſi Præmonſtratenſium, utra que innocentiſſimum, & plenum virtutibus ævum inter ſacras Virgines exegit. Balbin. Epiton. rerū Bohem. lib. 3. cap. 9. & 13.

De B. ELISABETHA in MS. Calendario Doxanenſi hæc leguntur. *Beata* ELISABETHA *ſecunda Prælata noſtra Soror Regis, contulit proſe, & ſuo fratri LXXX. Marcas argenti ad ædificium Monaſterii, calicem cum patena, ampullas deauratas, & duas villas.* S. AMABILIÆ corpus Clatoviæ, ubi vixerat, ſitum eſſe tradunt: id Monaſterium nunc poſt cladem Ziſkianam in ruinis jacet, in quibus corpus inveniri non poteſt. Sunt qui non Clatoviæ, ſed Pilsnæ aſſervari in ſacrario, quod Cœnobio Prædicatorum adſitum eſt, locúmque oſtendunt. Plura de his duabus BB. nondum reperi.

DIE XVII. FEBRUARII.

S. SILVINUS EPISCOPUS TERUANENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

S. Cynthramus Rex.

Arnoaldus Dux Mosellanus.

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ. Uxor B. Plectrudis.

S. SILVINUS Episcopus Tervanensis.

Carolus Martellus Dux.

Pipinus Brevis Rex Franco.

S. Gertrudis Caleburgensis.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & Habspurgici, ut alibi.

Acta Synoptica.

Ædas jam accendebat SILVINO Hymenæus, cùm ille divini amoris face inflammatus ab Hymenæo procurrit ad hymnos, & DEO laudes concinens, quòd jugum excussisset, Sylvas petiit, mox peregrinus per orbem sacra Divinis loca lustravit, basia fixit Christi vestigiis in olivarum monte, & ne quid porrò vel fumi ex tædis nuptialibus sibi adhæsisse doleret, toto se proluit Jordane, quasi iterato baptismo mundatus. Redux in patriam, ad Morinos & Tervanenses, quibus adhuc ligna & saxa placebant, se contulit, nisi existimes eum Tholosæ creatum Episcopum. Hos certè populos adhuc rudes in fide erudiit, apud hos templa erexit, ornavit, coluit, mira egit; quantum aliis misericors, tantum in se rigidus. Nam & prædicationis officium indesinenter exercens, arguere, obsecrare, increpare omne hominum genus ex Apostoli consilio nunquam destitit. Hospitio recipere peregrinos, ægros non tam solari in anima, quàm curare in corpore, illi summa cura, juxta & felicitas: rediere puri qui leprosi accesserant; dimisit viribus restitutos, quos acceperat paralyticos, cœcos, surdos, mutos, quos divina curabat virtute, ut suam virtutem absconderet, balneis, unctionibus de industria adhibitis curabat. Sibi verò semper offensus, corpus tractabat velut mancipium. Totis quadraginta annis quàm rarissimè gu-

Antenor. Episc. in vita S. Silv. Aubert Miræus in fast. Belg. Arnold. Wion in ligno vitæ. Bened. Dorgan. Molan. in Natal. SS. Belg. Saussag. in supplem. Martyr. Herm. Greven. Maurolyc. Felicius Ferrar. alii in Martyrolog.

Bolland. ad 17. Feb. Bucel. ad eundem.

guſtavit panem, ſolis contentus oleribus. Lectus illi vel aſpera humus, vel durum lignum; veſtitus cilicium & ferrei circuli, qui contracta rubigine carnem exulcerarent. Hac arte conabatur ſupplere defectum Martyrii, cujus deſiderio flagrabat. Moriturus, præſentibus multis Clericis & piis & fidelibus, quos concives habiturus erat in cœlis Angelos, ſupremos luctæ adjutores vidit, iteratò clamans: *Ecce Angeli DEI ad nos: ecce Angeli DEI ad nos.* O utinam etiam ad nos, qui hæc ſcribimus, legimus, audimus! Quo anno abierit incertum, putat tamen Bollandus circa Annum Chriſti 720. floruiſſe ſub Chilperico Rege, ut Carolo Martello Majore domus citra dubium. Et quidem Heriſtalli Pipini filium ac Caroli Martelli fratrem fuiſſe contendunt plures, ut Author Florarii SS. Catalogus Epiſcop. Tarvanenſium, Hadrianus Barlandus, Divæus, Joannes Gillmanus, & plures alii, quibus non multum contradicit Bollandus. Monachum verò fuiſſe Benedictinum, uti ſcripſerunt Wion, & Bucelinus, non conſtat ex vita quam ſcripſit Antenor Epiſcopus illi coævus. Et id fatetur ingenuè Hugo Menardus in Martyrologiō Benedictino. Nobis ſufficit quòd ſanctus ſit.

Florar. MS. ap. Catal. Epiſ. ibid.

Barland. Chron. Ducis Brab.

Divæus lib. 1. c. 3.

Gillmanus in vita S. Silvini.

Wion. Bucelin. ſup. cit.

DIE

DIE XVIII. FEBRUARII.

S. ANGILBERTUS ABBAS CENTULENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

S. Carolus Magnus Imperator:

Bertha filia Caroli Magni, Uxor S. ANGILBERTI, poſtea Monachi.	Ludovicus Pius Imperator, à quo cæteri Carolingi & Habſpurgici.
Nithardus.	Harnidus.

Acta Synoptica.

NAcit vulgus è deſperatione naſci tria M. & eos qui nil ſperant, fieri aut Milites, aut Monachos, aut Maritos: at in hiſce ANGILBERTUS ſpem omnem habuit, & ſpei fructum. Illuſtri admodum natus loco, ſulam Pipini Regis ſequutus eſt juvenis, maturâ morum gravitate admirationi Palatinis, amori omnibus, quia ut vitæ author loquitur: *animi induſtria ac probitate nulli ſecundus.* Primum illi munus Primicerii delatum, quod Eccleſiaſticum munus, quaſi ad amplum ſacerdotium gradum, non tamen ſacris initiatus ſub Pipino geſſit: ſub Carolo deinde Silentiarius dictus, non eo genere officii, quo in Palatio Conſtantinopolitano fungebantur excubitores cubiculi Imperatoris, ſed quo hodie funguntur arcani Conſiliarii, ut verba illa Hariulphi denotant: *Sibi quoque Carolus eundem ſilentiarium ſtatuit, ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus conſilio componeret totius Regni utilitatem.* Magnus illico viſus Magno Carolo, ut ejus quoque gener fieret, promeruit; ex Clerico & Conſiliario Maritus Berthæ Carolo progenitæ, & pater ex ea Nithardi atque Harnidi, uti Nithardus ipſe celebris ſcriptor profitetur. Placuit tunc etiam Militem agere, & caſtra ſequi, cùm eſſet magnæ parti Franciæ circa oram maritimam cum poteſtate Præfectus. Eaoccaſione ſolitus frequenter Centulenſe Monaſterium orationis causâ inviſere, & ad S. Richarii tumulum ſolo proſtratus preces fundere, cùm poſtea in gravem incidiſſet morbum, nec vitæ ſpes ſupereſſet, Monachum ex milite ſe fore promiſit, ubi convaluiſſet, nec ſine prodigio incolumitatem recepit. Dani interea infeſtis armis Francorum imminebant imperio, contra quos miſſus ANGILBERTUS, rogatâ ad Divi Richarii tumulum cum lacrymis veniâ, & contra hoſtes ope, hanc prodigioſam cœlo latam reapſe expertus eſt; hoſtibus in conflictu magna vi grandinis inter horrenda tonitrua decidente ad internecionem deletis. Victor reverſus Bertham conjugem induxit, ut & ipſa ſacrum velum ſuſciperet, & ſe obæratum cællo, celæ, Monaſticæ includi pateretur. Aſſentiente Bertha, cucullum ANGILBERTUS induit, & qui inter Aulicos honore plurimum excelluit, inter Aſcetas inſigni mox ſanctitate eminere cœpit, ut Abbate defuncto nullus ad id muneris ANGILBERTO aptior judicaretur, quod circa Annum 788. accidiſſe arbitratur Bollandus. Exinde multò gratior Carolo, ut ejus operâ ad Legationes uteretur. Miſſus ad Adrianum, dein etiam Leonem Papam, inſigni cum prudentia & dexteritate, quæ demandata fuerant,

Hariulph. Mon. Auth. vitæ.

Joan. Capella in Chron.

Hugo. Menard. lib. 2. obſervat. ad Martyrol.

Guliel. Peyrat. de Capell. Reg. l. 1. cap. 30. & ſeqq.

Malbranc. lib. 5. Eginhard. in Annal.

Sauſſag. in Supplem. Martyrolog.

Bolland. ad hanc diem ex MS. Centulen. Bucel. eadem.

tranſegit. Cœnobii Centulenſis inſtaurationem aggreſſus Eccleſiam exornavit, Monachos ad diſtrictiorem vitæ rationem induxit, quos tripartito dividens alterna & perpetua ſucceſſione laudes DEO concinere juſſit. Marmoreas columnas ad majorem ſplendorem Baſilicæ cùm erigi curaret, una illarum collapſa & confracta eſt. ANGILBERTUS indutus cilicium, cibo ac potu abſtinens, pernox orationi incubuit. Tum Angelus eximium inter fulgorem cœlo delabi, & columnam tangere viſus, integritati reſtituit, quam operarii ad opus mane reverſi, non integram ſolùm, ſed loco quo volebant repoſitam, ſtantem admirati ſunt. Obiit ſanctiſſimè 12. Cal. Martii Anno 814. Corpus poſt multos annos diu quæſitum reperit Gerwinus Abbas, mirâ cœleſtis odoris fragrantiâ erumpente è tumulo, ubi deinceps multi prodigiosè curati ſanitatem receperunt.

DIE XIX. FEBRUARII.

S. WITHBURGA VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilberga, quæ & Bertha, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Ercambertus Rex Cantiorum, Uxor

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Annas Rex Anglorum Orientalium. Uxor S. Hereswida Soror S. Hildæ.

S. Sexburga. S. WITHBURGA V.

Acta Synoptica.

Chron. MS. Elienſ. Monaſt.

AN non ſimilis eſt dilectus Virginum *capreæ hinnulóque cervorum*, qui eas paſcit cervino ubere? WITHBURGA minima natu filiarum Annæ Regis Eſtanglorum à patris obitu, qui fuit Anno 654. tenera Virgunculæ ſanctioris vitæ deſiderio, DEO Sponſo Virginitatem ſervatura, ab eo loco, in quo nutrita fuerat, profugit ad viginti milliaria, Derham appellant, ubi ſolitariam volens agere vitam, Eccleſiam primùm condidit; quæ dum conſtruitur, accidit ut Virgo, quod operariis apponeret, præter ſiccum panem non haberet. Converſa ad dilecti ſui matrem Virginem, querulis precibus ab ea petiit in præſenti neceſſitate ſubſidium, id dum ſummo cum fervore & affectu agit, ſomno opprimitur, vidétque adſtantem ſibi DEIparam, quæ monuit, ut puellas miniſtras ad originem fluvii proximi leucâ diſtantem quotidie mitteret; venturas illuc cervas cicuratas & manſuetas, quæ lac copioſum ſibi emulgeri paterentur. Fidem juſſis habuit Virgo, miſitque ancillas, quæ ultro accedentes cervas invenientes, copioſum lac attulerunt, ſuffecturum neceſſitati Operariorum, & ipſiusmet Virginis. Quod dum longo tempore exercent, villæ præfectus homo praviingenii, divinam hanc alimenti proviſionem irridere, & cavillari orſus, in Sylvam cum canibus abiit, feras alimenti miniſtras perſecuturus. Et potitus quidem eſt voto, ſed ſuo damno. Nam licet feræ profugerint, WITHBURGÆ tamen aliunde providit Deus; ipſe verò eâdem horâ admotis calcaribus equum impulit, qui ſepem vicinam inſiliens, acutâ ſude ilia transfixus, ſeſſorem ſupinus excuſſit, & excuſſum cervice fracta exanimavit. Ita vitæ author ex Chronico Elienſi. At Malmesburienſis paulò aliter narrat, ubi ait: *Miniſtrabat* WITHBURGÆ *quotidianum ex uberibus potum cerva domeſtica, & manui aſſueta, quam cùm quidam ſeu telo, ſeu jaculo appetiſſet, & exanimaſſet, regio non multò pòſt morbo ca-*

Mich. Alford. in Annal. Angl. Harpsfesd. Sec. 7. c. 17.

Eduard. Maiheu in Trophæ. Malmesburien. lib. 2. c. 13. & lib. 4. de geſt. Pontif. Angl.

Radolph. Ceitren. lib. 5. Polych.

Jo. Capgrav. in vita S. Withb.

Bolland. ad 17. Mart. & ad 3. Feb. in præterm. & in vita S. Ermen. MS Florar. ap. Boll.

Bucell. in Menol. ad 8. Julii

ptus extabuit. Potuit utrumque accidiſſe. Cœterum in eo vitæ genere perſeverans Withburga, plena meritis ad cœleſtem tranſiit Sponſum circa Annum 743. Corpus ejus poſt annos quinquaginta quinque exhumatum, adhuc repertum fuit incorruptum. Bucelinus habet poſt annos 354. ſed videtur ternas corporis elevationes in unam confudiſſe. Natalem diem Bollandus uno in loco aſſignat 8. Julii, at in To. 2. Martii refert eam 17. Martii, ibi ſecutus Wionem, Bucelinum & alios, hic verò ipſa Acta. Ad hanc verò diem 19. Febr. retulit Florarium, cui ſubſcribimus.

DIE XX. FEBRUARII.

BB. ALBERTUS ET OCKARIUS COMITES TEGERNSEENSES FUNDATORES.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Aventini, Lazii, Henningis.

Grimoldus Dux Bavariæ, Obiit Anno 695.

Theodo VI. Dux Bavariæ.
|
Grimoldus II. Dux Bavariæ.
|
Albertus & Okarius fratres Comites Tegerini.

Plectrudis Uxor Pipini Heristalli Ducis Brabantiæ.
|
Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
|
Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habspurgici.

Nexus II. ad mentem Raderi.

Hugobertus Præfectus Regis Francorum.
|
Arnolphus seu Arnoldus Magnus.

Angisus seu Anchisus.
|
Pipinus Crassus Dux.
|
Carolus Martellus Dux.
|
Pipinus Brevis Rex.
|
Carolus Magnus Imperator.

Lotharius.
|
Hartwicus.

ALBERTUS. OCKARIUS.
|
Rochus.

Posteriorem nexum judicat probabiliorem Raderus, eò quòd reperiatur in MSS. Tegernseensibus, quasi non possent errare etiam MSS. Quis ille Hugobertus Præfectus Regis Francorum, & cujus? Quomodo Arnoldus & Arnulphus in unam personam conflantur, cùm alter fuerit avus, alter pater Ansegisi? Quodsi tamen ex S. Arnulpho præter Ansegisum natus est aliquis Lotharius (de quo silent veteres authores) & ostendi possunt documenta fide digna, non recusem eum constituere avum BB. ALBERTI & OCKARII.

Acta Synoptica.

VT sit ambigua horum fratrum origo, vetus nihilominus traditio, quin & membranæ Tegernseensis Cœnobii quod fundarunt, illustres valdèac potentes Dynastas fuisse testantur. Unde Velserus: *Vetustorum diplomatum fide hactenus liquet, illustri genere ortos, quòd Reges propinquitate attingerent.* Rader. Bavar. S. To. 2. f. 65. Canis. antiq. lect. To. 4. p. 470.

Aventin. Annal. l. 3. Chron. Tegernſee. Metell. in Quirinal.

Unicum Ockhario ſeniori fratri fuiſſe filium Rochum, Tegerinæ chartæ memorant, qui in ludo Scachorum à filio Pipini Regis Francorum occiſus ſit; eáque occaſio fuerit orbo patri de Cœnobio erigendo cogitare, & fratrem in eandem ſententiam impellere. Dubitat Raderus de veritate, licet hæc in Tegerinis antiquis chartophylaciis notata eſſe fateatur, quòd tempora non concordent, & quòd aliæ chartæ non filium OCKARII, ſed Pipini Regis occiſum referant. Hæc alii diſquirant. Illud certum, hos fratres ALBERTUM & OCKARIUM cum liberis carerent, ſtatuiſſe omnes opes ſuas locis ſacris impendere, Romam profectos Gregorio Papæ III. contra Longobardos opem tuliſſe, ac militaſſe, reduces dono accepiſſe Reliquias SS. Quirini Martyris, & Arſacii, condidiſſe Tegernſeenſe Cœnobium, uti & Schlechdorffenſe, & S. Hippolyti in Auſtria, & quidem in Tegernſeenſi ALBERTUM, quia literatus erat, licet junior, primum Abbatem egiſſe, OCKARIUM verò in humiliori gradu ſub fratris imperio religioſam vitam vixiſſe. Ambos poſt obitum ſignis clareſcere cœpiſſe, cùm energumenus, caſu ſupra eorum tumulum delatus, ab hoſpite maligno liber ad ſuos rediit.

DIE XXI. FEBRUARII.

B. PIPINUS DE LANDIS DUX ET MAJOR DOMUS REGUM AUSTRASIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEOLOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

|

B. PIPINUS DE LANDIS Dux & Major Domus.

|

S. Begga Uxor B. Ansegisi Ducis Mosellani.

|

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

|

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

S. Carolus Magnus Imperator, à quo cæteri Carolingi, & dein Habspurgici.

Acta Synoptica.

INnocentem in Aula & justum pariter spectamus PIPINUM, divitem & liberalem, honoratum & Christianæ studiosum modestiæ. Rara hæc inter Magnates virtutum consortia, qui ceu magnetes non tam ferrum quam animos Principum, quàm aurum & titulos ad se trahunt, justitiæ lancem ex privato librantes commodo. Trium Regum Palatio præfectus ea suasit, quæ regno prodessent non quæ sibi, æmulorum vitia, sola virtute gnarus opprimere, in bello fortis, in pace moderatus, utrobique justus. Fidelem facilè credidit Clotharius, quem videbat DEO fidem non frangere, nec ulli securiùs putabat se domus Regiæ curam posse committere, quàm qui Domûs privatæ curam optimè administrabat. Uxor illi Itha mulier sancta, Modoaldi Trevirensis Archiepiscopi Soror, filiæ S. Begga & Gertrudis, daturæ ambæ sanctos nepotes, hæc in choro, illa in thoro. Nunquā securiores sunt Principes, quàm ubi sanctos nacti sunt tutelares. Hinc Francorum Regnum sub Clothario, sub Dagoberto, sub Sigeberto, pro quibus vigilavit PIPINUS, felicissimum est creditum pace & bello. Interest cui te committas. A pietate Pipini mores correxit Dagobertus, sanctitatem attraxit Dagoberti proles S. Sigebertus, & B. Athela Palatioli Abbatissa. Subducto hoc regni oculo, cœcutiit ferè cœtera posteritas, & in ignavos, stupidos, nihili degeneravit. Sed debebatur PIPINI sanguini diadema Regium, quod PIPINUS tam solicitè aliis tuebatur. Id pronepoti Pipino impositum, ut nominis, ita felicitatis hæredi. At verò PIPINUS Landensis, à loco cui dominabatur deno-

Anon. auth. vitæ. Franc. Haræus in vita. Balduin. Willol. in Martyr. Gazæ hist. Eccles. Miræus in fastis Belg. Gelen. in fastis Agrippin. Rosweyd. in vit. Sausslag. Molan. addit. Usuardi. & Ind. SS. Belg. Florar. MSS. Christ. Massæus Chron. lib. 14.

Bolland. To. 3. Feb ad diem 21

denominatus, poſt res domi & foris præclariſſimè geſtas, poſt erectas Deo Eccleſias, ſanctarum Virginum colonias, poſt auctum divinum cultum, dives meritis ad ſuperos tranſiit, deploratus à ſubditis,& brevi illo donatus elogio : *Vir probatiſſimæ vitæ, puriſſimæ famæ, Sapientiæ domicilium, conſiliorum theſaurus, defenſio legum, controverſiarum finis, munimentum patriæ, Curiæ decus, via Ducum, Diſciplina Regum.* Obiit Anno Chriſti 646. die 21. Februarii. Willot. Gulielmus Gazæus, Aubertus Miræus, Ægidius Gelenius. At verò ſancti titulo honorant Ferrarius, Rosweydus, Andreas Boeius, Sauſſagus. Molanus, MSS. Nivellenſia,& plura Martyrologia.

DIE XXII. FEBRUARII.

S. EARCONGOTHA VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilberga, vel Bertha, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga.

S. EARCONGOTHA Virgo cum Sorore S. Ermenilda.

Blithildis Uxor Ansberti Mosellani, à quo certâ serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

NOn opus est alio sanctæ hujus Virginis Encomiaste, quàm Beda, qui hæc de illa literis consignavit. Anno Dominicæ Incarnationis 640. Eadvaldus Rex Cantuariorum transiens ex hac vita Earcomberto filio regni gubernacula reliquit. Quæ ille suscepta viginti quatuor annis & aliquot mensibus nobilissimè tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui, simul & jejunium 40. dierum observari principali auctoritate præcepit. Quæ ne facilè à quopiam posset contemni, in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cujus filia EARCONGOTA, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit Virgo virtutum, semper serviens Deo in Monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima vocabulo Fara, in loco qui dicitur in Brige. Nam eo tempore nec-dum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conversationis gratiâ Francorum Monasteria adire solebant, sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant. &c. Hujus autem Virginis EARCONGOTÆ Deo dedicatæ multa quidem ab incolis loci illius solent opera virtutum, & signa miraculorum usque hodie narrari; verùm nos de transitu tantùm illius, quo cœlestia regna petiit, aliquid breviter dicere sufficiat. Imminente ergo die suæ vocationis, cœpit circumire in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earúmque maximè, quæ vel ætate provectæ, vel probitate morum erant insigniores, quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proximè suum, quem revelatione didicerat, non celabat esse futurum. Quam revelationem videlicet ejusmodi esse perhibebat: vidisse sese albatorum catervam hominum idem Monasterium intrare, hósque à

Ven. Beda. hist. lib. 3. c. 8.
Trithem de vir. illustr. l. 3. c. 56.
Huntingdon Tract. de SS. Angl.
Wigonien. ad an. 640. Bromton. in regn. Cant. fol. 740.
Malmesbur. Martyrol. Angl.
Bucelin.
Menol.
Bolland. in vita ad 23. Feb.
Haræ. in vita ad 7. Julii.

ſe interrogatos, quid quærerent, aut quid ſibi vellent, reſponderunt, quòd ob hoc ſolum illò fuerint deſtinati, ut aureum illud numiſma, quod eò de Cantia venerat, ſecum aſſumerent. Ipſâ autem nocte, in cujus ultima parte, id eſt incipiente aurora, præſentis mundi tenebras tranſiens, ſupernam migravit ad lucem, multi de fratribus ejusdem Monaſterii, qui aliis erant in ædibus, jam manifeſtè ſe concentus Angelorum pſallentium audiſſe referebant, & ſonitum quaſi plurimæ multitudinis Monaſterium ingredientis. Unde mox egreſsi dignoſcere quid eſſet, viderunt lucem cœlitùs emiſſam fuiſſe permaximam, quæ ſanctam illam animam, carnis vinculis abſolutam, ad æterna patriæ cœleſtis gaudia ducebat. Addunt & alia, quæ ipſa nocte in Monaſterio eodem divinitus fuerint oſtenſa miracula. Sepultum eſt autem corpus venerabile Virginis & Sponſæ Chriſti in Eccleſia B. Protomartyris Stephani, placuítque poſt diem tertium, ut lapis, quo monumentum tegebatur, amoveretur, & altiùs ipſo in loco reponeretur; quod dum fieret, tantæ fragrantiæ ſuavitas ab imis ebullivit, ut cunctis qui adſtabant Fratribus & Sororibus quaſi opobalſami cellaria eſſe viderentur aperta. De anno obitûs non conſtat. Wigornienſis putat Anno 640. obiiſſe. Trithemius Anno 660. Bucellinus Anno 680. ſub finem ſeculi ſeptimi arbitratur Bollandus. Diem natalem plerique aſſignant 8. Julii erroneè, qua die colitur S. Æthelberga ejus matertera. Alii ad 23. Feb. referunt, quam nos prævenimus.

DIE XXIII. FEBRUARII.

S. MERUUALDUS REX MERCIORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiorum, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilberga, seu Bertha, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ermenredus Rex Cantiorum. Uxor Oslava.

S. Domneva Uxor S. MERUUALDI, qui fuit filius Pendan Regis Merciorum, frater Wulfheri & S. Ethelredi. Wulfheri Uxor S. Ermenilda, neptis S. Domnevæ.

S. Meruinus. S. Milburga. S. Mildretha. S. Milgitha.

Acta Synoptica.

EXiit MERUUALDUS insignis fidei propagator, qui in sancto conjugio progeneratis tribus SS. filiabus Milburga, Mildretha, & Milgitha, unóque filio etiam sancto Mervino, pari consensu cum conjuge Domneva continentiam vovit, & reliquum vitæ in omni sanctitate transegit: unde jam olim meruit variis Martyrologiis cum titulo Sancti inscribi. Domneva condidit Monasterium in Taneto Iusula, ubi collectis virginibus præfuit, eique defunctæ ac sanctis adnumeratæ successit filia S. Mildritha. Acta alia desiderantur.

Bolland. ad diem 23. Feb. in prætermiss. Gulielm. Thomas. Capgravius Harpsfeld Sec. 7. c. 23.

Eâdem DIE XXIII. FEBRUARII.

S. MILBURGA V. SANCTIMONIALIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA

Eadem eſt, quæ ſancti parentis Merwaldi & Sororum, paulò antè adducta.

Acta Synoptica.

Guliel. Thornus in vita S. Mildredæ.

Goſcelin. in vita S. Wereburgæ.

Capgrav. in vita S. Milbur.

Harpsfeld. Hiſt. Angl. Sec. 7. c. 23.

Malmesburg. lib 2. c. 13. de geſtis Anglo. & lib. 4. de geſt. Pontif.

Bolland. ad 23. Feb. Bucel. eod. ex Contin. Bedæ.

INter purpuras educata, ad purpuras expetita MILBURGA primogenita Merwaldi, nihil pretioſius habuit candore liliatæ caſtitatis. Primi inter Mercios Reges Chriſtiani filia, prima eſſe voluit Sponſa ejus, qui paſcitur inter lilia, ut eſſet pudor ſecurior, qui periclitatur in aulis, ſolitudinem petiit, Wenlokenſe condidit Cœnobium, in quo Virginibus congregatis virtutis ipſa præfuit exemplar & Magiſtra. Primordia religioſæ vitæ turbare conatus eſt, qui Virgineo ſemper inſidiatur calcaneo: ſubmiſit Regium juvenem animo obfirmato paratum prædonem agere, ſi ſponſum non poſſet. Erat tunc Virgo extra clauſtrum in villa domeſticis intenta curis, ſenſitque inſpiratione divina adventum proci, an porci. Quid ageret, niſi divino freta auxilio ad proximum tenui vado decurrens flumen properaret? Tranſiit felici pede, ſed prædo ſubſequitur, nondum erubeſcere doctus, niſi cùm vidit undas ex contactu Virgineæ plantæ ſuperbientes intumeſcere, negare trajectum. Sic eluſus eſt, qui volebat illudere: & MILBURGA ad ſorores redux, ſedula deinceps clauſtri cuſtos, ſui tenax propoſiti de virtute in virtutem progreſſa eſt, virtute etiam mira patrandi donata. Aves ſegeti noxias ſolo verbo coërcuit, ut deinceps volatu feſſæ in campis quidem quieſcerent, ſed innocentes. Velum fortuitò dejectum capite ſolis radio ſuſpenſum recepit. Viduæ filio extincto vitalem ſpiritum reſtituit. Mittamus cœtera, quæ alii narrent. Fatalis horæ præſcia, cùm ſororibus inſignia vitæ religioſæ exempla reliquiſſet, documenta dediſſet, evolavit ad Chriſtum, cui ſoli ſervierat, plurimis deinceps clara miraculis,

Anno 722.

DIE XXIV. FEBRUARII.

S. ETHELBERTUS REX ANGLO-SAXONUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Charibertus Rex Parisiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici.
	Adilberga, vel Bertha, Uxor S. ETHELBERTI Regis Anglo-Saxonum.	

Acta Synoptica.

NUlli Regum suorum tantum Anglia debet universa, quantum ETHELBERTO. Hic primus ei lumen intulit fidei, primus noctem Idololatriæ fugavit, primos Apostolicos viros excepit hospitio, audivit promptus, fovit beneficus, adjuvit Zelosus promotor veritatis, quam per illos didicerat. Cum quadraginta sociis ad eum S. Augustinus genti Idolorum cultrici à S. Gregorio Papa missus Apostolus, illicò faciles apud Ethelbertum aures nactus formavit Apostolicum Regem, qui fana gentilium convertit in Dei templa, erexit Ecclesias, fundavit Monasteria, & regalibus dotavit possessionibus, ipse quoque populo ad amplectendam doctrinam fidei hortator pariter, & Legislator. Dignus sanè, qui & vitam supra antecessores suos extenderet, & regni fines ampliaret. Præfuit Cantiæ regno annis quinquaginta sex, quod solum à patre acceperat, sed virtutis felicitate cunctis dein Australibus Provinciis imperavit. Cùm interea talem se in vestitu & victu pietatis studio exhiberet, quasi omnium egenus, talem in obsequendi promptitudine, quasi subditus esset non Princeps. Glorioſum erat conspicere latè imperantem servire pauperibus, terrentem vicinos Reges, metuere sacerdotes, honoratum à populis, infimos quosque Ecclesiæ Ministros venerari. In compescendis vitiis (inquit vitæ Author) virtutibus extollendis, Mandatorum DEI executione, cunctisque pietatis operibus quantum enituerit, ille ætherius liber tantò clarius expressit, quantò in his segniùs mundus obmutuit. Migravit ad Dominum 6. Cal. Martii, anno regni 56. adventus S. Augustini, & ab eo acceptæ Christianæ fidei vigesimo primo, Christi verò 616. Sanctitatis ejus testis est antiquitas, quæ à primordiis plantatæ in Anglia fidei solenni cultu quotannis ejus natalem celebrare consuevit, ejúsque neglectum etiam prodigiosis visionibus DEUS castigavit. Addit Bucelinus: *Licèt Monachus non sit, nostris tamen Martyrologiis haud immeritò insertus reperitur, non solùm quia nostrorum operâ ad fidem conversus est, sed vel maximè quia in Regno ipso vitam Monachi egit, adeò totum se illis permittens, ut nullus magis Monachus ab ore & nutu suorum pendere superiorum videretur, idem promotor insuper & propagator vitæ Monasticæ longè meritissimus, & plurium Fundator Monasteriorum.* S. Augustinum gentis Apostolum fuisse in *Monasterii regula doctum, sacræ scripturæ* scien-

Beda lib. 1. c. 11. & seqq. lib. 2. cap. 4. & seqq. Joan. Capgrav. in Vita.

Simeon Dunelm. ad ann. 616.

Joan. Bromton. in Chron.

Reg. Mamesburg. lib. 1. de gestis Reg. c. 1.

Wigorn. ad an. 568.

Gulielm. Thornus. Chron. cap. 1. §. 3.

Sigeb. in Chron. ad an. 597.

Molan. in Auct. Usuard. Greven. Bucelin. Menol. Bolland. To. 3. Feb.

ſcientiâ repletum. Scripſit S. Gregorius Epiſtolam ad ETHELBERTUM Regem. De cœteris ejus ſociis quadraginta, an fuerint omnes Monachi, aliis diſputandum relinquo. Scribitur ab aliis Athelbertus & Æthelbrichtus. Uxor verò Bertha & Athelberta, & à S. Gregorio Rex Aldibertus, Regina Aldiberga. Ante adventum S. Auguſtini in Angliam venerat S. Letardus Epiſcopus, qui primus Anglorum ſylveſtres animos (ut loquitur Malmesburienſis) ad leniores mores inflexit, & Regem diſpoſuit, ut Chriſtianæ fidei faveret. Ipſe tamen non niſi Anno 596. à S. Auguſtino baptizatus eſt: quem Annum meritò ſibi feliciſſimum Anglia gratuletur, uti è diverſo infelicem, quo Henricus VIII. religionem Catholicam & Sedis Apoſtolicæ obſequium ejuravit.

S. Greg. l. 9. Ep. 59.

DIE

DIE XXV. FEBRUARII.

S. ANGLITRUDIS VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Hasbanius Tongrorum Dux, Uxor N.

Carolomannus Tongrorum & Brabantiæ Dux.

B. Pipinus de Landis, Uxor B. Idaberga.

S. Begga Uxor B. Ansegisi Ducis Brabantiæ.

Pipinus Heristallus Dux Brab.

Carolus Martellus Dux Brab.

Pipinus Brevis Rex Franciæ.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & deinde Habspurgici.

N. - - - Comes Hasbaniæ.

Eilolphus Comes Hasbanius. Uxor B. Adeltrudis.

S. Bavo Confessor. B. Adilia.

S. ANGLITRUDIS, quæ & Aglethrudis, & Adeltrudis nominatur.

Acta Synoptica.

Illiam fuisse S. Bavonis, neptem Eilolphi Comitis Hasbanii, qui fratruelis fuit Carolomanni Ducis Tongrorum & Brabantiæ, veteres tradunt. De actis ejus hactenus aliud non deprehendi, quàm quòd facta sanctimonialis *ad summa perfectionis fastigia elevata* fuerit, ut habet Theodoricus Abbas in vita S. Bavonis. Addit Bucelinus, quòd fuerit admiranda vitæ sanctitate, & ipsis quoque parentibus sanctioris vitæ viam aperuerit, cujus à morte, conjugis exemplum secutus Bavo, seculo renuntians, cucullum amplexus est. Sanctæ ejus Reliquiæ unà cum S. Landoaldi & sociorum repertæ sunt Wintershovii in Belgio Anno 735. à S. Floriberto Trajectensi Episcopo, & postea Gandavum translatæ ad Monasterium S. Bavonis Anno 980. de quo latè Bollandus ex variis scriptoribus. Dies ejus natalis in MS. Florario assignatur hæc dies 25. Feb. Bucelinus autem reposuit ad 27. Junii, qui ait, eam claruisse Anno Christi 640. Plura fortè suggerent sive in Junio sive Cal. Octob. in vita S. Bavonis, Bollandi socii.

Balduin. Willot. ap. Bolland. Molan. in a Natl. SS. Belg. Bucel. in Menolog. Bolland. ad 19. Mart.

DIE

DIE XXVI. FEBRUARII.

B. EDIGNA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Chiffletii.

Carolus Magnus Imperator.

Ex concubina Regina.

Hugo Abbas Dux Burgundiæ.

Adelheidis Uxor Conradi majoris Ducis Burgundiæ.

Robertus Fortis Dux Francorum.

Robertus Dux & Rex Francorum.

Hugo Magnus Dux Francorum.

Hugo Capetus Rex Franciæ.

Robertus Pius Rex Franciæ.

Henricus I. Rex Franciæ.

B. EDIGNA Virgo.

Ex Sancta Hildegarde Imperatrice.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitiſſa Namurci.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, a quo cœteri.

Nexus II. admentem Pieſpordii.

Ottobertus I. Habſpurgicus.

Beatrix Habſpurgica, Uxor Childebrandi Ducis Moſellani.

Theodoricus Gubernator Saxoniæ.

Robertus I. Comes Andium.

Robertus II. Comes Andium.

Hugo Magnus Comes Pariſiorum.

Hugo Capetus Rex Franciæ.

Robertus Pius Rex Franciæ.

Henricus I. Rex Franciæ.

B. EDIGNA Virgo.

Ne-

Nexus III. ad mentem Henningis & Piespordii.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis V. Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Hedwigis Uxor Hugonis Magni Comitis Parisiensis.

Hugo Capetus Rex Franciæ.

Robertus Pius Rex Franciæ.

Henricus I. Rex Franciæ.

EDIGNA Virgo.

Hedwigis Uxor Friderici Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgicus, & cæteri rectâ serie ad hodiernos Archiduces Austriæ.

Acta Synoptica.

EDIGNÆ Virginis encomium paucis celebrant, qui ejus meminerunt, sed in argumentum sanctitatis abundè sufficiunt. Stirpe Regia Francorum exortam vetus est traditio, veteribus etiam tabulis & chartophylaciis consignata. Sauffagus hæc depromit: In Bavaria S. EDIGNÆ Virginis, quæ Regum Franciæ inclyta propago, filia Henrici Regis sorórque Philippi, tota Christi amore succensa, Virginitatem suam cœlesti sponso ab ipso ætatis flore consecravit. Ob quod religiosum votum palàm nuptias aspernata, cùm ideas ineundas parentum imperio cogeretur, lubens exilium subiit, plaustróque vecta peregrini habitu, cum scipione, per boves sponte jugum ad trahendum nobile onus subeuntes, delata in Bavariam venit, eóque loco divinitùs constitit: ibi in antro delitescens, tam diu Deo in sacris votis, lacrymis, & vigiliis multis litavit, quoúsque ad cœlestem patriam, è peregrino solo & exilio profecta est. Cujus merita apud DEUM pretiosa magna miracula illustrarunt, quibus etiamnum insignis, in Ecclesia ubi quievit, sub ejus patrocinio dedicata. Eadem affert Brunnerus, nisi quod circumstantias meliùs exponat. Carpento (inquit) rusticano, in obsoleta veste quæ genus absconderet, in Boicam vecta, Buechæ, qui Monachium inter & Augustam Vindelicorum vicus est, consedit; cavo tiliæ trunco plerúmque abdita: quæ imbuta Virginis sanctitate, à morte ipsius oleum, quod

Andr. Sauffag. in Martyrol. Gallic. Franc. Lacier. in Menolog. Virginum.

Andr. Brunner. Annal. Boic. P. 3. lib. 12. Sect. 1. Matthæ. Radet. Bav. Sanct. Bolland. To. 3. Feb. ad diem. 26.

panaceæ vicem eſſet, fudit. Id ſimul ac vendi cœptum eſt, fontem avaritia arefecit. Cœtera ejus beneficia quæſtui non obnoxia, in hanc uſque diem perpetuantur. Furum abigenorúmque damna illi potiſſimùm commendata, etiam Aventinus ſcripſit, ut cujus beneficio amiſſæ opes Dominis reconciliarentur. Extant adhuc ejus reliquiæ in capſella vitris pellucida, cum pectine, velo, ligula, & cochleari; cœtera ætas abſumpſit. Miracula plura ad ejus invocationem etiam hoc ſæculo quod excurrit decimoſeptimo patrata, Raderus & alii ſcriptis tradiderunt. Obiiſſe creditur die 26. Februarii Anno 1109.

DIE

DIE XXVII. FEBRUARII.

S. LEANDER EPISCOPUS HISPALENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Severianus Præfectus Provinciæ Carthaginensis.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa series Carolingorum & Habspurgicorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Theodosia Uxor Leovigildi Visegothorum.

S. LEANDER cum fratribus sanctis.

Childibertus Rex Austrasiæ, & Successores.

Ingunda, cujus maritus ——

S. Hermenegildus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

NOn ita facta sociantur, ut nomina. Dissimilis planè Abydeno Leandro Hispalensis fuit. Illum insano flagrantem amore marina Venus natalibus extinxit undis, hic naufragam Hispaniam in Ariano freto servavit providus. Actum erat de Religione Catholica, nisi illi seculo LEANDER, Fulgentius, Isidorus, sanctissima germanorum trias obtigisset. Expertus quidem adversarium Regiæ potestatis ventum, in exilium se recepit ceu portum, ubi tamen feliciter consedit ad lucernam, elaboratis ingenii monimentis, quæ veneratur posteritas. Ornatus infulâ, unum sibi ornamentum ambivit servare animas perituras. D. Benedicti instituta professus, ferventiùs implevit Episcopus, domi Asceta, in Aula & templo Antistes, utrobique quàm charus Magno Gregorio, tam pendens ab ejus nutu & arbitrio. Constans est apud Hispanos fama, LEANDRO missam à Gregorio imaginem Deiparæ, quæ hodie in templo Guadalupensi frequentatur honoribus, claret signis. Ab obitu Leovigildi Ariani Regis cognati, consecuta malaciam Hispalis, recepit Leandrum tempestate ejectum, ubi Legatus Apostolicus Toletano III. Concilio præfuit Anno 589. & sequenti etiam Hispalensi, Flavio Reccaredo Rege ex sorore Theodosia nepote, quem salutaribus imbutum monitis, ceu morum juvenilium ab ipso patre deferveſcente, censor datus eò impulit, ut profligata Ariana hæresi Gothi Catholicæ aggregarentur Ecclesiæ. Obiit Magnus Præsul magnis pro fidē exantlatis laboribus circa Annum Christi 600. illustratus etiam in vita miraculis. Diem natalem statuunt alii 31. Martii. Usuardus in Martyrologio & Venerabilis Beda 13. Martii, ut est apud Prudentium Sandovalium, & Brouverum: sed Bollandus tradit in Usuardi & Bedæ Martyrologio, quin etiam Adonis Wandelberti Notgeri, & Romano assignari diem 27. Februarii. Licet in Hispania celebretur 13. Martii: quod & nobis ex causa placuit.

Jo. Bapt. Masc. in Encom. SS. ad 27. Feb. Prudent. Sondoval. in vita. Bucel. in Menol. Tho. de Trugillo in Thesau. Concion. Mariettalib. 5. de SS. Hispan. cap. 19. Lucas Tuden. in Chron. S. Isido. Hispal. lib. de script. Eccles. c. 28. S. Greg. lib. 3. Dial. cap. 31. ap. Bolland. ad 13. Mart. Quintanna duodenn. lib. de SS. Hispal. Roderic. Carus lib. 2. Antiq. Hispal. Joan Horion. & Christ. Brun. in vita.

DIE XXVIII. FEBRUARII.

S. BERTHA BIBURGENSIS FUNDATRIX.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum,

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomannus Rex Bavariæ.

|

Arnulphus Imperator.

|

Arnulphus Malus Rex Bavariæ.

|

Bertholdus I. Comes Schyrenſis.

|

Babo I. Comes Schyrenſis.

|

Babo II. Comes Schyrenſis.

|

Etkambertus Comes in Biburg, & Stain.

|

Thiemo Comes in Biburg.

|

Henricus Comes à Biburg & Hilpoldſtein.

|

S. BERTHA fundatrix Biburgenſis.

Acta Synoptica.

Rader. Bavar. S. To. 1. f. 131. Hund. in Metrop. MSS. Biburgenſ. Radevic. in vita S. Eberhardi.

FRant Henrico Hilpoldſteinio Biburgi Dynaſtæ ex BERTHA conjuge liberi undecim, ex quibus unica filia BERTHA, cœteri mares. Parentibus vitâ functis, hæredes bona partiti ſunt. Præter alia Biburgum Conrado, Erboni, & BERTHÆ obvenit, qui conſilio & auxilio S. Ottonis Bambergenſis Epiſcopi, res ſuas ad divinum uſum contulêre, molitique ſunt D. Benedicti Sodalibus contubernium, ædem ſacram, & miſeris lecto carentibus Xenodochium. BERTHA, matris quondam exemplo, nuda pedes onera ſaxorum, & materiam ſylvæ comportare non erubuit, cujus exemplum imitatæ plures matronæ, & ipſæ manum pio operi admovêre. Templum intra octennium demum abſolutum, à D. Ottone Bambergenſi & Henrico Ratisbonen-

bonenſi Epiſcopis initiatum. Primus Cœnobio Abbas datus ex Prufeningenſi Aſceterio Eberhardus BERTHÆ fundatricis frater, qui poſtea Cathedræ Salisburgenſi impoſitus. BERTHA in Parthenone juxtà condito, poſt multa pietatis & miſericordiæ exempla cœlo digna ſpiritum poſuit, cujus tumulo hæc inſcripta leguntur.

Anno Domini M. C. LI. Obiit ſancta BERTHA *piæ memoriæ, hujus loci fundatrix.*

Diem natalem hunc ei aſſignamus, cùm de alio non conſtet. Beatam nominat Raderus.

Eâdem DIE XXVIII. FEBRUARII.

B. GENOVEFA PALATINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Orta eſt ex Ducibus Brabantiæ Carolingorum authoribus. Vixit enim circa annum 760. tempore S. Hildolphi Archiepiſcopi Trevirenſis, qui ſedit ab anno 756. ad Annum 768. non uti eſt apud Gualterum Anno 754. quo obiiſſe putatur. Proinde fuit Pipini Regis vel ſoror, vel ex aliquo ejus fratrum neptis. Interim cùm ignoretur vera cognationis ſeries, ſufficiat hic Nexus.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani,

Chilpericus Rex, à quo linea Dagobertina.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſius M. Dux Brabantiæ, Uxor Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

B. Carolomannus Aſceta. | Bernardus Dux. | Pipinus Brevis Rex Francorũ. | Walo Dux. | Hieronymus Griffo Dux.

Carolomannus Rex Auſtraſiæ. | Benno. | Carolus Magnus Imperator. | Rapato. | Leo Talandus. | Balamañus.

B. GENOVEFA Soror Pipini Brevis, vel neptis ex aliquo fratrum.

Acta Synoptica.

Eryc. Putean. ap. Rader. Bavar. Sanctæ. To. 2. fol. 300.

Freherus de origin. Palatinis Vol. 2.

Theod. Rhay in Anim. illuſt. die 2. April.

Veteri & ſacra Trevirenſium memoria in lucem & ſcenam GENOVEFA prodit, Ducis Brabantiæ filia, Siffridi Palatini Uxor, admirandum pietatis, pudicitiæ, & patientiæ exemplum. Primis Matrimonii annis ſterilem experta thorum, fœcunditatem à Virgine Dei Matre petiit, & impetravit. Voti compos, matris ſperare nomen poterat, cùm uterum ſe ferre ignoraret. Eodem tempore è caſtiſſimis amplexibus maritus abiens, im barbaros hoſtes cum exercitu profectus eſt. Tanquam corpore, non animo diſcederet, curare abſentem pergit, & quam gravidam neſciebat, ſimul cum Provincia tota fidei Golonis viri ſtrenui & amici ſui commendat. Sed heu! quàm fallaci imagine

gine res humanæ geruntur! formâ fidem vinci, libidine amicitiam, serò deprehensum est. Familiaritate audax Golo pulcherrimam mulierem non custodire, sed amare cœpit. Nam oblitus sui, & prorsus cœcus accensum animum cupidini permisit. Itáque mollibus verbis uti, ignem insinuare, omnibúsque blanditiis viam ad voluptatis vota sternere. Quid deinde? confictæ de morte mariti literæ adferuntur; ne tanquam adulter, sed procus ambiret concubitum, facilúsque amori pertinacia cederet. GENOVEFA non minùs casta quàm pulchra, primas blanditias, & adhuc cum verecundia luctantes neglexit, impudentiùs profusas animosè rejecit: sive crederet literis ad similitudinem veritatis compositis, sive non crederet, viro non libidine se nupsisse testata est; adversus manifestum pudicitiæ suæ hostem conscientiæ fiduciâ consistens. Audaciam deinde amantis timor excepit; & hic jam secundus labor erat, quomodo irrita libido periculo careret. Majori igitur scelere tegi flagitium debuit: & quia redire Sifridum Golo intellexerat, non poterat securus esse, nisi nova improbitate muniretur. Horreo dicere: quod committere tentaverat, nefas in Dominâ accusavit: iterum horreo; mœcham esse, & è clandestino adulterio filium pepersisse. Præbuit aures heu nimis faciles Sifridus, iráque præcipiti vindicem violatithori agens, non ad examen criminis, sed pœnam ivit. Hanc quóque suggessit Golo, & ut mitis videretur, matrem cum prole aquis submergendam censuit; ita sine sanguine elui maculam, turpitudinis simul pignus interire. Nec mora, abducitur GENOVEFA, tanquam probri convicta, cui ne quidem pro innocentia fari concessum est. Interfici miserum, nisi & miserius ream videri: nec tam grave erat mori, quàm plecti. Linguam quóque perituræ abscindi Golo voluit: an timens fortè ne mortua loqueretur? Id certè necis signum ferre Satellites jussi sunt. Hi tamen (vim Numinis agnosco) sive ut parcerent, sive ut supplicii eventum fortunæ committerent, in avio nemore mœstissimam matronam, & à recenti adhuc partu languidam, destituunt. Linguâ etiam caninâ humanam mentiti persuaserunt, loqui priùs desiisse Genovefam, quàm vivere: periisse, priusquam moreretur. Exulabat igitur non à penatibus tantùm, sed hominibus extorris. Famem necessitas ad herbas radicésque duxit, sitim ad fontes: & sic tamen in miseriis delitias innocentia invenit, in antro domum, in folio cubile, in solitudine præsentem Virginis Dei Genitricis opem. Quid mirabilius? cùm de filiolo mater solicita esset, lactis latice destituta, spelæum ecce cerva subiens, ubera admovit infanti, & nutricem se gessit. Totum sexennium mensésque tres sic GENOVEFA vixit, si tamen hoc vivere est: sed Deum colui, & hoc verè erat vivere. Non ejectam in naturæ hunc horrorem, sed spontè ingressam diceres, sanctitatis præmium felici reditu laturam. Casu námque inter venandum Sifridus aberrans, ad hoc ipsum antrum venit, puerum matémque invenit, & alloquitur: mox è sermone, adeóque cicatrice, quam à prima ætate vulnus in venustissimo vultu reliquerat, conjugem esse deprehendit. Innocentem esse, ipsum vitæ miraculum loquebatur. Quod gaudium, quis simul dolor? à gemino hoc velut fonte uberiores jam manabant lacrymæ: quia vivam uxorem maritus intuebatur, quam cœco non judicio sed furore damnaverat; quia in tanta inopia & ærumna vivam, pro quâ jam mori ipse vellet. Si ad puerum se converteret, imaginem suam inveniebat, & castissimi conjugii divinitùs conservatum pignus. Sed GENOVEFA haud ignara, cujus ope vixerat, cujus & ipse filius; non priùs sequi ab antro maritum voluit, quàm ille eodem se

loco

loco templum Dei Matri ſtructurum ſpopondiſſet. Spopondit, ſtructum eſt, & mox ab Hildulpho loci Epiſcopo conſecratum. In aulam igitur poſtliminio nova velut GENOVEFA rediit; ſed â priſtino vitæ rigore non recedens; in palatio tanquam eremo agere perſeveravit, in urbe tanquam in nemore: ſplendorem contempſit, & tamen attulit ſplendorempietatis, pudicitiæ, patientiæ. Cœlo digna haud multò pòſt, meliori ſui parte in cœlum transmigravit. Corpus in novo templo conditum,& velut ad antrum ſuum relatum,miraculis claruit,virginisq; Matris honorem illuſtravit. Sic quidẽ innocentia præmium invenit,& ſupplicium perfidia. Nam Golonem inter quatuor boves religatũ juſtiſſima vindicta diſtraxit. Hæc ita geſta eſſe circa annum 756. teſtantur antiqua monimenta Eccleſiæ vel ſacelli B. V. ſuprà memorati; teſtatur Freherus, qui fuſiùs hæc (ab Erycio Puteano contracta) deſcribit ſtylo ſimplici, prout ſcilicet reperit; & legere utrúmque licet apud Raderum. Utrobique GENOVEFA nominatur Ducis Brabantiæ filia, quem neceſſariò eſſe oportuit aut Pipinum, aut aliquem ejus fratrum, qui ſoli eo ſeculo Brabantiæ Ducum appellatione ſunt uſi. Beatam appellat Theodorus Rhay, & ad diem 2. Aprilis refert: ſed neſcio quo jure illam faciat Palatinam Rheni, cùm eo tempore nondum hæc nomenclatura fuerit nata. Comites Palatinos jam olim lego in Aulis Principum, ſed non Palatinos Rheni.

Finis Menſis Januarii in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI SANCTI
Habſpurgo - Auſtriaci.
MARTIUS.
Sive
FRIDERICUS III. PULCHER,
&
LEOPOLDUS PRIMUS,
Habſpurgo- Auſtriaci Imperatores.

PRimus olim menſis erat Martius. Sic placuit bellicoſæ Romanorum genti inde annum incipere, unde fauſtum omen poſſet accipere. Sit verò nobis cum Friderico *tertius*, cum LEOPOLDO *primus* idem menſis, initium ſcilicet Quinti ſeculi Habſpurgo-Auſtriaci. Sed quam olim ferunt hoc menſe Minervam contendiſſe cum Marte de nuptiis, hodie videmus conveniſſe cum LEOPOLDO LEONORAM velut alteram Palladem, ex quorum nuptiis ſperamus plures Leones Auſtriacos ſuis manſuetos, hoſtibus metuendos. Imò jam habemus ex fortunatiſſimo connubio JOSEPHUM, cujus nomen debetur Martio, ſed Elogium Aprili, cùm Ver ſacrum quinti ſeculi Auſtriæ aperiat. Id olim ſcribent alii, nos anteriora ſpectamus.

FRIDERICUS III. PULCHER.

Prodigioſo ſyſtemate
Formæ conjunxit Fortitudinem.
Martem *armorum DEUM* Deæ amorum maritavit.
Poſt Albertum patrem nemo magis
Dignus imperare.
Sed Electorum calculos disjecit Diſcordia:
Pars ſolùm amplexa judicium Paridis
Detur Pulcherrimo,
Addixit FRIDERICO pomum Imperii.
Quod ne ſolus tractaret,
Fortuna Juno ad Leonem Boicum rotam impulit;
Conſilio, an caſu dubites.
Tulit æquo animo FRIDERICUS averſam:
Dimiſit rotam, ne axem perderet.

Et admiſſo Parhelio, pacis artes amplexus eſt.
Obſtupuit credo Germania
Naturæ leges tunc violatas ſine violentia,
Dum duo ſoles concordi motu
Idem cœlum percurrerent
Romani Imperii.
Nempe utrinque irradiata Eclipſim pati
non potuit:
Cùm alteri amorem, timorem alteri impenderet.
Breve tamen illi è FRIDERICO gaudium:
Qui magis de Religione quàm Regione
ſolicitus,
Cùm ſua in pauperes & Eccleſias profudiſſet,
Requievit à laboribus ſuis.
Exinde in Regnatricem Domum
Unius decurſu ſeculi intercalare Imperium
Ingeſſit Fortuna:
Non auferens Auſtriæ, ſed differens:
Quaſi Elephantorum more parturiret Auſtriacos
Imperatores ſeculorum.
Et poſtliminiò in FRIDERICO QUARTO correxit,
Quod in TERTIO peccaverat;
Dum ſuæ pœnitens inſtabilitatis
Volubilem in aliis
In Domo Auſtriaca Fixam
Firmavit Rotam.

Fridericum Pulchrum, quem nos Tertium, alii Secundum dicunt: certè non ſecundis Fortunæ Favoniis colliſum cum Ludovico Bavaro. Martiales utrique ſpiritus, & tunc fortè par potentia, ſed impar eventus belli. Nempe tenella Auſtriæ Habſpurgicæ arbor immitibus Euris afflari debuit, ut ſolidaretur. Interjecto demum toto ſeculo, fructus iterùm tulit POMA IMPERII; & quæ ALBERTOI immaturè, FRIDERICOIII. violenter extorta fuerant, ALBERTO II. & FRIDERICO IV. reddita perpetuarunt. Ab hoc continuâ ſerie ad LEOPOLDUM Auguſtum devoluta, durant; ut liceat dicere Arbori Auſtriacæ: *Carpent tua poma nepotes.* Jam enim iterum floret in
Martio

LEO-

LEOPOLDUS PRIMUS.

Alio cognomento non eget:
Sufficit Primum eſſe
Nomine, Dignitate, virtute.
Servat nomenclaturam ab ipſo Natali.
Primum illi ſydus illuxit PRIMI & FELICIANI:
Ut ſciret Orbis qualem Principem nactus ſit,
Qui nulli Primas concederet
Nomine inter Cæſares,
Dignitate inter Principes,
Virtute inter Auſtriacos;
Quinquageſimus inter Imperatores Romanos,
Quintusdecimus inter Auſtriacos,
Auſtriaci Imperii *Quintum ſeculum* auſpicatus
Aurea cœpit *Secula* condere
Religioni Catholicæ;
Eliminare hæreſim certus, vel fulminare.
Mirarer
Secularem Principem tam *Religioſum*,
Niſi Auſtriacis *Religio* hæreditaria eſſet,
Et quatuor ſeculis domeſtica.
In ejus Jubilæo
Nullam ſperent rebelles Indulgentiam,
Niſi errori *Seculari* renuntient:
Et diſcant Centum annorum pueri tandem ſapere.
Cultu in Divos
Anteceſſoribus ſuis par, imò ſuperior,
Hic quoque *Primatum* obtinet,
Unica ejus ambitio ambire Cœlitum patrocinia.
Poſt Deum & Dei Filium
Primum & nobiliſſimum par
MARIAM & JOSEPHUM
Tutelares ſibi delegit.
Suſpicari poſſes Bellonam & Martem adſcitos,
Imperatori Martio
(Qui menſes omnes jam Martios fecit)
Præliaturos.
Dedit certè illa Victorias calcatâ *Lunâ*;
Hic *Turres* dejecit.
Dedit inſuper JOSEPHUS ex nomine ſuo AUGUSTUS
Quia *Filius accreſcens*,
JOSEPHUM cognominem,

Propitius Auguſtis conjugibus Virgo Conjunx.
Augurari jam liceat Domui Auguſtæ
Magnum familiæ incrementum.
JOSEPHUM inter & MARIAM
Ceu filius adoptivus
Medius LEOPOLDUS incedit:
Regni ejus non erit finis,
Niſi cùm omnium rerum finis.
Adamati Cœlites adamantino clavo
Firmant Regna.
Augetur quæ putabatur Auſtria minui per *Auguſtum.*
Proprium nempe eſt PRIMIS inter Auſtriacos
Magnis colluctari periculis, & ad Fortunam eluctari *Majorem.*
Sic oritur Auſtria, cùm conſumptam putaveris.
Rudolphus I. Albertus I. Maximilianus I. Ferdinandus I.
Ut nomenclaturam PRIMI, ſic caſus varios
Derivarunt in LEOPOLDUM.
Sed non derivaſſent,
Niſi in *Unum* ipſum
Sanguis & Virtus *Omnium* confluxiſſet.
Oceanum Auſtriæ cogita
Redditurum iterùm flumina, quæ accepit:
Et jam quatuor anteceſſorum I. in unum congeſta ſunt
JOSEPHUM JACOBUM JOANNEM IGNATIUM.
Ità ſcilicet
Quia omnis *Felicitas* à *Felle* incipit,
Per adverſa & proſpera,
CONSILIO & INDUSTRIA
Ex caſibus ſurgit Auſtria ſeipsâ major,
Et quam *tollere* vult invidia,
Virtus *attollit.*

Attigimus publica, ſoliciti ne in modeſtiam Auguſti peccaremus, qui mavult magna ex ſe facere, quàm de ſe legere. Alia, potiſſimùm quæ adhuc privata ſunt, alii efficient publica, ne privent exemplis poſteritatem. Siſtimus hic in curſu Anni ſecundi Auſtriaci: vernantem Aprilem poſterorum calamis dimittimus; ad Sanctos convertimur.

CA-

CALENDIS MARTII.

S. MERCELMUS REX MERCIORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.
|
Adelbertha, vel Adilberga Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.
|
Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.
|
S. Ercombertus Rex Cantiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.

Pendan Rex Merciorum.

S. Ermenilda, cujus maritus — Vulpherus Rex Merciorum.

S. MERCELMUS Rex Merciorum.

Acta Synoptica.

MArtium nomen MERCELMI, mensem Martium auspicatur. Fuit frater Merwaldi & Ethelredi Sanctorum Regum, & Sanctarum Kineburgæ, Khinesvidæ, & Kinesdredæ, quibus alibi. Sancti nomen tribuit Wigornienſis apud Bollandum, cujus socii laboris fortè plura producent aliis mensibus, quos exspectabunt posteri nostri. Nos contenti sumus, quòd MERCELMUS nobis augeat Sanctorum numerum.

B. CAROLUS BONUS COMES FLANDRIÆ M.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctis.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolus Craſſus Imperator.

B. Everhardus Dux Foro-Julii.

Berengarius I. Rex Italiæ.

Giſela Uxor Adelberti Eporediæ Marchionis.

Berengarius II. Rex Italiæ.

Roſula Uxor Arnulphi II. Comitis Flandriæ.

Balduinus IV. Comes Flandriæ.

Balduinus V. Comes Flandriæ.

Robertus Friſius Comes Flandriæ.

Adella Uxor S. Canuti Regis Daniæ.

B. CAROLUS Comes Flandriæ Martyr.

B. Lotharius Imperator.

Ermengarda Uxor Raneri Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Cæteros plures nexus vide in S. Canuto die 7. Januarii, & S. Carolo M. die 28. Januarii.

Acta Synoptica.

PRobitas ubique malo mundo exoſa eſt. nil mirum CAROLUM BONUM patuiſſe malorum inſidiis. Natus patre Canuto Sancto Rege Daniæ, matre Adella Roberti Friſii Comitis Flandriæ filia, ſub avunculo Roberto Hieroſolymitano ſtipendia meruit in bello ſacro; redux Balduino Roberti avunculi filio morum moderator, ab eo immaturè diem obeunte in Flandriæ comitatu ſucceſſor datus eſt. Erant, qui jure agnationis id ipſum prætenderent, evicit CAROLUS, prudentiâ, generoſitate animi, affinitatibus, Regis inſuper Galliæ favore, & excluſis corrivalibus, Flandris jus cœpit dicere. Conatus adverſariorum intra belli præludia ſtetit, quæ facilè diſſipavit CAROLUS, ada-

Gualter. Tarvan. Caron. in vita.

Galbert. Burgen. de vita B. Caroli. Suger. Abbas in act. Ludovici

adactis in arbitrariis pacis leges, qui videbantur obniti. Legum deinde observantiam commendaturus subditis, seipsum priùs Ecclesiasticorum precibus commendavit, ab eorum nutu & directione quidvis paratus agere aut omittere. Ab iis didicit condonare tributa subjectis, misereri oppressorum, stipem largam erogare in pauperes, neminem indonatum dimittere, & ubi alia deessent, etiam proprias vestes elargiri, princeps verè Bonus, qui nemini posset displicere nisi malo. Justitiæ præsertim Ecclesiasticis administrandæ inprimis studiosus, indignum asserens eos, qui lectioni & orationibus vacare debent, in negotiis secularibus & frequentando litium forò longis moris vexare. Et tamen dum hæc ageret, primam scandali petram incurrit in Ecclesiastico, Præposito Brugensi Berthulpho homine conditionis servilis, sed opum affluentiâ arrogante, qui audiens de Christo à Judæis impetito calumniis, irrisionibus, verberibus, dicere solebat: mirari se talem patientiam, repensurum in simili occasione talionem, & si aliud non posset, calumniatori saltem sputum in os conjecturum. Dum itáque CAROLUS rerum suarum satagit, & DEO servit, conspirant malevoli, observant cautè occasionem, quâ scelus absque tumultu peragant, ipsi proditores simul & sicarii. Monitus de periculo, credere noluit quemquam esse qui vitæ suæ insidiaretur: DEO scilicet præparante servo suo Martyrii lauream, quem patri in terris mortis genere, in cœlis præmio æquare volebat. Die facinori ab impiis destinata, manè de more in Ecclesiam properavit nudis pedibus, sua manu pauperibus eleemosynam dispertiens, quibus etiam insolita pietate solebat servire, domi suæ pascere, fercula ministrare, osculari manus, quothebdomadis quinque eorum vestire. Ingressus ergo inter pia pauperum vota Ecclesiam, ante altare Deiparæ Virginis toto corpore prostratus Pœnitentiales Psalmos decurrere cœpit: cùm à tergo Burchardus quidam homo nefarius cum aliis à Præposito subornatis à tergo adstitit, ac stricto ense primùm leniter tetigit, donec princeps respiceret, tunc velut infernalis furia irruens eodem gladio tam fortem vibravit ictum in Sancti caput, ut cerebro pavimentum aspergeret. Accurrentes etiam reliqui facinorosi jam spiritum efflantem pluribus conciderunt vulneribus; gravioribus ipsi mox afficiendi suppliciis. Nam authores necis *conquisiti*, Præpositus post sannas, ludibria, sputa & convitia plebis *suspendio* enectus est, cui paulò pòst socius adjunctus pependit Guido de Stenfordo, Burchardus in rotam actus vivus in ea ab hora nona dieti, usque ad vesperum sequentis permansit, eo solùm felix, quòd culpâ agnitâ pœnam tulerit æquo animo; id haud dubiè CAROLO etiam post mortem Bono acceptum debuit. Occubuit pius Princeps Anno 1127. die 2. Martij, de quo susè plures authores.

Suger. in act. Lud. Grossi Regis Frâc. Joan. Iperius. Abbas in Chron. Belin. cap. 41. parte 2. Florarium MS. Herman. Greven. Molan. addit. ad Usuard. Galesin. in Martyrol. Saussay. in Mart. Bolland. To. 1. Mart. Arnold. Bostius lib. de patr.. Deiparæ V. c. 7. & alii apud Boll.

DIE

DIE III. MARTII.

S. CHUNEGUNDIS IMPERATRIX.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermengardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatiæ & Lotharingiæ Ducis.

Sigefridus Comes Lucelburgensis. Uxor Hadeswitha, apud Boll. ex MSS.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgi, & cæteri usque ad hodiernos.

Gerardus II. Alsatius Comes Vaudimontis. Uxor, ut est apud Bollandum,

N. Soror S. Chunegundis.

S. CHUNEGUNDIS Ux. S. Henrici II. Imperatoris.

Nexus II. ex Superiore.

Carolus simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Com. Habspurgici, à quo cæteri rectâ lineâ ad hodiernos Archiduces Austriæ.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gisela Uxor Henrici Ducis Bavariæ cognomento Hezelonis.

S. Henricus II. Rom. Imperator. Uxor Virgo S. CHUNEGUNDIS.

Acta

Acta Synoptica.

ORbis prodigium CHUNEGUNDIS! Quidquid ſexus muliebris titulorum habere poteſt, in hanc unam confluxit, Virgo conjunx, Vidua, Sanctimonialis, Imperatrix ſancta, Thaumaturga. Quia divino arſit igne, elementarem ignem ſentire non potuit. Naturam ille ſuam exuit, ut innoxius lamberet pedes Virgineos. Nulla tam ſecurè Cleopatra roſas, quàm CHUNEGUNDIS candens ferrum calcavit. Temerario ſuſpecta judicio, ſalutem in pedibus non quæſivit, ſed tamen reperit. Impoſita ignito vomeri, ſibi aravit gloriæ meſſem. Veſtali virgini teſtimonium innocentiæ aqua fuit quæ in cribro hæſit, CHUNEGUNDI ignis qui non læſit. Sic pugnant elementa pro puritate, nullum dignius quàm quod naturâ puriſſimum ſemper in ſublime tendit. Cuſtodiant vellus aureum Draconeſ ignivomi, dum igniti vomeres innocentiam ſervant Imperatricis. Hujus illa præ omni auro ſanctè avara, ne vel famæ inſidiatricis periculo objiceret, cùm thori caſtiſſimi cuſtodem mors abſtuliſſet, Kauffingenſi, quod ipſa condiderat, incluſit Cœnobio. Erubuit credo ambitio, cùm exueret purpuram CHUNEGUNDIS. Flammas docta vincere, flammeo ſeu obnubit: comam abjicit, ſed quæ dignior eſſet ornare cœlum inter aſtra, quàm Berenices. In Parthenone cœleſti ſponſo, in quem nulla cadit ſuſpicio, deſerviens, ſervam ſe illis & ancillam exhibuit, quibus ut antè poterat imperare. Et cùm Virgo manens mater eſſe non poſſet niſi miraculo, mortuis vitam dedit jam mortua. Cœlo matura & moritura, è cœlo maritum obvium habuit, ut unà par nobile ſuperis exhiberet ſpectaculum, id eſt Orbis prodigium, Imperatores conjuges Virgines. Habet CHUNEGUNDIS admiratores plurimos, imitatores paucos. Nec deſunt qui ſcribant elogia, deſunt qui exprimant.

Bruñer. in Faſt. Maſc. in Encom. Boll. in Actis ad 3. Martii. Jac. Gretſ. in SS. Bambergen. Mombrit. in Legenda. Surius To. 2. Raderus in Bavar. ſancta. Henr. Mutius Chron. lib. 4.

DIE IV. MARTII.

S. CASIMIRUS PRINCEPS POLONIÆ,

Archiducibus Auſtriæ ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

Albertus I. Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

Albertus Sapiens Dux Auſtriæ, cognomento Contractus.

Albertus Archid. Auſtriæ cum Trica.

Albertus Patiens Archidux.

Albertus II. Imperator.

Eliſabetha Archiduciſſa, cujus maritus

Clementia Uxor Caroli Martelli Regis Siciliæ.

Carolus Robertus Rex Ungariæ, Uxor Eliſabetha Uladislai Loctici Regis Poloniæ filia.

Ludovicus Rex Ungariæ, Uxor Margareta Caroli IV. Imp. filia.

Hedwigis nupta Jagelloni Duci Lithuaniæ, per eam Regi Poloniæ.

Caſimirus Rex Poloniæ.

S. CASIMIRUS Princeps Poloniæ.

Acta Synoptica.

CASIMIRUS Anagramma MIRUS ISAC, nova victima caſtitatis, ut hanc illibatam cœlo inferret, vitam immolavit. Vix dum Ephæbis egreſſus, jam intima ſanctitatis adyta ingreſſus, ipſa templa ingreſſu ſuo reddidit ſanctiora; plus in hiſce quàm Aula morari ſolitus. Summa hyeme nudipes nocturnus Peripateticus Divorum adibat pulvinaria, ubi didicit, coronas aſpernari pro corona cœleſti. Oblatum Ungariæ regnum tam ſolicitè declinavit, quàm alii ambire ſolent: pro Regio paludamento aſperum indutus cilicium, humi ſomnum capere maluit, quam molli thoro, ſapienter ſtatuens nuſpiam ſecuriorem ſomnum capere caſtitatem, & effœminari in pulvillo degeneres, in pulvere adoleſcere generoſos. Natus patre Polono maluit eſſe Polo natus. Quia matrem habuit Auſtriacam, in ſcuto purpureo elegit viam lacteam, quam *medio tutiſſimus* ad aſtra decurreret. Hæc ſola rectè factorum eſſe conſcia voluit pius noctambulo, meditatus quo incantationis genere Luna poſſit detrahi in terram. Sæpius certè illa in Ottomanicis ſignis expalluit, cùm pro patria CASIMIRUS oraret. Viſus etiam jam cœlo receptus, candido equo vehi, & inimicas ab urbibus repellere acies, vel ipſa oculorum acie formidatus. Mentis integritatem probavit integritas corporis per triginta annos in ſepulchro reconditi, & incorrupti. Ita ætatem ferunt, qui ætatem prodigunt pro caſtitate.

Translatus eſt ad Superos Regius Princeps, cùm vixiſſet annis viginti quinque, Anno Chriſti 1473.

Andr. Brunn. in faſt.

Maſc. in Encom. Alb. Wiuch. in Miſcell. rer. Lithuan.

Gregor. Suictic. in vita.

Scarga in vita. Matth de Miechou. in Chron. lib. 4. cap. 64.

Mart. Cromer. laud. fun. Sigism. Regis.

Joan. Herb. in Comp. hiſt. Polon.

Bolland. ad 4. Mart.

DIE

DIE V. MARTII.

B. THEOPHANIA ABBATISSA ESSENDIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Henningii.

Ermentrudis Habſpurgica, filia Luitfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurenſis.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ Jurenſis.

|

B. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

|

Otto II. Imperator. Uxor Anna Auſtriaca, filia Leopoldi Illuſtris Marchionis.

|

Mathildis nupta Ehrnfrido Comiti Palatino.

|

B. THEOPHANIA Abbatiſſa Eſſendiæ.

Alios nexus vide in S. Brunone 2. Februarii. & alibi.

Acta Synoptica.

EXſpectantur ejus elogia ab aliis: hoc ſolum ex Gelenio licet adducere. THEOPHANIA Abbatiſſa Eſſendiæ in Diœceſi Colonienſi, filia Ernfridi Comitis Palatini Brawilerenſis ex Mechtilde Sorore Ottonis III. Imperatoris, quæ illud Monaſterium reſtauravit, & ampliavit; cujus ob vitæ ſanctimoniam memoria ibi in benedictione eſt. Honorat eam titulo Beatæ idem Gelenius, & poſt eum Theodorus Rhay, qui hæc addit: Magna omninò Auguſtiſſimæ cœli Reginæ cliens, quæ admirabilium virtutum ſplendore, ita ſacrum cœtum ſuum perſonarum ac virtutum numero auxit, ut non immeritò ejus loci & cœli delitium habeatur.

Gelen. in Faſtis Colonienſ. ap. Bolland. ad 5. Martii

Theod. Rhay. in Animm. Illuſtr. Jul. Cliv.

DIE VI. MARTII.

SS. KINEBURGA, ET KINESWITHA VV.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Erancorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.	Charibertus Rex Pariſiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo certa ſerie Carolingi & Habſpurgici.
	Adilbertha, vel Aldiberga Uxor S. Ethelberti Regis.	
	Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.	
	S. Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga.	Pendan Rex Merciorum.
S. Ermenilda, cujus maritus——	Wulfherus Rex Merciorum.	SS. KINEBURGA & KINESWITHA.

Acta Synoptica.

VErè lilia inter ſpinas, aut roſæ ê ſpinis ſancta progenies ex impio patre. Penda Rex Merciorum ex Cinviſe aut Kineſuitha uxore tres filios ſanctos, & quatuor ſanctas filias ſuſcepit præter alias proles, ipſe tamen nunquam ſordes idololatriæ abjecit (ut loquitur Beda) hoc uno laudem meritus, quòd toleraret Chriſtianos, quos tamen diù perſecutus eſt, ac S. Oswaldum Regem occidit. Filii ejus S. Ethelredus, S. Mercelmus, S. Merwaldus, & Wulpherus, S. Ermenildæ maritus: filiæ, S. Edburga, S. KINEBURGA, S. KINESVITHA, S. KINESDREDA. De quibus partim egimus, partim ſuo loco agemus. KINEBURGA & KINESWITHA conſtructo junctis opibus cum fratribus S. Ethelredo & Wulphero Dordmundcaſtrenſi Cœnobio Monaſticen profeſſæ, & altera quidem KINEBURGA Abbatiſſæ functa officio multas ſacras Virgines Chriſto adduxit, & conſecravit. Utráque Sanctorum operum meritis locuples cœlo illata, prò terrenis honoribus cultum fidelium obtinuit, hac die ſolenni memoria coli ſolita. KINEBURGAM aliqui confundunt cum ſorore Cymburga, quæ Alfredo Nordthanymbrorum Regi nupta fuit, & fortè marito præmortua, ut putat Bollandus: KINEBURGA verò cum KINESWITHA ſorore à prima ætate Deo fuit dicata. Extat Epiſtola Regis S. Ethelredi, in qua mentionem earum facit: *Omnia quæ frater meus Penda, & frater meus Fulferus, ſorores etiam meæ* KINEBURCH, *&* KINESUITH *dederunt, & legaverunt S. Petro & Abbati huic, rata ſint volo, & immobilia.* Et alibi: *Ego quoque tam pro meæ animæ, quàm ipſorum fratrum ſalute, nec non & pro ſacratiſſimis ſororibus meis, beatiſſimæ ſcilicet memoriæ Kineburga, & quæ adhuc ſacrata Chriſto Virginitate deſervit, Kinesv tha & rebus augere, & divina authoritate munire curavi. &c.* Penda Rex frater harum Virginum Anno 656. amplexus Chriſtianam Religionem, Petroburgenſe Monaſterium

Malmesburien. de reb. geſt. Reg. & Pontif.

Chronol. Saxon.

Chron. Petroburg.

Harpsfeld. Sec. 7. c. 23.

Richard. Witfort. in Martyrol.

Hermañ. Greven.

Polyd. Vergil.

Hugo Menard. in Martyrol.

Gabr. Bucelinus Menolog. ad 5. Mart. Bolland. ad 6. Martii.

um condidit cooperatore Saxulpho viro præpotenti, qui dein primus Abbas factus: promovit fundationem Anno 664. alter frater Wulfherus, qui in diplomate præter alia hæc habet: *Ego itáque faventibus fratribus meis Ethelredo ac Merwala, cum beatissimis sororibus meis* KINEBURGA & KINESWIDA *trado B. Petro. &c.* Conclusio verò hæc est: *Tu mi frater Æthelrede, & vos sorores piissimæ* KINEBURGA & KINESWITHA *pro mutua animarum nostrarum redemptione, huic testamento nostro testes optimi &c. subscribite.* Quod ita factum est: *Ego Athelredus frater Regis cum eodem consensi.* EGO KINEBURGA *soror Regis amplector. Ego quoque Soror Regis* KINESWITHA *favi. Anno Domini 664. Wulfheri Regis septimo.* Obiit S. KINEBURGA circa Annum 680. De sororis obitu incertum. Coluntur ambæ una cum S. Tibba consanguinea, hac die. Alii etiam referunt in præcedentem.

Eâdem DIE VI. MARTII.

B. AGNES REGINA BOHEMIÆ SANCTIMONIALIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. Dubravii, & aliorum.

Premislaus Ottocarus III. Rex Bohemiæ, Uxor Conſtantia filia Belæ Regis Hungariæ.

B. AGNES Virgo Sanctimonialis.

Wenceslaus Ottocarus IV. Rex Bohem. Uxor Chunegundis filia Philippi Cæſaris.

Ottocarus V. Rex Bohemiæ. Uxor I. Margaretha filia Leopoldi Ducis Auſtriæ. 2. Kunegundis Bulgara.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus,

Agnes, cujus maritus — Rudolphus Dux Sueviæ Habſpurgicus,

Wenceslaus Rex Bohem, cujus Uxor fuit — Gutta ſeu Juditha filia Rudolphi I. Habſpurgici Imperatoris.

Nexus II. Chiffletii & aliorum.

Carolus Magnus Imperator,

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Impetator,

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex,

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator,

Agnes Uxor Friderici I. Ducis Sueviæ.

Fridericus II. Dux Sueviæ.
Fridericus I. Imperator.

Philippus Dux Sueviæ Imperator.

Chunegundis Uxor Wenceslai Ottocari, cujus ſoror B. AGNES.

Otto Comes Burgundiæ, à quo Duces Burgundiæ, & dein Auſtriaci, apud Chifletium.

Acta Synoptica.

PRætulit in nomine, quod erat expreſſura in factis AGNES, ceu agna innocens agno cœleſti ſubſequa. Beato fœtu gravida mater Conſtantia inter Regias veſtes lacernam griſeam conſpexit attonita, cujus myſterium vox cœlo delapſa explicuit. Vix nata jam in cunis brachia in crucis formam componere ſolita, inſigni oſtendit præſagio, in cujus olim conceſſura eſſet amplexus. Educata in Trebnicenſi Monaſterio Virguncula, adeò nihil infantile geſſit, ut inde educta mox viraginem ſe exhibuerit, cùm deſponſata Friderici II. Imperatoris filio Henrico conſtantiſſimè nuptias ejus repudiarit. Ex tunc Adventus & Quadrageſimæ tempus rigido tranſigebat jejunio, magno pietatis ſenſu Reginæ Virginum ſupplex, ut uni ejus filio conveniret in ſponſam. Eodem inconcuſſæ virtutis tenore ipſius Friderici Imperatoris, & Henrici Angliæ Regis thoros averſata eſt, metuente patre, ne apud Cæſarem indignationis adiret periculum. Sed qui corda Regum manu ſua verſat DEUS, Fridericum prima repudii denuntiatione commotum, in meliores inflexit ſenſus, ut dicere auditus ſit, Contumeliæ loco ſe habiturum infringi pacta ſponſalia, ſi alteri à ſe Principum AGNES conjungi vellet, nunc verò cùm Regem Regum elegerit, ultro ſe deſideriis ejus condeſcendere. Mortuo inter hæc patre, Wenceslaus frater Agnetis regno admotus, voluntati divinæ obſecundans, nihil quod ad ſororis propoſitum exequendum conduceret, neglexit. Conditum mox Cœnobium, petitæ novæ coloniæ à S. Clara tunc in vivis agente, quæ plures ad Virginem Epiſtolas dedit, collectum nobile ſodalitium, miſſus Româ Legatus Apoſtolicus Joannes Cajetanus Cardinalis Urſinus, advocati etiam AGNETIS affines Udalricus Dux Carinthiæ, & Henricus Probus Dux Sileſiæ, cum regni Proceribus: dies inveſtituræ aſſignata 25. Martii: quâ demum ſuis potita votis AGNES purpuram poſuit, ſolenniſſimo ritu de manu Cardinalis velum ac benedictionem recepit. Id Anno 1235. actum veteres ſignarunt faſti. Nullius facilè calamus expreſſerit, quantis ab ipſo vitæ religioſæ exordio virtutibus, ſignis, viſionibus, miraculis inclaruerit Virgo. Summa illi voluptas infra omnes abjectam videri ſorores, focum inſtruere, cellas everrere, mundare & reficere ſingularum veſtes, horrere omnem ſingularitatem, oblatas etiam pro Cœnobio opes rejicere, ut quo pauperior, hoc Chriſto conformior fieret. Fremebat ad hæc hoſtis humani generis, & ſub variis ſpectrorum larvis ei ſe objiciebat, videntibus etiam ac territis ſororibus; ſed uno ſalutiferæ crucis ſigno diſſipabat AGNES vana terriculamenta. Compenſabat has moleſtias cœlum ſuis ſolatiis, aquæ deguſtandæ, viſa eſt à ſororibus aliquando in altum intra ipſas nubes elevari, & redux hilari vultu priſtinam occu-

Georg. Cruger. in vita.

MS. Codex Pragen.

Piſanus in Comp.

Barthold. Porta. in Compend. vitæ.

Bolland. To. 1. Mart. ad diem. 6.

occupationem reſumere. Depoſita ſubinde & conclamata ejus ſalute à Medicis, conſcientiæ arbitro in aurem inſuſurravit, non morituram ſe, niſi tota penè regalis cognatio antevertat, ac efferatur. Fidem fecit eventus cùm uſque ad annum 1281. tota extincta eſt familia, & ſolus Wenceslaus III. Rex AGNETI ſupervixit. Hoc ipſo quippe Anno AGNES magnis deſideriis anhelans cœleſtia, cùm horam ſuæ migrationis perſentiſceret, ſacramentis muniri voluit, tum ſororibus valedicere, quas inter una toto decennio decumbens & pedum uſu deſtituta, deferri ad moribundam AGNETEM petiit, à qua id unum pro extrema gratia enixè poſtulavit, ut ſibi benedicens crucem efformaret. Sed AGNES demiſſionis ſtudio id negare, ſe omnium infimam & viliſſimam aſſerere, nullâ ſe dotatam prærogativâ, quâ ſororis voto poſſet obſequi: econtrà inſtare Catharina (hoc illi nomen) & videns ſe actum agere, piâ violentiâ arreptâ Agnetis manu ſibimetipſa in pedibus crucem format, & illicò recipit ſanitatem, ut quæ priùs ne quidem inſiſtere pedibus poterat, ex eo tempore ambulaverit expeditè. Sic Deus Beatam ſuam adhuc vivam honorare voluit, poſt obitum ſignis quamplurimis illuſtratam: quæ latè proſequuntur ejus vitæ authores.

DIE VII. MARTII.

B. CHUNEGUNDIS ANDECENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Henningis, & aliorum.

Luitfridus Comes Habspurgicus,

Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

Richolita Uxor Chunonis Comitis Oeningani.

B. CHUNEGUNDIS, Uxor Friderici Comitis ab Andechs.

Nexus II. per Carolingos.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Ludovicus Rex Bavariæ.

Carolomannus Rex Germaniæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Anceps Imperator.

Otto Magnus Imperator.

Richolita Uxor Chunonis Comitis Oeningensis.

B. CHUNEGUNDIS, Uxor Friderici Comitis ab Andechs.

Carolus Calvus Imp.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermengardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgicus, & cæteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

Matth. Rader. in Bav. Sancta.

Bolland. ad 6. & 7. Martii.

MAgnis avis & proavis genita CHUNEGUNDIS (inſcriptio ſepulcralis Cunizzam appellat) poſt mariti in peregrinatione Hieroſolymitana defuncti obitum, dotem ſuam, & quidquid opum poſſederat, conſecravit Chriſto, modica ſibi ad vitæ ſuſtentationem portione retenta. Canonicis D. Auguſtini in agro Dieſſenſis oppidi Cœnobium ſtatuit: modicam cellam in ejus æde D. Stephano ſacra, paullum â pavimento ſub teſtudine elatam poſuit, ubi ſub rem divinam condita DEO precibus votisque litabat. Cœterùm haud procul inde in caſtro ad Willegium Wengariano morabatur, unde ſub nocturnas Religioſorum preces, una duntaxat ancilla comitante, deſcendebat ad templum, cujus valvas per cœleſtes janitores reductas ſibi ſemper patere advertit: niſi quòd ſemel duntaxat clauſas ſenſit, cùm ê ſepe vicina pauperis villani, ſudem ad ſuſtentandum in luto greſſum, ne prolaberetur, extraxit. Mirata quid eſſet, nec in conſcientia quidquam reperiens, ſuggerente ancilla ſudem repoſuit, ſepem integravit, tum verò iterum venienri patuerunt fores. Ad hunc modum cùm totum vitæ curriculum confeciſſet, demũ in ſua, quam condiderat, D. Stephani æde tumulata eſt hac epigraphe: CUNIZZA peccatrix, hujus loci dominatrix, iſtam conſtruens aulam, prid. non. Martii ob. A. MXX. Poſt quatuor demum ſecula & annos ſexaginta ſex inventa, & ad aram B. Virginis translata. Narrantur quædam ad tumbam ejus facta prodigia, quæ prætermittit Raderus.

DIE

DIE VIII. MARTII.

B. IDUBERGA seu ITHA VIDUA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

|

B. Pipinus de Landis. Uxor B. IDUBERGA seu ITHA.

|

S. Begga Uxor Ansegisi Ducis Brabantiæ.

|

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

|

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

IDUBERGA, aliis ITHA, Godini Aquitaniæ Comitis filia. Uxor B. Pipini Landensis Hasbaniæ & Brabantiæ potentissimi Ducis, celeberrimum illud Nivigellæ, vulgo Nivellense Cœnobium condidit, cui cum filiam Sanctissimam Gertrudem præfeciset, marito defuncto, se ipsam etiam stupendo sanè humilitatis in tanta Principe exemplo eidem submisit, & vitam religiosam professa, eandem quam olim suam filiam, postea matrem & Magistram perfectionis habuit, & coluit. Pertulit gravissimas magno animo icognatis Principibus injurias, quòd Deo filiam séque consecrasset, decessitque duodecimo ab obitu conjugis anno, Nivigellæ propè aram D. Petri tumulata; cujus sacrum corpus postea elevatum, & in tumba portatili honorificè collocatum, quotannis feriis Rogationum dignissimâ pompâ circumfertur. Hæc Bucelinus de S. IDUBERGA. Verùm ex vita S. Amandi colligitur, uti & ex vita filiæ Gertrudis, quòd priùs velata sit IDUBERGA, & Parthenoni præfuerit, post obitum verò ejus filia regimen susceperit, ac Nivigellam ab IDUBERGA jam vidua constructum esse, consilio communicato cum S. Amando, à quo primum IDUBERGA velum petiit ac impetravit, omnibus possessionibus suis Cœnobio assignatis. Natalem ejus ad hanc diem S. Martii reposuit Ferrarius: at verò Bucelinus, & post eum Bollandus ad 8. Maij rejecerunt.

Bucelin. in Menolog. ad 8. Maij. Ferreol. Locrius. Aub. Myræus. Molanus Yepes. Trithem. de SS. ordin. Benedict. Ferrar. in geneal. Cat. Sancto. Boll. To. 1. Mart. in prætermiss.

Eâdem DIE VIII. MARTII.

B. BERENGARIA PRINCEPS HISPANIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.	Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
Ermingardis Comitiſſa Namurcenſis, Uxor Alberti I.	Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.	Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.	Henricus III. Imperator.
Wernerus I. Comes Habſpurgicus.	Henricus IV. Imperator.
Otto Comes Habſpurgicus.	Agnes Uxor Friderici Ducis Sueviæ.
Wernerus II. Co. Habſp.	Fridericus II. Dux Sueviæ.
Wernerus III. Co. Habſp.	Fridericus I. Imperator.
Albertus I. Com. Habſpurg.	Philippus Imperator.
Rudolphus Co. Habſpurg.	Beatrix Uxor Ferdinandi III. Sancti Regis Hiſpaniæ.
Albertus II. Comes Habſp. Rudolphi Imperatoris pater.	B. BERENGARIA Sanctimonialis.

Ne-

Nexus II. per deſcendentes.

Ferdinandus Sanctus Rex Hiſpaniæ, Legionis, &c.
Uxor Beatrix filia Philippi Imperatoris.

B. BERENGARIA V. Monialis.

Alphonſus X. Rex Caſtellæ & Legionis, electus Imperator Romanorum.

Sancius IV. Rex Caſtellæ & Legionis.

Ferdinandus IV. Rex Caſtellæ & Legionis.

Alphonſus XI. Rex Caſtellæ & Legionis.

Henricus II. Rex Caſtellæ & Legionis.

Joannes I. Rex Caſtellæ & Legionis.

Henricus III. Rex Caſtellæ & Legionis.

Joannes II. Rex Caſtellæ & Legionis.

Iſabella Uxor Ferdinandi Regis Aragoniæ.

Joanna Hiſpaniarum hæres, Uxor Philippi Auſtriaci filii Maximiliani I. Imperatoris, à quo hodierni Archiduces.

Acta Synoptica.

SAncti Patris non degener filia, æmulatura ſanctitatem, ſeculi pompas nondum adulta faſtidiit, & in Holgenſi Cœnobio propè Burgos ſuſcepto ſummâ devotione ſacro velo, ſub ſancta Ciſtertienſium reformatione Regum Regi ſerviens, illuſtri vitæ ſanctitate ſupra aurum omne & Regum purpuram exſplenduit, ac demum ſancto fine quievit ſub

Annum 1250.

Chryſoſt. Henriq. ap. Bucelin. Menol. ad diem. 8. Martii.

DIE IX. MARTII.

S. HUGO EPISCOPUS ROTOMAGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEOLAGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris.

|

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

|

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

|

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ. Uxor S. Begga.

|

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

B. Grimoaldus M. | Carolus Martellus Dux Brabantiæ. | Drago Dux Francorum. Uxor Adaltrudis filia Waratonis majoris Domus.

Pipinus Brevis Rex Francorum. | Godefridus Dux. | S. HUGO Archiep. Rotomagenſis ob. An. 730. | Arnulphus Dux Fran. Pipinus.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Chron. Fontanell. cap. 8. Meuriſſ. de Epiſc. Metens. Orderic. Vital. hiſt. Eccleſ. lib. 5. Jo. Molan. in Natal. SS. Sauſſay. in Martyrol. Gall. Miræus in faſt. Belus Balderic. Noviom. Chron. lib. 2. c. 29.

INterplures Hugones êſtirpe Carolinga, quorum acta multi recentiores confundunt, ut rectè obſervat Henſchenius, hic, de quo agimus, HUGO natus eſt patre Drogone Duce Francorum filio Pipini Heriſtali Ducis Brabantiæ, matre verò Adaltrude filia Weratonis Majoris domus. Natalem ejus referre licet ex actis ad annum 680. factus primùm Eccleſiæ Metenſis Primicerius, dein Rotomagenſis Epiſcopus, & Fontanellenſis Cœnobii Abbas Commendatarius. Quàm ſolicitè ſuo munere functus ſit, & pro Eccleſiarum incremento laboraverit, oſtendunt vetera Metenſium & Fontanellenſis Cœnobii documenta, in quibus deprædicatur tanquam Benefactorum maximus, qui de ſuo patrimonio plurima contulit Eccleſiis, & non pauciora dexteritate ſua impetraverat à fidelibus. Breve illi ſed nervoſum elogium ſcripſerunt Fontanellenſes Cœnobitæ, quod verbatim libet apponere: *Religioſa & ſtrenua matrona Anſiedis* (Uxor videlicet Waratonis & mater Adaltrudæ) *avia ejus ad nutriendum ſuſceperat ipſum* HUGONEM, *patrem demum glorioſiſſimum. Hæc igitur prudentiæ & providæ induſtriæ Spiritu plena, animum pueri fertur quotidie admonitionibus roboraſſe, ut ſeſe cum omnibus quæ habebat Deiſervitio manciparet. Unde factum eſt, ut ſacra-*

crarum literarum studio imbutus, coævos suos sapientia & religione anteiret; secundúmque sanctam suggestionem præclaræ nutricis ac aviæ suæ Anstedis cœpit terrena cuncta despicere, & ad regna cœlestia viriliter anhelare, simulque patrimonia plurima Eccl siis Christi contradere: quæ cuncta, siqui plenius scire cupiunt, scrinia civitatum Rotomagensis, Parisiacæ, & Baiocassinæ & hujus cœnobii Fontinellensis, simulque Gemeticensis revolvant, illicque iuvenient, quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione propagatione, & administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit. Obiit vitæ cursu sanctè peracto in Gemeticensi Cœnobio: Anno 730. corpus ejus ibidem in Ecclesia B. Virginis tumulo illatum. Cœnobitæ honori ejus supra tumbam apposuerunt coronam ex *diversis metallis decoratam*, ob amorem videlicet, sanctitatem ac reverentiam illius: nullus enim ante eum ejusdem Cœnobii Rector nec post eum tot prædia ac possessiones in jure ipsius Venerabilis loci contulit ac impetravit, sicut ipse. Dies ejus natalis plerúnque celebratur 9. Aprilis, & refertur in Martyrologio Romano, Gemeticensi, Atrebatensi, at Florarium MS. reponit hac die 9. Martii, uti & Martyrologium Casmense.

Greven. in Auct. Usuardi. Bolland ad 9. Apr. Bucel. in Menolog.

DIE

DIE X. MARTII.

S. CHRODEGANGUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum, Uxor S. Radegundis Thuringa.

|

Blithildis Uxor Ansberti Moſellani.

|

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

|

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

|

B. Anſegiſus M. Dux Brabantiæ, Uxor S. Begga.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, Uxor B. Plectrudis. — Landrada Uxor Sigrammi viri nobiliſſimi.

|

Carolus Martellus Dux Brabantiæ. Uxor Cunchildis. — S. CHRODEGANGUS, Epiſcopus. — S. Landrada V.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Nexus alius ex Chiffletio.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex. — Landrada Uxor Sigrammi.

|

Carolus Magnus Imperator. — Sigrammus II. S. CHRODGANGUS.

Acta Synoptica.

Paul. Diacon. lib. de Epiſc. Meten.

Franc. Lanov. lib. de SS. Franciæ.

Brunner. lib. 7. Annal. Trevir.

Chron. Laurisheim. ad an. 764.

INſinuanda ſunt paucis, quæ vel multis explicari ſatis non poſſunt. CHRODEGANGI ſive Godegrandi, ſive Ruggandi, Khrodegangi (tam variè quippe ſcribitur, res geſtas ſolo Pauli Diaconi Aquileienſis calamo complectimur. Hic ex pago Hasbanienſi oriundus, patre Sigrammo, matre Landrada Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus: in palatio Majoris Caroli (id eſt Martelli) ab ipſo enutritus, ejusdémque Referendarius extitit: ac demum Pipini Regis temporibus Pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clariſſimus, omnique nobilitate coruſcus, forma decorus, eloquio facundiſſimus, tam patrio quàm etiam Latino ſermone imbutus, ſervorum Dei nutritor, orphanorum viduarúmque non ſolùm alter, ſed & clementiſſimus tutor. Cúmque eſſet in omnibus locuples, à Pipino Rege, omnique Francorum

cœtu

cœtu singulariter electus, Romam directus est, Stephanúmque venerabilem Papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit, normámueq eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent, quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perpetuis vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent: ipsúmque Clerum abundanter lege divina, Romanáque imbutum cantilena; morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit: quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minimè fuit. Hæc Paulus, qui deinde recensitis CHRODEGANGI beneficiis in Ecclesia, & fundationibus Monasteriorum S. Stephani in agro Mosellensi, & Gorziensis, subnectit: Fuit Beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum, atque peregrinorum &c. Rexit Metensem Ecclesiam annis 23. mensibus 5. diebus 5 Obiit pridie nonas Martii, Anno ut supputat Bollandus 766. vel ut Author Florarii MS. Anno 764. Sanctorum fastis adnumeratus à Grevenio, Canisio, Ferrario, Miræo, Saussayo, Molano, aliis, qui eum referunt ad 6. Martii, nos hac die, alioqui vacante. Si Genealogia Chiffletii subsisteret, non potuisset S. CHRODGANGUS agere Referendarium Caroli Martelli.

Martyr. Meten.
Molan. in Auct. Usuardi.
Greven. Canis. Ferrar. in Martyrol.
Miræ. in fastis Belg.
Fisen. in florib.
Saussay. in Gallia Christian.
Chron. S. Trud. lib. 2. c. 9.
Franc. Rosier. To. 3. stemm.
Lothar. hist. 53.
Bolland. ad 6. Martii.

DIE XI. MARTII.

S. OSWINUS REX NORDTHAMBRIÆ M.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Alla Rex Nordthanymbrorum.

Clotharius I. Rex Francorum.

Elfricus Rex

Charibertus Rex Parisiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici certâ serie.

Osricus Rex Deirorum.

Adilberta Uxor Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

S. OSWINUS Rex Martyr.

S. Edwinus Rex, Uxor — Ethelburga.

Acta Synoptica.

Bolland. ad diem 8. Febr. in vita S. Elfledæ.

GLiscente inter cognatos Reges Angliæ bello, OSWINUS cum Oswio propatruo collisus, & imparem se videns, ultro dimisso exercitu ad Humualdum quendam Comitem confugit, quem sibi amicissimum existimabat: sed ab eo nefariè proditus est Oswio, & effera crudelitate interemptus. Sanctum virum fuisse vel inde colligas, quòd in Ecclesiasticas Angliæ tabulas relatus sacros honores meruerit. Oswius pœnitentiâ deinceps actâ quietior, ea quóque egit, quæ illum Sanctorum Albo intulerunt, ut alibi dictum. Refertur OSWINUS ad diem 20. Augusti, translatio fortè ejus in hanc diem 11. Martii conjicitur à Martyrologio Anglicano, & Catalogo Ferrarii. Cœtera apud alios inquirenda, quæ nos latent.

Idem ad 11. Martii, in prætermissis.

DIE XII. MARTII.

B. M. BARBARA DUCISSA BAVARIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Mathildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

|

Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ.

|

Joannes Dux Bavariæ.

|

Wilhelmus Dux Bavariæ.

|

Albertus Pius Dux Bavariæ.

|

B. M. BARBARA Duciſſa Bavariæ Sanctimonialis.

Acta Synoptica.

ALbertus Pius Boiorum Prineeps, pater BARBARÆ, regnum Bohemiæ oblatum, cum ingenti modeſtiæ laude repudiavit, auſus contemnere quod alii per ignes & ferrum petunt, ut qui probè intelligeret, quanto majus ſit regnum faſtidire, quàm accipere. Patris exemplum ſecuta filia, cùm animum ad cœleſtem in terris vitam in S. Claræ contubernio agendam appuliſſet, & quinquennis ſepta clauſtri fuiſſet ingreſſa, poſt paucos annos cùm primùm matura viro videri potuit, priusquam in verba Antiſtitæ juraret, ad thorum Regis Galliæ per Legatos ambitioſiſſimè invitatur. Albertus Dux BARBARÆ frater, defuncto dudum patre, ſorori quid Francus per Legatos petat exponit, ipſiusque voluntatem explorat. Verùm illa petito ad deliberandum triduo, in odæo templi ad principis aræ gradus humi proſtrata, DEUM ſola identidem ſupplex conſulit, Regísne Chriſtianiſſimi poſtulatis annueret, an in cœpto vitæ Religioſæ inſtituto perſeveraret. Sentit mox ſupremi Numinis divinos nutus, intelligítque ſibi nunquam ab illibato Regis Regum thalamo divertendum, & immortalia mortalibus præferenda. Nec diutiùs morata, omnem præſentis felicitatis umbram, æternæ beatitatis gloriæ ſibi poſtponendam putavit. Fratri proinde reſpondit, ſe genus illud vitæ proſecuturam, ad quod à parentibus deſtinata eſſet, Deo ſe nuncupatam, à Deo non receſſuram. Albertus ubi conſtantem ſororis animum cognovit, laudata virtute, veritus ne clam à Legatis ſurriperetur, Cœnobii aditus accuratè obſervari præcepit. Ita deſperata Virgine Galli unde venerant, redierunt. BARBARA verò intactum florem non diu pòſt cœlo intulit. Dederant parentes Cœnobium ingredienti odoratiſſimi amaraci viridarium una ſtirpe natum, quo feſſos vigiliis ſenſus reficeret; aviarium quoque, quo

Matthæ. Rader. Bav. Sanctæ To. 2.

Brunner. in Annal. MS. Parthenon.

Hier. Drexel. in Prodromo.

diverſæ volucres Muſicum concentum efficerent, & otium ſubinde lenirent: ornaverant & ê collo pendulo torque, quem bonâ præſidis veniâ intra religioſam veſtem geſtaret. Et en, cùm ultima fati neceſſitas immineret, quartodecimo ante obitum die primâ nocte amaracus exaruit, poſterâ quotquot aves attulerat mortuæ ſunt, tertiâ tortilis ex auro rupta; quibus tanquam prodigiis & fati prænuntiis: Ego, inquit illa, ego petor, mors cellam pulſat. Sacris itáque expiata, ſeptimum decimum agens annum, duodecim in Monaſterio exactis, ad æternos cœleſtis ſponſi thalamos profecta, præmium ſpreti regni terreni, cœleſte ſortita eſt. Secutæ mox aliæ Virgines brevi intervallo, donec vigeſimus numerus expleretur, ut quas habuerat in terris ſocias afflictæ vitæ, haberet in cœlo conſortes gloriæ & triumphi. Beatæ memoriæ titulum apud poſteros meruit, majore haud dubiè donata in cœlis.

DIE

DIE XIII. MARTII.

B. SANCIA PRINCEPS LUSITANIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex Henninge.

Gulielmus Bolonienſis Dux Lotharingiæ.

Theodoricus Dux Lotharingiæ, Uxor Bertha filia Simonis Ducis Moſellani.

Henricus Comes Limburgenſis, Uxor Thereſia filia Alphonſi Regis Hiſpaniæ.

Ilha Lotharinga Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri rectâ lineâ Habſpurgici uſque ad hodiernos.

Alphonſus Rex I. Luſitaniæ.

Sancius Rex II. Luſitaniæ, Uxor Aldonſa Comitiſſa Barcinonæ.

B. SANCIA. B. Tharaſia. Alphonſus II. Rex Luſit. B. Maphalda.

Nexus II. ex variis.

Sancius I. Rex Luſitaniæ II.

B. SANCIA. Alphonſus II. Rex Luſitaniæ III.

B. Tharaſia. B. Maphalda.

Jacobus Rex Aragoniæ.

Alphonſus III. Rex Luſitaniæ.

Petrus II. Rex Aragoniæ.

Eliſabetha Uxor Friderici II. Pulchri Auſtriaci.

Dionyſius Rex Luſitaniæ, Uxor — S. Eliſabetha.

Alphonſus IV. Rex Luſitaniæ.

Petrus I. Rex Luſitaniæ.

Leopoldus III. Archid. Auſtr.

Joannes Rex Luſitaniæ.

Erneſtus Ferreus Archidux.

Eduardus I. Rex Luſitaniæ.

Eleonora Luſitana, cujus maritus —

Fridericus III. Imperator.

Maximilianus I. Imperator.

Acta Synoptica.

Sanctitate ſortita nomen SANCIA, Sancii Regis filia, ut ſibi theſaurizaret in cœlo, patrimonium ſuum impendit in conſtructionem Virginei Cœnobii, quod in Luſitania longè celeberrimum Cellenſe appellatum, Admirabilis Matris unicæ tutelaris ſuæ honori condidit. Neque in eo conſtitit ejus pietas, ſed inſuper palatium ſuum in Alenquer ſive Jerobricenſi oppido S. Franciſco Seraphico tunc adhuc viventi obtulit pro fratrum hoſpitio,

Vaſconell. in Anacæphalæ. Bucelin. Menol. Lachier. ap. Boll ad 13. Martii.

tio, prima omnium quæ Seraphicum ordinem in Luſitaniam introduxit. Abdicatis jam & in pia donaria profuſis bonis temporalibus, ſeipſam quoque Deo in Cellenſi ſuo Virgineo velata conſecravit, ubi tanta Religioſæ vitæ perfectione effulſit, ut eam miraculorum etiam gloriâ celeberrimam Deus effecerit. Defunctæ lipſana, B. Thareſia ſoror Lorvanienſi Cœnobio ſuo intulit, ubi crebra miracula ejus ſanctitatem conteſtantur. Obiit circa annum 1290. quam hac die ſignari in tabulis fatetur Bollandus, ſed nuſpiam ſacris honoribus coli aſſerit, ideóque pro inſtituto ſuo prætermittit.

Beatam nominat Bucelinus.

DIE XIV. MARTII.

B. MATHILDIS IMPERATRIX.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Lazii, Piespordii. &c.

Luitfridus Comes Habspurgicus.

|

Ermentrudis vel Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ, quem ipsum quoque Habspurgicum fuisse putant Lazius & Piespordius.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

Conradus Rex Burgundiæ. — Adelheydis, cujus maritus — Otto Imperator Magnus.

Henricus I. Auceps Imp. Uxor B. MATHILDIS.

Nexus II. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomannus Rex Bavariæ.

|

Arnulphus Romanorum Imperator.

|

Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.

|

Henricus I. Auceps Imperator, Uxor B. MATHILDIS.

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Rex.

|

Carolus simplex Rex.

|

Ludovicus IV. Rex.

|

Carolus Dux Lotharingiæ.

|

Ermengardis Comitissa Namurci.

|

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.

|

Itha Uxor Radepotonis Habspurgici, à quo cæteri Comites Habspurgici.

Acta Synoptica.

MAgnitudo rerum gestarum in MATHILDE cum multitudine certat; quis ea in epitomen cogat? A magno illo Saxonum Rege B. Widekindo genus & pietatem traxit, vel eo digna jungi Augusto, & gignere Augustos. Vitam Sanctissimam raro exemplo in Aula egit, in summo honorum fastigio demississima; in summis divitiis liberalissima pauperum mater, quo-

Witichind. lib. 3. Annal.

Hroswitha Mon. in hist. Sax.

Luitprand. l. 4. c. 7.

quorum curam majorem habuit, quàm domeſticorum: in ſumma Fortuna maximis infortuniis impetita, nunquam ſuccubuit heroina, ut velut ſpeculum ac miraculum Principum ac Heroidum celebretur. *De cujus laude* (inquit Witichindus) *ſi aliquid dicere cupimus, deficimus: quia omne argumentum ingenioli noſtri ſuperat virtus tantæ fœminæ.* Hroswitha ſanctimonialis, in hiſtoria Saxonica carmine conſcripta, de Henrico Imperatore canens:

Bodo in Chron. MS. Ganderheim.

Auth. vitæ ex MS. Colon.

Conregnante ſuâ MATHILDA *conjuge clarâ,*
Cui nunc in regno non compenſabitur ulla,
Quæ poſſet meritis illam ſuperare ſupremis.

Nuſſienſ. Canon. in Chron. Belg. f. 75.

Luitprandus vetus ſcriptor & coævus: *Venerabilis* MATHILDIS, *ultra omnes quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum Officium viventem Deo hoſtiam offerre non deſmit.* Henricus Bodo in Chronico: *Sereniſſima Regina* MECHTILDIS *ſanctitate clara & totam ſtirpem Saxonum nobilitans virtutibus ſuis.* Vitæ ejus Author: MATHILDIS *illuſtris Regina, cujus vita lucida merito eſt imitanda, & cujus virtus tanto eſt laudabilior, quanto ſexus debilior.* Marito convivens noctib. ſolebat conſurgere ad orationem: illo mortuo, conſtructis pluribus Cœnobiis prope Eccleſiam ſibi cellam ſtatuit, ex quâ templum adire ſolita, *omnibus noctibus conſurgens, cantoribus & cantationibus intra cellulam, & proſoribus, & in via triformiter conſtitutis, qui divinam clementiam laudarent, ipſa in vigiliis & orationibus perſeverans, Miſſarum ſolennia exſpectabat.* Tandem ſpiritu prophetico mortem ſuam prænuntians, hilaris ſeculum, cui pridem valedixerat, deſeruit, cujus memoria toto hodie terrarum Orbe in Faſtis Eccleſiæ celebratur. Monialem fuiſſe ſcribit Bucelinus, quod ex Authore vitæ, & aliis antiquis ſcriptoribus colligi non poteſt, licet plura conſtruxerit Monaſteria, in quorum uno tria millia Clericorum collegiſſe fertur. Obiit Anno 968. pridie Idûs Martii. Sanctæ titulo eam honorant Raderus & Cratepolius.

Inchof. An. 973.

Stangef. in hiſt. Weſtphal. lib. 2. fol. 209.

Bucel. in Menologio Bolland. ad 14. Mart.

Rader. To. 2. Bavar. Sanctæ.

Cratepol. de SS. Germ.

DIE

DIE XV. MARTII.

S. ALDETRUDIS VIRGO MALBODIENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Bertharius Rex Thuringiæ.

S. Radegundis Uxor Clotharii Magni Regis Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici certâ ſerie.

S. Berthilia Uxor Walberti IV. Comitis Hannoniæ.

S. Waldetrudis Uxor S. Vincentii Madelgarii.

S. ALDETRUDIS V. Abbatiſſa Malbodienſis.

Acta Synoptica.

HÆc illuſtriſſimis genere & virtute edita parentibus, patrem habuit Vincentium potentiſſimum Comitem, matrem Waldetrudem, utrumque egregia vitæ ſanctitate conſpicuum. Quibus ne ullo modo degener appareret ALDETRUDIS, generoſiſſimo contemptu calcatis honoribus opibúsque ac deliciis, ſanctiſſimæ Aldegundi Malbodienſi Abbatiſſæ materteræ ſuæ ſe ſubmittens, eâ deinceps vitæ integritate excelluit, ut à morte illius communi ſororum plauſu ſuccedere in Antiſtitæ munere coacta ſit. Quem honorem mirandis virtutibus exornans, non tam verbo iis quàm exemplo præivit, & ſanctitatis ſuæ famâ Belgium univerſum implens, æternum promeruit cultum & venerationem. Ejus inter alia puellæ etiamnum, dignum æternâ memoriâ obedientiæ exemplum fuit, cùm juſſa ab Abbatiſſa, ut fragmenta & reliquias cereorum paupertatis ſtudio colligeret, & in unam maſſam colliquaret: paruit, in vas æreum ſuſta collegit, igni impoſuit. Sed cùm prædominante flamma ſtrues lignorum jam combuſta concideret, & candens ſartago in alteram partem præcipitaret, timens ALDETRUDIS, ne quid damni majoris accideret, fide armata, nudis manibus tenerrima puella, de medio flammarum vas eripuit, & abſque ulla cutis læſione in pavimento depoſuit: nempe flammæ nocere non ſolent, quibus in corde ignis ardet divini amoris. Fuit ſitientiſſima ſacræ doctrinæ, & exhortationum, & ad pedes Aldegundis materteræ, non ſecus ac Magdalena ad pedes Chriſti aſſediſſe memoratur: multis viſionibus dum viveret, & miraculis poſt obitum illuſtrata. Deceſſit, cùm duodecim annis Abbatiſſæ muneri præfuiſſet, circa annum 690. ut arbitratur Bollandus ex proba ſupputatione temporum, non poſt annum 840 uti poſuit Bucelinus. Natalem ejus conſignant pleraque martyrologia die 25. Februarii: Florarium MS. die 28. Januarii. Nos cum Grueno & Additionibus ad Uſuardum ad 15. Martii reponimus.

Bucel. Menol. ad 25. Febr. Addit. ad Uſuard. Greven. ad 15. Mart. Molan. in Indic. SS. Belgii. Sauſſay. in Martyrol. Gallic. Miræus in faſtis. Hugo Menard. Dorgan. Geber. Ferrar. Huebald. in vita S. Aldegund. Bolland. ad 25. Feb. alii. Gual. Chron. P. 1. f. 1490.

DIE XVI. MARTII.

S. EUSEBIA V. ABBATISSA HAMATICENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ex mente Gabrielis Bucelini.

Richimer Princeps ex sanguine Regio veterum Francorum. Uxor S. Gertrudis.

|

Geberta, vel Gerbirga, Uxor Ægæ vel Ægani Majoris Domus sub Dagoberto I. Rege.

Erchinoaldus Major Domus Clodovei II. avus Ethiconis seu Attici, atavus Luitfridi Comitis Habspurgici.

S. Adalbaldus Dux. Uxor S. Richtrudis.

|

S. EUSEBIA V. Abbatissa Hamaticensis, cum Sororibus SS. Alsende & Clotsende.

Acta Synoptica.

Bolland. To. 2. Mart. ad diem 16.

Acta Marchian. Huchald. Mon. in vita S. Rictrud.

Rosweydus in vita.

Raph. Beauscham. Tract. de Westergoth.

Joan. Mon. Elnon.

Molan. Addit. ad Usuard.

Joann. Poëta Marchian.

Miræ. in fast. Belg.

Rayss. in Hierogazolphyl.

Ghin. in Natal. SS.

Bucel. in Menol.

STabiliendæ Genealogiæ servit, quod ad Acta S. EUSEBIÆ præmittunt Symmystæ Bollandi celebris nostra ætate scriptoris. Monasterium Marchionense in fundo S. Adalbaldi Ducis mariti S. Rictrudis extructum est Anno 654. cùm S. EUSEBIA esset biennis eorum filia à Dagoberto I. Rege Francorum, & Nanthilde ejusdem conjuge, de sacro baptismatis fonte suscepta. Porro S. Adalbaldo Anno 652. interempto, S. Rictrudis cum filia EUSEBIA, & aliis duabus filiabus Clothsende & Adelsende, vitam Monasticam auspicata est in dicto Marchianensi Cœnobio. Erat tunc ex altera parte Scarpi fluvii Monasterium Hannaticum, in quo florebat S. Adalbaldi avia S. Gertrudis vidua, apud quam aliquandiu vixit S. EUSEBIA, eique defunctæ successit in regimine duodennis, ac proinde circa Annum 655. Inde à S. Rictrude matre Marchenas revocata, cum illa vixit uno alteróve anno: postmodum remissa Hamaticum, præfuit ibidem annos viginti tres, mortua circa Annum 680. vita ejus in exordio statim religiosæ conversationis mirabilis. Revocata Marchianum à matre, noctu clam omnibus orationis causâ nudis pedibus se Hamaticum conferebat, ut tamen completo ibi divino officio cum aurora Marchianum reverteretur. Id ubi matri innotuit, à proposito illam abducere frustrà conata, præcepit eam per Maurontem fratrem virgis cædi, quod dum ille matri obediens exequitur, ensis capulo, quo erat præcinctus, in latus impacto, sanguinem cœpit evomere, quâ infirmitate deinceps ad obitum usque laboravit. Virgæ etiam ramusculus, quâ Virgo corripiebatur, terræ adhæsit, & absque ullo succi additamento effronduit. Hisce visis pia mater ex sacerdotum consilio filiam dimisit liberam ad Hamaticense Monasterium, ubi cùm summa sanctitatis & boni exempli præbuisset argumenta, instantis sibi mortis præscia, cùm ultimum Vale sororibus

ſoribus impertitur, cubiculum, in quo decumbebat, cœleſti luce repentè reſplenduit, & ſancta ejus anima ad Lucem perpetuam tranſiit, pluribus poſt obitum miraculis honorata. Felix progenies, fœcundum connubium S. Adalbaldi, quo tot ſimul ſidera exſplenduerunt. Ipſe nimirum S. Adalbaldus, conjunx Rictrudis, filius Maurontus, filiæ EUSEBIA, Clothſendis, & Alſendis, omnes Sanctorum Albo inſcripti.

DIE XVII. MARTII.

S. GERTRUDIS CARLEBURGENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Anstriacorum.

GENEALOGIA.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

S. GERTRUDIS V. Carleburgensis.

S. Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & Habspurgici.

Acta Synoptica.

Acta Neustad. Cœnob. in Francon.

Bolland. To. 2. Martii ad diem. 17.

CArolus Magnus cùm ingentes opes in Ecclesias & Monasteria profudisset, etiam in Franconia prope Herbipolim insigne condidit Cœnobium Neustadiense Anno 794. ut referunt vetusta cartophilacia. Eodem tempore soror ejus GERTRUDIS (quæ hactenus scriptores latuit, nuper protracta in lucem) Ecclesiam erexit in loco vicino, quem à fratris nomine Carleburgum nominavit. Destinata illa à parente Pipino paribus sanguini Regali nuptiis, clam arreptâ fugâ cum honestissimæ vitæ Presbytero Attalongo in Franconiam venit, & in scrobe quâdam latitans vacabat orationibus & castigationi corporis, sub dio procumbendo, ubi & vestigia pedum suorum & membrorum reliquit, quæ nullis tempestatibus hactenus extrita sunt, admirationem vel eo pariunt, quòd nobilis quidam cum famulis bis ea disjecerit, semper tamen sequenti die reperta sint integra, & cùm tertiò facinus attentasset, sudo cœlo ingens ventus obortus eum inde repulerit, ut fugam inire coactus sit. Dum igitur illa sic Deo servit, Carolus frater inchoatum Neustadiense Monasterium illi commendat, ad quod sæpè excurrens GERTRUDIS promovit fabricam, interim Orationibus & contemplationibus rerum divinarum vacare non intermittens. Est in ea vicinia fons, qui GERTRUDIS precibus fertur impetratus. Cùm enim in via semel sitiret, scipione, cui innitebatur, terram cœpit scalpere, & illico fons ebulliit, qui in hodiernam diem scaturire non cessat, ab ea nomen sortitus Gertrudis fons. Affirmant etiam viri fide digni, velut acceptum à majoribus, partem viæ, quæ ducit Carleburgo Neustadium, quam calcare solebat S. GERTRUDIS, à reliqua parte ita distingui, ut quando hæc aresci, illa virescere soleat, & è contra. Ex Monasterii Neostadiensis scripturis illud quoque refertur extare: *Carolus cognomento Magnus Francorum Rex ac Romanorum Imperator Divus, Felix, Augustus, Cœnobii præsentis fundamenta jecit, atque Regia liberalitate dotavit, Anno à Christo nato* DCCXCIV. *D.* GERTRUDIS *Caroli Imperatoris soror germanâ liberalitate auxit Anno Christiani natalitii* DCCCXII. *Ludovicus I. Dictus Pius Caroli filius ac idem Germaniæ Imperator felicissimus, fundamenta corroboravit & ampliavit Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXIII. Quæ dubio procul recentiora sunt, sed ex majorum continua traditione, & fortè scripturis deprompta. Extant etiam diplomata Caroli Imperatoris, in quibus GERTRUDEM sororem suam vocat. Subdubitat Bollandus de narrationis hujusmodi veritate I. quia confunditur à quibusdam hæc Gertrudis cum Nivellensi. II. quia eâdem die utriúsque nomen re-

tfertur in tabulis. III. quia scriptores antiqui omnino tacent de Gertrude sorore Caroli Magni, cùm cœterarum meminerint. Sed non ideò in dubium revocanda est loci sacri & Ascetarum traditio: pluribus enim Sanctis accidit, ut essent ejusdem nominis, & eâdem die colantur, ideóque facilè eorum acta confundantur. Imò plerumque conjungi solent Sancti ejusdem nominis, quorum alterutrius certus natalis ignoratur, ut apud ipsum inet Bollandum observare licet. Deinde nullus veterum exactè tradidit Genealogiam majorum Caroli Magni, unde indies prodeunt nova nomina. Unde etiam adhuc quæritur, quis fuerit parens B. Ritzæ, quæ recens inventa est, & appellatur neptis sororum Caroli; de SS. Landrada, Godegrando, ejus cognatis, etiam silent antiqui, quos tamen non pridem erutæ Sanctorum vitæ prodiderunt. Hæc de S. GERTRUDE Carleburgensi, plura apud Bollandum, de S. Gertrude Nivigellensi alibi.

Eâdem DIE XVII. MARTII.

B. GERTRUDIS SILESIA ABBATISSA.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Piespordii & Lazii.

Conradus Habspurgicus Dux Burgundiæ, Uxor Ermentrudis Habspurgica filia Luitfridi,

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurensis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgundiæ Jurensis.

Gerburga Uxor Hermanni Ducis Alemanniæ,

Gisela Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Henricus V. Imperator.

Christina Uxor Uladislai II. Principis Silesiæ.

Agnes Uxor RudolphiRhynfeldensis Imperatoris.

Agnes Uxor Bertholdi Habspurgici Ducis Zäringiæ.

Boleslaus Procerus Princeps Silesiæ.

Henricus Barbatus Dux Silesiæ, Uxor S. Hedwigis Andechsina.

B. GERTRUDIS Abbatissa Trebnicensis.

Nexus II. cum Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathil-

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ Jurenſis.

|

Gerburga Uxor Hermanni Ducis Alemanniæ, & cœteri ſuperiore Nexu adducti.

Nexus III. cum iiſdem.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomannus Rex Bavariæ.

|

Arnulphus Imperator.

|

Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.

|

Henricus I. Auceps Imperator.

|

Otto I. Magnus Imperator.

|

Richlindis Uxor Cunonis Com. Oeningæ.

|

Chunegundis Uxor Friderici II. Com. ab Andechs.

|

Leopoldus Comes ab Andechs.

|

Arnoldus Comes ab Andechs.

|

Bertholdus I. Comes ab Andechs.

|

Bertholdus II. Comes ab Andechs.

|

Bertholdus III. Comes ab Andechs.

|

S. Hedwigis Uxor Henrici Sileſii.

|

B. GERTRUDIS ABBATISSA.

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Rex.

|

Carolus ſimplex Rex.

|

Ludovicus IV. Rex.

|

Carolus Dux Lotharingiæ.

|

Ermingardis Comitiſſa Namurci.

|

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.

|

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

|

Wernerus I. Comes Habſpurgicus, & cœteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

GERTRUDIS Sanctiſſimæ Hedwigis Duciſſæ filia, matri virtute, pietate, Zelo per omnia ſimillima, ſacrum velum ſuſcepit in Trebnicenſi Virginio, eximia vitæ perfectione ita ſe omnibus probans, ut mater & Abbatiſſa à ſororibus eligeretur, & onus detrectatum ſuſcipere cogeretur. Abjectis operibus tanta Princeps liberaliſſimè manus admovebat, iiſque quæ viliora, & contemptui obnoxia erant, delectabatur: divinorum contem. Bucel. in Menol. Wion. in ligno vitæ. Chryſoſt. Henriq. Ferrar. ap. Bolland ad 17. Martii.

templationi adeò addicta, ut extra illam, nullam putaret ſe habere quietem. Deus porrò illuſtribus eam ſignis & prodigiis honorare voluit; quam meritis opulentam, ad puriſſimũ ſuum thalamum introduxit Anno circiter, ut aſſerit Bucelinus 1270. in Trebnicenſi Cœnobio cum ſancta ſua Matre depoſita, quod parentes Anno 1203. fundatum locupletaverant. Beatæ titulum ei attribuunt Bucelinus, Wion, Henriquez, Ferrarius, à quo abſtinet Bollandus, cùm de publico ejus cultu non conſtet.

Eâdem

Eâdem DIE XVII. MARTII.

B. CONRADUS CLARAVALLENSIS ASCETA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Welpho IV. cognomento Fortis, Dux Carinthiæ & Bavariæ. Uxor Juditha filia Balduini Comitis Flandriæ, cujus Majores à Carolo Magno vide alibi.

Henricus Niger Dux Bavariæ.

Henricus Superbus, Dux Bavariæ. Uxor Gertrudis filia Lotharii Saxo. Imperatoris.	B. CONRADUS Dux Bavariæ, Aſceta Claræ-vallenſis.	Sophia Uxor Berchtoldi Ducis Habſpurgo-Zaringiæ.

Alium nexum vide in S. Brunone Epiſcopo Martyre die 14. Febr.

Acta Synoptica.

APueritia pietatis amorem imbibit, & præ omni parentum & propinquorum gloriâ ſervitium Chriſti adamavit. Apud Weingartenſes ſanctè educatus, nihil niſi vitæ ſecuritatem & dulce Sanctorum conſortium cogitavit. Ne tamen à parentibus idem poſtea inſtitutum in Weingartenſi Cœnobio impediretur, vel præſentia illorum & Aulæ procerum ſolatiis & gratiæ divinæ obſtaculum poneret, ad exteros ſe conferre ſtatuit. Cúmque celebre tunc nomen à diſciplina Claravallis in Burgundia eſſet, eò ſe ſubduxit, atque pro voto ſuſceptus, inſigni humanarum rerum contemptu atque animi demiſſione excelluit. Demum S. CONRADI cognati ſui Epiſcopi imitatione, & ſuperiorum ſuorum facultate obtenta, ad veneranda Chriſti veſtigia Hieroſolymam profectus, ibidem cuidam ſervo DEI in eremo manenti adhæſit, totúmque rerum divinarum meditationi ſe impendit. Reverſurum Claramvallem, & jam in itinere conſtitutum apud Barium Apuliæ mors intercepit, & pro Claravalle ad montem gloriæ ac claritatem æternam deduxit, cujus ſactum corpus honorificè Barrii ſepultum requieſcit. Titulo Beati eum honorant Wion, Bucelinus, & alii. Henninges heterodoxus, vocat Principem innocentiâ vitæ, & pietate clariſſimum, educatum ab Epiſcopo Conſtantienſi; poſtea ne ſurrogaretur defuncto Præſuli, Monaſterium Claræ-vallenſe ingreſſum, terram ſanctam adiiſſe, & reducem in Cardinalium numerum cooptatum, ſed interim morbo correptum obiiſſe Anno 1125. quo eodem Anno parens ejus Henricus defunctus eſt. De Cardinalitia dignitate ſilent alii, cùm hæc alteri Conrado collata ſit, de quo 30. Septembris acturi ſumus.

Chryſoſt. Henriq. Weingart. MSS. Gabr. Bucelin. Menol. ad 17. Martii. Henſchen. To. 2. Mart. ad 17. in prætermiſſ. Hier. Henning. fol. 114. P. 2. Germ.

Eâdem DIE XVII. MARTII.

B. PAULA VIDUA PRINCEPS MANTUANA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Agnes Uxor Alberti II. Ducis Saxoniæ.

|

Eliſabetha Uxor Obizonis VII. Marchionis Eſtenſis.

|

Alda Uxor Ludovici Gonzagæ Comitis.

|

Franciſcus Comes de Gonzaga. Uxor Agnes filia Barnabonis Vice Comitis Mediolanenſis, ſoror viridæ nuptæ Leopoldo III. Auſtriaco.

|

Joannes Franciſcus de Gonzaga Marchio I. Mantuæ. Uxor B. PAULA Malateſta.

Alios nexus vide in B. Paula Gonzaga ejus abnepte, ad 24. Septemb.

Acta Synoptica.

Luc. Wadding. Annal. Min. To. 5. ad ann. 1420. & 1449. Arturus de Monaſt. Wolfg. Högner. in Martyrol. Franc.

PAULA ex nobiliſſima proſapia Malateſta, Joannem Franciſcum Gonzagam primum Mantuæ Marchionem maritum nacta, felicis ſobolis mater, & magna avia, Spiritûs Magiſtrum habuit S. Bernardinum Senenſem cujus ſuaſu nobile conſtruxit in urbe Mantuana Cœnobiũ Anno 1402. ſub arcta regula S. Claræ, à Corpore Chriſti & S. Paula Romana nuncupatum, ad quod tranſtulit viginti pias mulieres, quæ in humili tuguriolo abſque ulla regula vivebant. Advocatæ etiam Virgines ex Monaſterio S. Urſulæ Mediolanenſi, ſorore Franciſchina de Guiſſano prima Abbatiſſa, miræ virtutis fœmina. Crevit paulò pòſt loco religio & veneratio, ut ex eo multis inſtituendis & reſtaurandis Monaſteriis Coloniæ expeterentur. Nullos admittere voluerunt reditus; neque tamen quidquam deerat, curante Fundatrice & familia Gonzagâ omniâ abunde ſuppeditari. Neque hic conſtitit Paulæ devotio, ſed ob affectum, quo ferebatur in Ordinem S. Franciſci, petiit à ſummo Pontifice facultatem anno ſequenti 1421. erigendi in diverſis locis tria rurſum Cœnobia Monialibus Clariſſis, & quatuor alia Fratribus Minoritis, & *pium hunc cogitatum* (verba ſunt Waddingi) *ſecundùm hunc numerum fermè complevit.* In more præterea habuit, ter in hebdomada hoſpitalia inviſere, infirmis ſervire, ulcera curare, pedes lavare, peregrinos ſuſcipere; in ſupplicationibus publicis, maximè dum ſolenniter circumferretur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nudis pedibus incedere:

Reli-

Religiosis instituta sua observantibus, omnibus modis favere. Defuncto conjuge Anno 1444. statim compositis rebus ad Monasterium suæ Fundationis se transtulit, ibique sub habitu S. Claræ vitam vixit sanctissimam. Nulla humilior, nulla ad serviendum promptior, nulla in orando constantior, in carne edomanda severior, quàm Paula. Intra paucos annos superavit veteranas, & longum aliarum cursum brevi sed ardentiori conatu explevit. Admirabantur sorores tantum vitæ rigorem in tenello corpore deliciis assueto, eóque perveniisse virtutis, ut non domesticæ solùm, sed & peregrè advenientes, malorum remedium ab illius precibus reportarent. Moriens jussit, ut non aliter quàm in habitu S. Claræ sepeliretur, absque ambitiosa tumuli & inscriptionis vanitate, ad sacrarii ostium, ubi transeuntium pedibus calcaretur, & sacerdotum ad sacra prodeuntium memoriæ commendaretur. Appositus tumulo est lapis rubei marmoris, & in sacrario ejus imago conspicitur, radiis & titulo *Beatæ* insignita.

Decessit Anno 1449.

DIE XVIII. MARTII.

S. EDUARDUS REX ANGLIÆ M.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Juditha Uxor Balduini Ferrei, Comitis Flandriæ.

Balduinus II. Calvus Comes Flandriæ.

Chifflet. in Vind.

Elfleda Uxor Edgari Pacifici Regis Angliæ.

S. Editha Virgo. | S. EDUARDUS Rex Martyr.

Arnulphus Magnus Comes Flandriæ, à quo cæteri Flandri, usque ad Maximilianum I. Austriacum.

Acta Synoptica.

Widel. in Elog. Masc. in Encom. Simeon Dunalm. in hist. Angl. Chronol. Anglo-Saxon. Malmesburien. lib. 2. c. 9. Wigornien. Westmonaster. Hovedin. ad ann. 979. & alii ap. Bolland. ad 13. Martii. Bucel. Menolog. ad an. 981.

HAbet suos laudatores EDUARDUS, non eget nostris encomiis: damus recentia. Edgaro Angliæ Regi EDUARDUS successerat, filius natu quidem major, sed pessimâ novercæ industriâ, paulò pòst capite & coronâ minor. Familiaris hæc Dæmonis machina privigno suo mortem meditata, diadema in filium suum Ethelredum transferre studens, cùm jure non posset, injuriâ egit. Purpura novi Regis cùm murice tingi non posset legitimo, violento fuco debuit; & quidem muliebri. Capitale novercæ odium præcesserat, non nisi EDUARDI capite finiendum, à quo inceperat. Sic est: sæpè corona capiti quæritur, sæpè caput coronæ; imò sæpè diademata legitimis Regibus capite constant, ut vilius membrum succedat. Fœminas time coronata felicitas, si cupis esse secura. Viri sæpè Tyranni sunt, fœmina Tyrannis ipsa. Venationem fortè eo in loco instituerat EDUARDUS, ubi fera pessima Helfrida stabulabatur. Illa occasionis non negligens, privigno magis insidiari cœpit, quàm ipse bestiis: fraudium itaque retia instruit nocens Diana, ut dum venatur Eduardus feras, ipsa venatorem venetur. Invitat suo cum comitatu in arcem omni comitate venatorem Regem, Regum venatrix Helfrida: rogat, tecto suo succedere dignetur EDUARDUS. Nihil impetrat mulier à Rege minimè mulieroso; cùm sciret Eduardus, non tecta duntaxat fœminarum, sed multò magis tectas fœminas viris esse fugiendas. Calida fortè tempestas erat, callida mulier, quæ sudore perfusum Regem conspicata, haustum saltem ne detrectaret, rogavit. Sed scilicet cùm aquâ non possent, vino natant sirenes. O! ut nunquam magis odit noverca, quàm dum amat. Accipit poculum EDUARDUS, non quidem veneno tinctum, sed odio: non quale in sanitatem Regum bibi solet; sed tale, quo hausto deinceps non sitiret. En Scyphum plusquam Circæum! dum bibit

bibit EDUARDUS, accedens subornatus Sicarius cultro armatus, infixa acie sanguinem Regis haurit. Hoc erat haustui vini, hausto cruoris respondere, sanguinem ferro propinare. Lapsus è jumento Rex, sensit mortem suam esse properantissimam, utpote equo vectam: quare fuso largiter sanguine, in preces simul effusus pro inimicis orans, non citiùs spirare, quàm suspirare ad Deum cessavit, cœlum non feras venatus. Corpus rusticanâ casâ occultatum est, non virtus, quæ abscondi nequit: cœlestis nàmque lux thesaurum prodidit. In palude dein tumulatum cadaver, sordes loci dedignatum, magis sordidam fœminam, ruente è cœlo columna ignea, manifestatum est. Adeò Constantiæ symbolum Divos etiam post mortem sequitur. EDUARDUS dejectus à Regni statu, in columnam surrexit, extinctus morte in igne resplenduit. Anno 979.

DIE XIX. MARTII.

B. RICHETZA REGINA POLONIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. juxta Piesporidium, Lazium, alios.

Luitfridus Comes Habspurgicus.

|

Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

S. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

|

Otto II. Imperator. Uxor Anna Marchionissa Austriæ, filia Leopoldi I. Illustris.

|

Mechtildis Uxor Ehrnfridi Comitis Palatini.

|

B. RICHEZA nupta Miecislao II. Regi Poloniæ.

Nexus II. cum Carolingis.

Vide supra die 15. Martii in B. Mathilde, & adde.

Henricus I. Auceps ex Carolingis, Uxor B. Mathildis.

|

Otto I. Imperator.

|

Otto II. Imperator.

|

Mechtildis Uxor Ehrnfridi Palatini.

|

B. RICHETZA, vel Rixa, Uxor Miecislai II. Regis Poloniæ.

Acta Synoptica.

Ferrar. in lat. SS. Molan. in addit. Usuardi. Bucel. P. 1. Germ. fol. 170.

Si omnium Sanctorum acta ornari deberent miraculis in scripturas relatis, multorum cultus periclitaretur, & dubitaremus an sancti sint, quos solo nobis nomine tabulæ Ecclesiasticæ referunt cum titulo Sanctorum, aut Beatorum. Nulla, inquit recentior quidam, de RICHEZA vel Rixa memorantur miracula, nec constat de ejus sacro cultu. At corpus ejus defunctæ

ctæ S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus intulit Coloniam, cùm ipſa petiiſſet tumulari in Blawiterano Cœnobio, quod RICHETZÆ majores fundaverunt, & in Eccleſia S. Mariæ ad gradus in elevato tumulo collocavit; in quo, uti & ad columnam tumulo propinquam, ipſius RICHEZÆ Reginæ (ſic enim adſcribitur) & fratris Hermanni, item Archiepiſcopi Colonienſis imagines cum diademate depictæ viſuntur, ut Sancti ſolent. Quin etiam in una feneſtrarum Chori, inter duos ejusdem Eccleſiæ tutelares SS. Annonem & Agilolphum ipſa RICHEZA collocatur media, cum hac inſcriptione: SANCTA RICHEZA. Adjhæc in magnis feſtis olim ſolebat auferri operculum ligneum tumbam ejus cooperiens, quæ ſanè magna ſunt indicia ſanctitatis olim agnitæ, qualia de multis Sanctis non leguntur. Beatæ titulum ei tribuunt Ferrarius, Molanus, & Bucelinus. Cratepolius eam etiam laudibus extollit. Commendatur plurimùm â pietate & munificentia in Eccleſias, quæ in multis fundamenta ſunt ſanctitatis. Anno 1633. Ægidius Gelenius legitimis adhibitis teſtibus, Superiorum licentiâ tumulo B. RICHEZÆ aperto, deprehendit oſſa ſine ordine diſperſa ac goſſipio involuta, ſtragulo ſerico tecta: tumba verò ipſa lignea marmoreo incluſa Mauſoleo, byſſo erat veſtita. Caput reticulo aureo adſtrictum incumbebat pulvinari pretioſo diademate ornatum ſex fibulis annexo, in quibus arte Phrygia Majorum ejus octodecim inſignia repræſentabantur, ſub ipſo verò pulvinari lamina plumbea reperta, cui hoc inciſum Epitaphium.

Boll. ad 19. & 20. Martii. Gelen. in faſt. Theodo. Rhay. in Animab. Illuſtr. ad 21. Mart.

Anno Dominicæ Incarnationis 1057. *ſecundo Idus Aprilis* RICHEZA *Regina ab Annone II. Sedis hujus venerabili Epiſcopo, atque præſentis Eccleſiæ Fundatore, cum ingenti totius Cleri & populi frequentiâ honorificè ſepulta eſt, & per ipſum inducta Pontificem duobus ornatiſſimis prædiis, ſibi precariò oblatis. Nono Calendas Aprilis Obiit.*

Ferrarius habet 19. Martii. Molanus 20. Martii. Rhay 21. Martii.

Ex Epitaphio meliùs 24. Martii.

DIE

DIE XX. MARTII.

S. REMIGIUS EPISCOPUS ARGENTORATENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Refert eum Bucelinus ad Comites Egesheymenſes, aítque fratrem fuiſſe Hugonis Comitis. Henninges verò ſororem ejus nuptam fuiſſe Hugoni Comiti Alſatiæ filio Attici vel Atticonis, à quo probabili valde ſententia deſcendunt Habſpurgici. Guillimannus exiſtimat omninò fuiſſe Habſpurgicum, ex Comitibus Altenburgi & Vindoniſſæ, ejusdem ſcilicet ſtirpis cum Ethone anteceſſore, quem ferè omnes agnoſcunt Habſpurgicum, vel ſaltem de proſapia Attici. Cœterùm etiam Egesheymenſes fluxerunt ab Habſpurgicis, ut putant Lazius, Henninges, & alii. Chiffletius verò ex Gerardo Alſatio parente Ithæ Alſatiæ quæ fuit Uxor Radepotonis Habſpurgici, magna avia omnium cœterorũ Habſpurgicorum, uſque ad hodiernos Auſtriacos. Interim veroſimiliter hic exhibetur.

Bucelin. Heñ. Guillim. inf. cit.

Nexus I. ad mentem Henningii.

Attico vel Ettico, qui & Adelricus Dux Alſatiæ, cui Uxorem tribuit Bucelinus Bereſvindem ſororem Bilhildis vel Bilthildis Reginæ.

Henn. P. 1. Germ. fol. 265.

Albericus Dux Alſatiæ. Uxor N. - - -	Etho Comes Brisgoviæ.	Hngo Comes Alſatiæ. Uxor Ermentrudis, ſoror S. REMIGII Epiſcopi Argentoratenſis.
Luitfridus Comes Sundgoniæ. Uxor Hiltridis Comitiſſa Habſpurgi hæres, quæ adoptavit patruelem,	Albericus Comes Leberthallenſis.	
	Ottopertus Comes Habſpurgi, adoptatus ab Hiltrude.	

Bucel. P. 2. Germ. Genealog.

Nexus II. ad mentem Bucelini.

In tabula I. Agilolphingica eodem modo deducit Bucelinus prout Henninges, at cùm in tabula Monaſterii Vallis S. Gregorii dicat fuiſſe fratrem Hugonis ab Egesheim S. REMIGIUM, videtur ſentire, quòd Hugonis Comitis Alſatiæ non affinis ſed frater fuerit S. REMIGIVS. Utroque modo fuit conſanguineus Habſpurgi. Et huc videtur reſpexiſſe Guillimannus: aut certè lapſus eſt Bucelinus ubi de Abbatibus Vallis S. Gregorii agit, reponens nomen fratris pro affinis.

Acta Synoptica.

Guillim. lib. de Epiſ. Argent. n. 19. f. 113.

REMIGIUS, quem alii Remedium, Regiovillanus etiam Benignum appellat, ab anteceſſore Heldone vel Ethone Epiſcopo adhuc vivo ad Cathedram Argentinenſem deſtinatus, & ordinatus Epiſcopus, in tanto generis & honoris faſtigio ſummam tamen animi demiſſionem prætulit. Unde

ſub-

ſubſcribens teſtamento ſui prædeceſſoris, hâc uſus eſt formulâ: REMEDIUS *peccator & Epiſcopus* facta prioris mei Edonis Epiſcopi relegi. Egit primis annis Monachum in Valle S. Gregorii, ubi & Abbas cum laude præfuit. Extractus è cella ad Epiſcopatum, religioſiſſimæ vitæ fulgore univerſam Alſatiam illuſtravit. Profectus Romam, ab Adriano Pontifice ſummo honore exceptus, multisque Beatorum reliquijs donatus, Aſchau Monaſterium Sanctimonialium condidit, in quo repoſuit corpora S. Sophiæ, & trium ejus filiarum Fidei, Spei, & Charitatis, quæ integra ab eodem Pontifice acceperat. Præpoſuit verò Sanctimonialium regimini cognatas ſuas Attalam & Radunam, quæ fuerunt filiæ Bodali Comitis Alſatii, neptes Irmentrudis ſororis ſuæ: quæ omnem quoque ſubſtantiam ſuam eidem Monaſterio contulerunt. Rexit Epiſcopatum annis 20. magna cum laude & ſanctitate. Deiparæ Virgini devotiſſimus, quam *dulciſſimam ſuam dominam* appellare ſolebat. Deceſſit Argentinæ Anno 803. die 20. Martii ut ex ſcripturis Argentinenſibus ponit Guillimannus & Bucelinus, ubi de Monaſterio Vallis Gregorianæ, ſed in Menologio cum refert ad 18. Maij.

Bucel. To. 2. Germ. de Monaſt. f. 296. & Menol. ad 18. Maij.

DIE XXI. MARTII.

B. CLEMENTIA HOMBURGENSIS,

COMITISSA SANCTIMONIALIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Fuit nata Comitiſſa ab Homburg, cujus familiæ pridem extinctæ plenam Geneſim nullus, quod ſciam, ſcripſit. Unde certam ejus ſeriem exhibere nobis non licet. Illud certum eſt, Habſpurgicos per connubia Homburgici Comitatus hæredes factos, & ſæpiùs cum iis Comitibus affinitatibus conjunctos. Nam Otto Comes Habſpurgicus, qui obiit Anno 1109. Uxorem habuit Itham Homburgenſem, quæ illi peperit Adelheydem nuptam Emiconi Comiti ejusdem familiæ Homburgenſi, cujus fortè filius fuit Adolphus parens B. Clementiæ, unde veroſimiliter ſic Geneſim diſponerem.

Itha Homburgenſis Comitiſſa. Uxor Ottonis Comitis Habſpurgici A. 1100.

Wernerus III. Comes Habſpurgi, abavus Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici.

Adelheydis Uxor Emiconis Comitis in Homburg, circa annum 1120.

|

Adolphus Comes in Habſpurg, circa Annum 1150.

|

B. CLEMENTIA obiit Anno 1176.

Alter nexus de hæreditate Comitatus.

Rudolphus ultimus Comes de Rapperswil.

Eliſabetha Uxor Rudolphi Comitis Habſpurgici in Lauffenburg.

|

Joannes Comes Habſpurgicus in Lauffenburg, hæres Werneri.

N. - - - - Uxor Werneri Comitis de Homburg Anno 1323.

|

Wernerus Junior obiit 1330. cujus hæreditas ad Joannem Habſpurgicum devoluta.

Acta Synoptica.

HÆc ipſis Trithemii verbis afferre libet, Anno 1149. Craffto Comes de Spanheim filius Meginhardi Senioris, & frater junioris, filiam Adolphi Comitis Hombergenſis nomine CLEMENTIAM, Virginem ſpecioſam, pudicam & Chriſto devotiſſimam, pro uxore deſponſavit: quæ cùm Chriſto Virginitatis ſuæ florem devovere ſtatuiſſet, ſponſi mortalis conſenſum petiit & impetravit. Unde ipſa Venerabilis Virgo CLEMENTIA, in Cœnobio S. Irminæ in Horreo Trevirenſi noſtri Ordinis Monialis facta eſt, & omnipotenti DEO in magna ſanctitate multis annis ſervivit. Porrò ipſe Craffto S. Virginis

Trith. in Chron. Spanheim. fol. mihi 172. & 203.

Bucelin. Menol.

ginis ſponſus, in Cœnobio Spanheimenſi ſub Abbate Bernhelmo monachus factus eſt, in quo tam religiosè, támque prudenter converſatus eſt, ut Bernhelmo defuncto, in locum demortui Abbas ſit ordinatus. Obiit CLEMENTIA 12. Cal. Aprilis in Horreo Trevirenſi Sanctiſſimæ converſationis, quæ diebus ac noctibus intenta orationi ac contemplationi, nihil magis quàm Deo placere in omnibus cupiebat. Id ad annum 1176. referunt ipſe Trithemius, & Bucelinus, quorum hic titulo Sanctæ eam exornat, ille modo Sanctam, modò Venerabilem nuncupat.

DIE XXII. MARTII.

S. RELINDIS ABBATISSA MASACENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Hæc defectu documentorum formari non poteſt. Id unum quippe conſtat, fuiſſe S. Relindem & Sororem Herlindem de ſtirpe Carolidarum, id eſt, ex majoribus Carolidarum ſive Caroli Magni. Interim

Adalhardus. Uxor Grinvara.

S. Herlindis Abbatiſſa. S. HELINDIS Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Florarium MS. Jo. Gilleman. Higialog. Brab. p. 1. Bolland. ad 22. Martii. Bucel. ad 6. Feb. Herm. Greve. in Catal. generali.

RELINDIS, ſive REINULA, cum S. Sorore ſua Herlinde Monaſterium celebre ad Moſæ fluminis litus condidit, dictum Maeſeyck ſive Maſacum, in quo cum ſorore vitam Monaſticam profeſſa eſt. Erant priùs ambæ educatæ in Monaſterio Vallentianenſi ad Scaldin, unde revocatæ à parentibus, in fundo avito molitæ ſunt Cœnobium, cui conſtruendo ipſæ non opes ſolùm ſed operas contulerunt, ſuis manibus lapides & alia neceſſaria comportando. Prior earum Herlindis à SS. Willibrordo & Bonifacio Epiſcopis creata Abbatiſſa: ei proxima ſucceſſit REINULA, multis Dœmonis inſidijs impetita, ſed ſuperior & victrix, tandem bene adminiſtrato regimine plena meritis, in Domino obdormivit, poſt obitum pluribus clara miraculis. Obijt 6. Februarij, ſoror Herlindis 12. Octobris. Simul tamen celebris earum memoria peragitur hac die 22. Martij, quâ translatæ ſunt. Deutraque Florarium MS. *In territorio Laſſenſi juxta villam Maeſyck depoſitio* S. REINULÆ *Sanctimonialis, & Virginis; Hæc cum B. Harlinda ſorore ſua de nobili ſtirpe Karolidarum prodijt.* Idem habet Gillemanus.

DIE XXIII. MARTII.

S. BRUNO ABBAS HIRSCHAUGIENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Albertus Dynaſta Wirtenbergenſis circa annum 1080. Uxor Luitgardis Comitiſſa Schyrenſis.

S. BRUNO Abbas Hirſchaugienſis.

Conradus Habſpurgicus Dux Zäringiæ.

Bertholdus IV. Dux Zäringiæ.

Agnes Zäringiæ Duciſſa Habſpurgica, cujus maritus ſecundus fuit - - ——

Conradus I. Comes Wirtenbergenſis.

Ulricus Comes Wirtenberg.

Ludovicus Comes Wirtenberg.

Henricus Comes Wirtenberg.

Eberhardus Comes Wirtenberg.

Ulricus Comes Wirtenbergicus.

Eberhardus Comes Wirtenbergicus.

Eliſabetha Wirtenbergica, cujus maritus — Henricus Placidus Dux Auſtriæ.

Rudolphus I. Cæſar Habſpurgicus.

Albertus I. Cæſar Auſtriacus. Henn. P. 1. Germ. fol. 309.

Acta Synoptica.

APuero literis imbutus BRUNO, Cathedralis Spirenſis Eccleſiæ Canonicus & cuſtos factus, cùm per abrupta vitiorum ad interitum præcipites ferri plurimos adverteret, vocanti DEO obſecundans, ad Hirſchaugienſe Cœnobium ſe contulit, ſub Magno loci illius Abbate S. Wilhelmo profeſſus Monaſticen egregiæ innocentiæ exemplar omnibus factus eſt. Gebhardo Abbate ad Cathedram Spirenſem evocato, BRUNO fratrum votis præeſſe coactus, munere illo ſanctiſſimè functus patris animum ſic induit, ut verè genuiſſe omnes in Domino crederetur, & ſecularium negotiorum molem partitus in fratres, ipſe totum ſe in ſalutem animarum convertit: facilis alijs, ſibi rigidus, delitias omnes ut toxicum averſatus. Nemo unquam illum vidit otioſum, orationi ſemper aut lectioni ſcripturarum divinarum intentus. *Idcirco* (ut ait Trithemius) *requievit ſuper eum Spiritus Sapientiæ ſalutaris, quo animum ejus mirabiliter illuſtrante, inter doctiſſimos doctior apparuit, ita ut quicunque audiviſſent, in ſermone ejus vehementer obſtupeſcerent. &c. Quoties in eum irruente ſpiritu Domini ad proferendum verbum exhortationis os aperuit, non humana ſed divina*

Bucel. Menol. Hugo Menardus Wion. Henriq. Trithem. Chron. Hirſchaug. Henſch. & Papebroch. ad diem 23. Mart.

vina verba loqui putabatur. Obiit hac die Anno 1121. cùm annis 14. menſib. 3. diebus 22. præfuiſſet, conditus in Eccleſia SS. Petri & Pauli, ubi cùm annos 339. quieviſſet, elevatus, inſigni miraculo cœcum illuminavit. Sancti prædicato illum exornat Arnoldus Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus. Venerabilem ſolùm appellat Trithemius, ut obſervat Henſchenius.

DIE XXIV. MARTII.

B. RICHARDA COMITISSA EBERSPERGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Rex.

|

Carolus Simplex Rex.

|

Ludovicus Transmarinus Rex.

|

Mechtildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

|

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

|

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatotis.

|

Henricus III. Imperator.

|

Henricus IV. Imperator.

|

Limpurga Uxor Marquardi Ducis Carinthiæ.

|

B. RICHARDA Uxor Ulrici Comitis Eberſpergenſis, Soror B. Hemmæ.

Nexus II. deduci poteſt per Arnulphum Imperatorem, qui Sighardum Eberſpergenſem nominat ſuum propinquum, cujus pronepos fuit Ulricus Comes Eberſpergenſis maritus B. RICHARDÆ.

Nexus III. poteſt formari per Reges Burgundiæ, quos ex Habſpurgicis deducunt Lazius, Henninges, Pieſpordius: & ex Carolo Magno Chiffletius.

Acta Synoptica.

RICHARDIS, quam & RICHARDAM appellant, Marquardi Carinthiæ Marchionis, poſtea Ducis filia, alterius Marquardi, qui Udalrici filiam Hademundam duxit conjugem, ſoror, nupta fuit Udalrico Eberſpergenſi Dynaſtæ. Per hanc Carinthia illuſtre ornamentum transmiſit in Bavariam

Raderus To. 2. Bav. Sanctæ. Reichard. in Breviar. hiſt. Carinth. fol. 106.

rtam, cujus pietatis radiis illicò Provincia fulſit. Nam Eberſpergam arcem, in ædem S. Benedicti mutatam, Monachis donavit, divini Numinis Divorúmque ſtudioſiſſima cultrix; in pauperum ſubſidiis, votis, precibus, ædium ſacrarum ornatu, cænobiorum auctu, Religioſorum veneratione, vitam in ſexageſimum annum trahens, apparitione Virginis cultu nitidiſſimo refulgentis, quam Dei matrem credidit, ſpe futuræ in cœlo gloriæ brevi delibandæ recreata, paulò pòſt piſſimè obiit; legatâ pauperibus in omnem poſteritatem annonâ, quæ noſtra adhuc tempeſtate infimæ ſortis hominibus ultra mille quingentos concurrentibus, die S. Gregorio ſacra affatim tribuitur. Verè miſericos RICHARDA, quæ perennitate Eleemoſynæ dies vitæ ſupergreſſa, benefacit etiam mortua. Annum obitûs deſignat Abbas Reichard 969. ſed & nuptam & mortuam tardiùs evincunt Geneſes majorum. Meliùs Raderus ad annum 1013. id refert; marito Ulrico uſque ad annum 1019. ſuperſtite: qui etiam die 23. Martii defunctam ſcribit. Nos hac die cœteroquin vacuâ repoſuimus.

Heſſing. P. 1. Germ. fol. 315. & 542.

MS. Eberſperg.

Arenbeck. Chron. fund. mon. P. 47.

Hund. Metrop.

DIE XXV. MARTII.

S. GOTTHARDUS EPISCOPUS HILDESIENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Cujus filius fuerit, aut quâ serie generationum ortus, nondum comperi. Comitem Schyrensem fuisse, tradunt Gualterius, Bucelinus, Lazius, Crantzius. At verò Laurent. Beyerlinck cognatum Henrico II. Imperatori. Subdubitat Raderus. Ego, habita ratione temporis, utrumque verosimiliter putem concordari posse, hac serie:

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator. Obiit An. 899.

Hunbaldus Marchio Bavariæ. Obiit circa Annum 940.

Gothardus Marchio Bavariæ. Obiit circa Annum 965.

Rotmundus Marchio Bavariæ. Obiit circa Annum 985.

S. GOTTHARDUS Episcopus Hildesiensis.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Henricus Dux Bavariæ.

Henricus Hetzelo Dux Bavariæ.

S. Henricus Rom. Imperator.

Acta Synoptica.

VIrum admirandæ sanctitatis prædicant Altahensium chartophylacia. Fuit Illustrissimo Palatinorum Schyrensium genere natus, cognatus Henrici II. Imperatoris: ex Canonicorum Præposito Althaichensis Monachus, ejusdem postea Cœnobii Abbas. Ad Hirschfeldense Monasterium postulatus, idipsum insigni merito, in statu utroque felicissimè reformavit. Pari dexteritate in commendatis sibi Tegernseensi, & Cremiphanensi usus, Monachis & Monasteriis præclarè consuluit, quorum absoluta reformatione, curâ se abdicans, ad suum Altaichense reversus, promptuarium illic locupletissimum virorum illustrium instituit, & Doctores plurimos summo cum universæ Provinciæ fructu in diversa passim Cœnobia ablegavit. Deiparentis cultor eximius, elegantissimum ejusdem honori templum in Monte sancto (vulgo Heyligenberg) condidit, cujus postea ut videtur ductu, licet invitus, ad Hildesheiensis

Bucelin. in Menol. ad 4. Maij. Molanus, in Nass. Belg. Ghinius. Trithem. Brusch. Baron. Chron. Hildesien. Matth. Rader To. 1. Bavar. Sanctæ, & alii.

heimenſem Inſulam evocatus eſt. Viſa illi per noctem admirabili ſplendore cultúque matrona, quæ altercante ſuper electione Clero ac populo, ipſum manu ad Eccleſiam inter SS. Virginum comitatum ducebat, & ut veniam â Crucifixo peteret, admonebat, ſub iis pſallentium verbis: *Infunde unctionem tuam &c.* quæ inter experrectus, reclamare deinceps votis Cæſaris & aliorum Pontificum minimè auſus eſt. Eo honore adito, ſpeculum omnium factus, vigiliis, orationibus, ferè perpetuis deditus, ſolatium viduis, orphanis, pauperibus, præbens, terrori ac venerationi Regibus ac Principibus fuit. Miraculorum gloriâ inſignitet effulſit, quibus non corporis ſolum ſed & animi morbos atque afflictiones mirè depulit; neque præſentes ſolùm ſed & imminentes calamitates avertit. Perduelles ex ſubjectis quosdam anathemate ictos, cùm ſacrificii tempore templo de more juſſiſſet excedere, illíque contumaces reſtitarent; ex dudum ſepultis, quos eadem anathematis vincula ſtrinxerant, de tumbis ſurrexerunt templum egredientes, quos dein pudore ſuffuſi vivi illi rebelles ſecuti ſunt. At GOTTHARDUS adhortatione acri ad ſubjectos, quibus mortuos obſequentiores haberet, adhibitâ, defunctos cenſurâ ſolvit; qui capita Pontifici inclinantes, ad ſuum quisque tumulum redîêre. Dæmoni uſque adeo exoſus fuit, ut nec videre, nec audire ſe GOTTHARDUM ipſe fateretur, & illicò quiritabundus profugiens, diù poſſeſſa coactus deſereret. Claruit & Prophetiæ illuſtri ſpiritu, quo & ſuam & aliorum mortem diſertè prædixit. Sacrum aliquando facere differens, imminente jam prandii hora à ſuis monitus, nuncium ſe exſpectare, ſuper morte amiciſſimi cujusdam, reſpondit: adfuítque repentè, qui Meinwercum Paderbornenſem Epiſcopum è vivis exceſſiſſe nuntiavit, pro cujus piiſſimis manibus eaipſa hora ſacris operari non diſtulit. Mortuus denique eſt feliciſſimè eâ, quâ prædixerat die, Anno 1037. die 4. Maii, relatus etiam die 25. Martii in Sanctorum Faſtis, quem Eugenius Papa III. Catalogo SS. inſcripſit.

DIE

DIE XXVI. MARTII.

S. BRAULIUS EPISCOPUS CÆSARAUGUSTANUS,

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Magnus Rex Francorum.

Severianus Dux Carthaginenſis.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Theodoſia Uxor Leovigildi Regis Gothorum in Hiſpania.

S. BRAULIUS Epiſcopus Cæſarauguſtanus.

Childebertus Rex.

Ingunda, cujus maritus ——— S. Hermenegildus Martyr.

Theodobertus Rex.

Sigebertus Exul, Conditor Habſpurgicorum, ex communi opinione.

Acta Synoptica.

HIc è nobiliſſima Gothorum Regum proſapia oriundus, in Agalienſi Cœnobio Religionis, ſanctitatis, & eruditionis fundamenta poſuit. Magiſtrum mirificum S. Iſidorum, condiſcipulum S. Ildephonſum habuit. Cùm S. Iſidori Archidiaconum ageret, tam præclarè id munus adminiſtravit, ut dicatur B. Iſidorus nunquam revocaſſe aliquam Braulii ſententiam, cùm omnia quæ ageret, juſtiſſima ſciret eſſe ac æquiſſima. Epiſcopus poſtea Cæſarauguſtanus miraculo electus, cùm in pleno Patrum eligentium conſeſſu, repentè lapſus de cœlo globus igneus ſuper caput ejus deſedit, & vox inſuper cœleſtis audita eſt: *Hic eſt ſervus meus quem elegi, poſui ſuper eum Spiritum meum.* In confutandis hæreſibus potentiſſimus verbo extitit, cui, dum quandoque verba ad populum faceret, columba ſuper humerum inſidens, verba dictare viſa eſt. Reliquit multa ingenii monumenta, mortuúsque eſt Anno Chriſti 646. cùm paulò ante obitum cœleſtis apud decumbentem muſica, & hæc denique vox ab omnibus audiretur: *Surge & veni Amice mi*; quibus verbis reſpondens BRAULIUS: *Præſto ſum Domine*; ſanctam animam exſufflavit. Diem natalem ejus celebrat Eccleſia Cæſarauguſtana die 18. Martii. at Luitprandus ad 28. & Bucelinus ad 26. Martii referunt, quem hic ſequimur.

Tho. de Trugillo To. 2. Theſaur. Concionato.

Marietta. Maurolyc.

Marin. Sicul.

Quintanaduenn. ap. Bolland. ad 18. Mart.

Bucel. in Menol. ad 28. ejusdem.

DIE XXVII. MARTII.

S. RUPERTUS EPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorũm.

GENEALOGIA.

Andr. Brunner. in Faſtis. Bapt. Maſcul. in Encom. Matth. Rader. in Bavar. Sancta. Surius. Haræus Amandi Abb. in vita. Bolland. ad 27. Mart. Bucel. in Menol. MSS. Salisburg.

Regali proſapiâ Francorum generatum S. Rupertum, non tam vitæ ſcriptores, quàm ipſum nomen indicant. Faceſſant igitur, qui Hibernum fuiſſe aſſeverarunt recentiores nonnulli. Quo autem patre, quâ matre, quibus determinatè majoribus, id manſit in vetuſtatis oblivione. Sufficit intento, quòd ê Francorum Regibus à quibus, etiam Habſpurgici ſua trahunt initia, prodierit, magnus Auſtriacarum Provinciarum Apoſtolus.

Acta Synoptica.

INſultet Ariana perfidia, RUPERTUS ceu immobilis *rupes mole ſua ſtat.* Wormatienſi decoratus tiara, virtute illuſtrior quàm ſanguine (tametſi hunc quoque â Regibus illuſtriſſimum traxerat) diſplicuit impiis, quia placuit DEO. Unde Virgis cæſus per urbem exactus in exilium, inter rupes Norici reperit Domicilium, furori cedens non labori. Illic Regem primò Theodonem, tum Proceres, & vulgus reliquum magno numero luſtralibus undis admovit. Invenit inter feras Cœlites, cùm ei nocte obſcura miro ſplendore lucus illuxit: Sylva miro fragravit odore. Stant adhuc templa, quæ poſuit Juvaviæ, in quibus juvaret animas ad cœlum tendentes; ſtat erectum nobile Aſceterium ceu præſidium Chriſtianæ Religionis. Profectus ſubinde in patriam, novas auxiliares copias viros omnino duodecim adduxit, ſui (ne quid amplius dicam) ſimillimos. His adjuvantibus bellum ſacrum, totámque penè Boicam profligato idolorum cultu, Chriſto ſubegit, Styriam quoque & Carinthiam luſtrans. Excepit etiam Laureacum Laureatum ducem, qui dum ſigna Deorum frangeret, fractos morbis reſtituebat integritati: & dum redigeret ſimulacra in pulverem, vetabat mortales diſſolvi in cinerem. Obiit Anno 623. ut lapis ſepulchralis docet, ſcriptorum errores diluens. Parentarunt parenti ſuo Boii lacrymis, ſed Angeli feſtivo cantu, illi ſordidati, hi candidati, ut noſſes illos funeri corporis, hos animi triumpho adeſſe.

DIE XXVIII. MARTII.

S. GUNTHRAMNUS REX FRANCORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

S. GUNTHRAMNUS Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Mosellani, dein Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

MAgni Clotharii Magnus filius GUNTHRAMNUS in summo rerum culmine sic actiones suas ad legis divinæ præscriptum disposuit, ut perfectæ pietatis & justitiæ typum sanctissimis suis moribus subjecto sibi populo exhibuerit. Ingenti prorsus Zelo divini honoris fragrans, Ecclesias multas construxit, censúque & ornatu copioso ditavit. Dignitatis ac disciplinæ Ecclesiasticæ vindex acerrimus, pauperum amator munificus, thesauros ingentes in eorum solatium, & religionis augmentum profusos charitatis visceribus erogavit. Ad avertenda divinæ iræ flagella, jejunia, vigilias, rogationes indicebat; totus ipse pietatis officiis deditus, DEI iracundiam populi peccatis commotam mentis puræ famulatu non semel delinivit. Impetitus aliquando à sicario, dum ad altare devotè communicaturus oraret, divinitus servatus est illæsus. Cujus meritis hoc etiam divina bonitas addidit, ut gratiâ miraculorum clarescceret, dum attactu fimbriæ ipsius vestimenti puer à febre quartana sanatus est, ac per ejus nominis invocationem Diabolicæ præstigiæ solutæ sunt, larvæque fugatæ. Cùm igitur ad eam sanctitatem perveniisset, quæ illum DEO amabilem, mundo admirabilem reddebat, Religiosissimus Rex terrena fastidiens, cœlestiáque toto affectu anhelans, tandem carne solutus, sanctissimum spiritum, placido excessu cœlis transmisit. In Ecclesia S. Marcelli, quam in suburbio Cabilonensi sumptuoso opere construxerat, uti supremo edixerat voto, sepultus optatam supplicibus præstat opitulationem. Totidem ferè verbis Saussayus, alii copiosius ejus encomium prosequuntur. Annum obitus statui posse existimat Henschenius 593. & quinquagenario non multùm majorem decessisse, arbitratur.

Saussay. in Martyr. S. Gregor. Turon. in Histor. Franc. Fredegar. Scholast. Chron. S. Benigni. Bolland. in Actis ad hunc diem.

DIE XXIX. MARTII.

B. STEPHANUS PAPA IX.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. è Carolingis.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

|

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

|

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

|

B. Anſegiſus. Uxor S. Begga.

|

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Lotharius I. Imperator.

|

Ermingarda Uxor Rayneri Ducis Lotharingiæ.

Giſelbertus Dux Lotharingiæ.

Ricuinus Dux Lotharingiæ.

|

Gothofredus I. Barbatus Dux Lotharingiæ.

|

Gothofredus II. Dux Lotharingiæ.

|

Gothelo Dux Lotharingiæ.

|

Fridericus Dux, poſtea STEPHANUS Papa IX.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes Habſpurgici.

Nexus II. ex Habſpurgicis.

Luitfridus I. Comes Habſpurgicus, Luithardi & Berthæ Lotharingiæ filius.

|

Hugo Comes Habſpurgicus.

|

Agnes Uxor Gotofredi III. Ducis Lotharingiæ. cujus frater Fridericus Dux, poſtea dictus STEPHANUS PAPA IX. aliis X.

Acta

Acta Synoptica.

FRidericus Gotzelonis Lotharingiæ Ducis filius frater Gotofredi, cui ſupra avitæ ditionis opes, ducta in conjugem Mathilde, Hetruſci dominatus dotales tituli proventúsque acceſsêre, cùm & generis & eruditionis illuſtrique inſuper Sanctitatis famâ celebraretur, purpurâ & galero Cardinalitio à S. Leone Papa IX. donatus eſt. Byzantium deinde Legatus, ut Græcos à Latinis diſſidentes ſtabili concordia devinciret, eo munere inſigni cum prudentia & dexteritate functus, Romam rediit, ubi Leonem fatis conceſſiſſe intellexit. Tædio proinde ſæculi captus Caſinum ſeceſſit, honoris inſignia poſuit, Cœnobitis adſcriptus, à quibus biennio pòſt Abbatis munus communibus ſuffragiis ſuſcipere juſsus eſt. Confirmationem à Victore Papa II. petiturus, non ſolùm eam, ſed & præter votum iteratò galerum obtinuit: nec multò pòſt Victori defuncto invitus & reluctans ſucceſſit, cùm ex hoſpitio ad Baſilicam S. Petri vi adhibita pertraheretur, STEPHANUS IX. appellatus. Rem Chriſtianam mirè promovit, adjecto ad veteris diſciplinæ reſtaurationem animo, coërcendæ Clericorum licentiæ, & depravatis moribus corrigendis, multa piè ſapientérque inſtituit. Inſigni inſuper conſtantiâ Henricum IV. Imperatorem, Prælaturas & officia Eccleſiaſtica venali nundinatione diſtribuentem, cùm monitionibus nihil proficeret, à fidelium cœtu excluſit. Deceſſit immaturâ morte Anno Chriſti 1058. cùm decem non amplius menſes ſediſſet, multis à funere miraculis nobilitatus: tametſi de cultu ejus & veneratione publica non conſtet, Sanctum tamen appellant Caniſius, & Bucellinus.

Bucel. in Menol. Heuſchē. ad diem 29. Martii in prætermiſſ. Ferd. Ughel. in Ital. Sac. Leo Oſtiens. Panvin. Ciacon. Molan. in natal. SS. Belg. Caniſ. in Martyrol. Grever. in addit. ad Uſuaad.

DIE XXX. MARTII.

B. AMEDÆUS DUX SABAUDIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ab Auſtriacis.

Leopoldus I. Glorioſus Archidux Auſtriæ,
Alberti I. Imperatoris filius.

|

Agnes Uxor Boleslai Ducis Jaurenſis in Sileſia.

|

Anna Sileſia Uxor Caroli IV. Imperatoris.

|

Margareta Uxor Amadæi VI. Comitis Sabaudiæ.

|

Amedæus VII. Comes Sabaudiæ.

|

Amedæus VIII. Dux I. Sabaudiæ.

|

Ludovicus Dux II. Sabaudiæ.

|

B. AMEDÆUS Dux Sabaudiæ.

Nexus II. ab iiſdem.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Gutta Habſpurgica; Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ.

Eliſabetha Uxor Joannis Lucelburgici Regis.

|

Carolus IV. Lucelburgicus Imperator.

|

Margareta Uxor Amedæi VI. Comitis Sabaudiæ.

|

Amedæus VII. Comes Sabaudiæ.

|

Amedæus VIII. Dux I. Sabaudiæ.

|

Ludovicus Dux II. Sabaudiæ.

|

B. AMEDÆUS Dux Sabaudiæ.

Nexus III.

Ludovicus Dux II. Sabaudiæ Obiit An. 1462.

B. AMEDÆUS Dux Sabaudiæ.

Philippus Dux Sabaudiæ Obiit An. 1498.

|

Philibertus Pulcher Dux Sabaudiæ Ob. 1504. Vxor Margareta filia Maximiliani I. Imperatoris Auſtriaci.

Acta Synoptica.

NAtus eſt AMEDÆUS 1. Februarii 1435. & in ipſis cunis promiſſus Yolanthæ Caroli VII. Regis Galliarum filiæ, quæ illi adultiori conjuncta in dotem tulit Breſſienſe dominium, quod Anno 1457. ſolitis homagii ritibus gubernandum ſuſcepit, plurimùm delectatus ea regione, quòd ab Aulæ ſtrepitu remota, pacatius vitæ genus indulgeret. Coactus tamen, patre mortuo, cùm ei ſuccederet, arma ſubindè ſumere, quæ in tranſactionem facilis rurſum ponere conſuevit. Morbis exercita ejus patientia, cùm indies valetudo deficeret, conjugi Yolanthæ regimen commendavit, quæ Sapientiſſima mulier, præterquam quòd ſapientum virorum conſiliis uteretur, fratrem inſuper habuit contra quoslibet hoſtes juratum propugnatorem. Non potuit tamen omne periculum effugere, cùm AMEDÆI frater Philippus adſcitis ſibi primoribus, coacto exercitu in Sabaudiam infeſtus irrupit, & ſimulata pacis tractatione Ducem ipſum captivum in ſuam poteſtatem redegit. Elapſa interim inſidiis Duciſſa, fraterniſque adjuta viribus, bello finem fecit, pacémque extorſit, ſuo reddita marito, qui ægritudini levandæ auram mutans in Pedemontium tranſiit, ubi deficientibus demum viribus, magno cum ſubditorum ſuorum luctu, diem obiit Anno 1472. ætatis ſuæ 37. Fuit inſigni prorſus manſuetudine Princeps, ut qui fratrem ſibi injurium & hoſtem, cùm à Rege Galliæ Socero ſuo captivus detineretur, fraterno proſecutus amore non libertati ſolùm reſtituerit, ſed & beneficiis cumulaverit. Talis etſi eſſet erga hoſtes, erat nihilominus in regendis ſubditis, corrigendis publicis vitiis fortis ac magnanimus, conjungens cum perſona Principis affectum Patris, vitia caſtigare doctus, non homines. Pauperum tanta illi cura, ut penè una ejus occupatio videretur, egenorum miſereri. His ille epulo adhibitis inſervire, dapes ſibi paratas apponere, largâ eleemoſynâ donare; inter hos ſæpè medius incedere, neminem dedignari, quiritantes ſolari, & modis omnibus ſubvenire gaudebat. Cúmque liberalitatem Principis ceu prodigalitatem jactarent Conſiliarii, quererentúrque exhauriri ærarium, quo militaria ſtipendia exſolvenda, munitiones & caſtra conſervanda forent, reſpondere ſolebat: *Nullas ſe munitiones firmiores, nullos fortiores milites, nullos aulicos fideliores noſſe, quàm pauperes, quorum præſidio ſuas ditiones omnino tutas eſſe exiſtimaret.* Neque interim paſſus eſt ſuam liberalitatem etiam locis ſacris deeſſe, cùm Noſocomia, templa, religioſa domicilia paſſim erigeret. Moriturus, regimen & tutelam filiorum commendavit Yolanthæ conjugi, ac velut ſupremas teſtamenti tabulas illud monitum adjecit: *Facite judicium, & juſtitiam, & diligite pauperes, & Dominus dabit pacem in finibus veſtris.* Viſus ejus obitum prænuntiare Cometa, & circulus circa ſolem conſpectus miræ pulchritudinis, in quo ipſe Amedæus velut in throno ſedens, quò plus aſpiciebatur, eò amplius terræ propinquus apparebat: idque in ſolenni ſupplicatione, quam Taurinenſes pro ſalute Principis ſuſceperant, in quâ triginta millia candidatorum nudis pedibus incedentium numerata ſunt, uti Franciſcus Maletus vitæ author enarrat. Sed majora Beato ſuo poſt obitum reſervavit DEUS prodigia, dum ad ejus invocationem varia ſanitatum beneficia confert, herniоſis, febricitantibus, diarrhæticis, phreneticis, epilepticis ſubvenit: quin & gravidis mulieribus, pauperibus & moribundis opitulatur; ut meritò apud Sedem Apoſtolicam agatur de ejus Canonizatione, quæ luſè proſequuntur alii Authores.

Franc. Matel. de Virtut. & mirac. B. Amed.
Samuel. Guichenon. in vita.
Franc. Ranzo.
Card. Bellarm.
Stephan. Binett.
Camill. Balliani.
Franc. Codret. in pec. tract.
Henſch ad 30. Mart.

DIE XXXI. MARTII.

S. CHILDECHINDIS VIRGO M.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.
Uxor S. Radegundis.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Moſellani, Carolingi, & Habſpurgiei deſcendunt, ut ſæpè oſtenſum.

Chilpericus Rex Sueſſionum.
|
S. CHILDECHINDIS V.

Acta Synoptica.

CHilpericus Rex Sueſſionum cum fratribus Sigeberto, & Gunthramno pluribus annis decertavit, ſemper prælio inferior. Ex conjuge Audovera præter filios Theodobertum, Meroveum, & Clodoveum, omnes immaturè peremptos, etiam filiam ſuſcepit CHILDECHINDEM, quæ apud Cenomannenſes Monaſterium ingreſſa, novennium inter Moniales religioſiſſimè exegit. Demum juſſu impiæ pellicis Fredegundis (quam Chilpericus Uxori ſuperinduxerat) gladio cæſa, niveum Virginitatis candorem, ſplendorémque regium, ſpectatiore ſui ſanguinis purpurâ decoravit, Anno 583. Aimoinus unà cum matre Monaſterio incluſam fuiſſe narrat, dolo nimirum Fredegundis, quæ cùm naſceretur puella CHILDECHINDIS, Reginæ ancillam agens ſuaſit, ut è ſacro fonte ipſa mater puellam ſuſciperet, matrimonio obicem poſitura. Eâ quippe re cognitâ, Chilpericus Audoveram unà cum filiola in Monaſterium relegavit, & Fredegundem in thorum aſſumpſit, quæ poſtea eò furoris proceſſit, ut filiam interimeret. Natalem ejus Menologium Benedictinum reponit 30. Martii, nos una die ſubſequimur.

Bucel. in Menol. Aimoin. lib. 3. c. 6.

Finis Menſis Martii in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI SANCTI
Habſpurgo - Auſtriaci.
APRILIS.
Sive
ALBERTUS II. HONORIFICUS
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

PUlcherrima temporis portio Aprilis, anni *Corona* florida, emortuis ſtirpibus vitam reſtituit, gelatas redanimat. Fuerit olim ſub tutela Veneris; at hodie meliùs conſecratur ALBERTO II. Auſtriaco, qui exulem uno ſeculo Imperialem *Coronam* reduxit in ſuam *Domum*. A Nerone hunc menſem dictum etiam Neroneum conſtat, de cauſa non conſtat: niſi fortè, quòd ſicut in Aprili ſeſe tellus communis mater aperit ad fœtum, ità Nero viſcera ſuæ matris aperuerit ferro. Feliciùs ALBERTUS ſuæ familiæ iteratò aperuit aditum ad Imperium, non ferro, ſed virtute: cui proinde, uti olim, applaudimus.

Maſc. in Faſt.

Alex. ab Alex in Genial.

ALBERTUS II. HONORIFICUS,

Cæſar omnibus perfecti Principis ornamentis clarus,
E cœlo delapſus ad erigendam collapſam Religionem:
Sigismundi Cæſaris præſagio
Beatæ Reipublicæ Imperator.

Eryc. Puteau.

Ipſo nomine
Coronarum Trium Candidatus:
ALBERTUS anagramma TER ALBUS.

Jul. Soliman.

Uno eodémque anno
Rex Apoſtolicus, Bohemus, Imperator.

Cuſpin.

Habes aliquid Fortuna amplius?
Cumulus hic donorum ALBERTO eſt *Tumulus*.
Unius, Regni Dominus alia declinat.
Metuo inquiens, *majora meritis poſſidere,*
Fortè meæ ſaluti moram injectura.

Tho. Ebend. in Hiſt. Auſt. MS.

Imperium alii ambire ſolent,
Hunc obnitentem ambit Imperium.
At dum ſuo voto infringit

Subditorum Vota ac Principum;
Auget deſideria, multiplicat ſibi calculos.
Proritant ſcilicet ſui cupidinem, quæ difficiliùs obtinentur.
Non ægrè tuliſſe Fortunam ſe repudiatam
Argumento eſt, quia
Adjecit illi Victorias, erexit Trophæa:
Ut uno biennio
Rerum geſtarum magnitudine impleret
Non unum ſeculum.

Eryc. Putea. Inter hæc tamen ALBERTUS ſolutus in lacrymas
Melior Xerxes
Quid prodeſt homini (ajebat) *ſi univerſum mundum lucretur,*
Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?
Audiit hoc, non jam Fortuna, ſed
MARIA,
In cujus manibus *ſortes* ſuas repoſuerat.
Cellas igitur evocatum ALBERTUM
Cuſpin. in Alb. Abſolvit ab hac ſolicitudine,
Cellis reduci, & in Aſiæ Tyrannum animosè progreſſo,
Cælos aperuit *Janua cœli:*
Poſtquam illum inſtar Filii orare docuiſſet:
Domine ignoſce illis, qui in hac mea morte rei ſunt;
Et ego eiſdem ignoſco propter Te.
Ebend. & Cuſpin. Tam artificioſo Auſtriaci Oratoris exordio,
Quo Dei Filii mores expreſſit in ſuis,
Non potuit niſi optimus reſpondere vitæ Epilogus.
Vixit benè, qui tam benè *Dixit.*

Iterum Auſtria poſt ALBERTUM Principe ſuo orba, ſuo Cæſare Imperium: illa tutelam poſthumo Ladislao quærere, hoc novum ambire Atlantem debuit, qui pares humeros Orbi Germano ſubſterneret. Nec alius melior FRIDERICO viſus, qui tamen æquè ac ALBERTUS rogari debuit, cùm rogare neſciret. Nempe Auſtriaci virtute ſuâ jam ſui neceſſitatem fecerunt. Occubuit ALBERTUS in cauſa fidei, quidni ergo illi celebres hoc menſe Athletas fidei conſecremus?

CA-

CALENDIS APRILIS.

S. EBBA V. ABBATISSA COLUDIENSIS SEU COLDINGHEIMENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici rectâ lineâ.

Sigebertus Rex Auſtraſiorum, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Alla Rex Nordthanymbrorum.

Adilberta Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Acca Uxor Ethelfridi Regis Nordthanymbr.

S. Edwinus Rex. Uxor —— S. Ethelburga.

S. EBBA Abbatiſſa.

S. Oswius Rex. Uxor —— S. Eanfleda.

Egfridus Rex Anno 670.

S. Elfleda Virgo.

Oſtritha Uxor Ethelredi Regis Merciorum.

Acta Synoptica.

EBBA Oswaldi & Oswii Sanctorum Regum Soror, Ethelfridi glorioſiſſimi Regis filia, admirabili rerum caducarum, & Regni terreni contemptu inclyta, Aidanum Scotiæ Regem ad Regni ſocietatem & thori ambitioſe vocantem Chriſto Virginum ſponſo longè poſt habuit; ac Coludiano in Cœnobio humilis Domini ancilla latere maluit, quàm latè imperare. Proin ſacro velo à Lindisfarnenſi Antiſtite Finano amicta, tantis poſtea virtutibus exeelluit, ut eam Sanctiſſimi viri, & magnus præcipuè Guthbertus, impensè coluerint ac ſuſpexerint. Abbatiſſa deinde ejusdem Cœnobii electa, plurimis annis ſanctiſſimè præfuit, & alias inter ſanctas Virgines S. Etheldredam eduxavit ac inſtituit. Migravit ad Sponſum quarto ante obitum S. Cuthberti Epiſcopi anno, Chriſti nimirum 684. Natalem ejus referunt alii ad 24. vel 25. Auguſti, ſed cum alia hujus nominis ejusdem loci Abbatiſſa & Martyre confundunt, alii ad 29. Auguſti, ut Bucelinus.

Bucel. in Menol.

Bolland. To. 2. Feb. fol. 180. & 385.

Harpsfeld. ex Beda.

DIE II. APRILIS.

S. EMMA COMITISSA VIDUA.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Lotharius I. Imperator, filius
Ludovici Pii, nepos Caroli Magni.

|

Ermingardis Uxor Ragneri Magni Ducis Mosellani.

|

Ricuinus Mosellanus Dux Comes Arduennæ. — Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, à quo cæteri lineâ rectâ.

|

Godefridus I. Barbatus Dux Mosellanus.

|

Gerberga Uxor S. Mengosi Dynastæ Geldriæ.

|

Wichingus, aliis Imadus, Dynasta Geldriæ.

S. Meinwercus Episcopus Paderbornensis. — S. EMMA Uxor Luitgeri Comitis.

Acta Synoptica.

Adam Bremer. lib. 6. c. 60. ad ann. 1041.

Pagebroch. in Append. To. 2. April.

Arturus in Gynæceo.

HUjus sanctæ viduæ elogium paucis expressit Adamus Bremensis coævus scriptor: Nobilissima Senatrix EMMA Uxor quondam Luitgeri Comitis, & soror Meginwerki Episcopi Paderbornensis, sed vidua jam per annos quadraginta, ingentem thesaurum quem habuit, totum ferè pauperibus & Ecclesiis dispersit: cujus corpus requiescit in Bremensi Ecclesia, anima verò gaudet in cœlesti requie: quæ dum adhuc viveret, Bremensi Ecclesiæ multa bona contulit. &c. Manum ejus adhuc incorruptam, ceu signum liberalitatis in pauperes servari in Werthinensi Ecclesia, optimâ conjecturâ suspicatur Pagebrochius, cui adjecta legitur illa epigraphe: *XIII. Cal. Maij obitus* S. EMMÆ *ancillæ Christi.* Natalis proinde ejus ad 19. Aprilis spectaret, quem Arturus ad ipsas Calendas Aprilis reposuit.

DIE III. APRILIS.

S. HENRICUS ABUSINUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imp. cujus neptis Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, à quo cæteri rectâ lineâ ad hodiernos Austriacos.

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomañus Dux Bavariæ.

|

Arnulphus Imperator.

|

Arnulphus Rex Bavariæ, cogn. Malus.

|

Arnulphus II. Rex Bavariæ.

|

Bertholdus Comes Schyrensis.

|

Babo I. Comes Schyrensis.

|

Babo II. Comes Schyrensis.

Carolus Calvus Imperator, à quo post 6. gradus Itha Lotharingia Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, magna avia hodiernorum Archiducum.

S. HENRICUS Abusinus sive Schyrensis.

S. Leybrigus Abusinus sive Schyrensis.

Acta Synoptica.

HENRICUS è cæteris triginta duobus filiis Babonis unus, neglecto patrimonio, & aulicis illecebris, cultu peregrino pauper egénsque ritu S. Alexii ob spem immortalis vitæ terras obiit, sacras ædes, & religiosa & prodigiis inclyta templa lustravit; demum ad vicum Ebratshusanum haud procul Mainburgo reduxdivertit, ubi agnitus extremum vitæ diem sanctè concluſit. Addefuncti cineres sacra ædicula condita, ingens populi ad conditorium concursus factus. Ferunt etiam ab eo, priusquam peregrinus è patria excederet, patrimonii opes impensas condendo Walderbacensi Cœnobio. Diem natalem certum rescisscere non licuit; hoc interim loco reponendum putavimus. Annus obitûs designatur circiter 1060. Raderus bis de eo agit, Tomo 2. loco allegato, & To. 3. ubi ex Ratisbonensibus monumentis hæc profert; *Beatus Henricus Burggravius de Riedenburg, matrem Bertham habuit S. Leopoldi Austrii filiam, Ratisbonæ in Scotorum æde conditam. Alii stirpem ejus & majores ita recensent. Henricus Præfectus Urbis Ratisbonensis, & Landgravius de regio semine descendens, is filiam Adelheidem dedit in matrimonium Regi Hungariæ. Dictus Henricus habuit filium Ottonem, qui fuit Comes in Stepling, & Præfectus Urbis Ratisbonæ. Habuit hic Otto duos filios,*

Matth. Rader. Bavar. S. To. 2. fol. 103. Wolfg. Selender. Chron. S. Emerami. Hund. Stemmat. pag. 124. Aventin. lib. 7. Henning. P. 1. Germ. fol. 221. Monim. Ratisbon. Leonard. Crantz. in MSS.

filios, B. HENRICUM *& Fridericum.* Hac Ratione B. HENRICUS fuiſſet abnepos Babonis II. Schyrenſis, cujus tamen filius fuiſſe aſſeritur. Sed verior eſt ſuperior Geneſis, quia Otto iſte, cui ab aliis tribuitur B. HENRICUS, centum ferè annis poſterior fuit, ſi verum eſt quòd floruerit Anno 1060. B. HENRICUS. Movet tamen dubium Henninges, qui ab Ottone Burggravio non patre ſed avo B. HENRICI conditum affirmat Walderbacenſe Cœnobium Anno 1143. de quo ſi certò conſtaret, mallem poſteriori opinioni ſubſcribere. Sed propoſito meo utraque ſervit opinio, cùm ab eadem radice deducatur Geneſis B. HENRICI. Pergit verò Raderus cum Ratisbonenſibus MSS: HENRICUS *cùm abundaret omnibus divitiis, & delitiis, iis amore Chriſti ſpretis, voluit lubens peregrinari, & prolixioris Exilii incommoda ſuſtinere; & ideò manſit in peregrino habitu circiter 40. annos, & tandem venit in Ebroltzhauſen villam juxta Geiſenveldt Ratisbonenſis Diœceſis, ibique viſus & agnitus quievit in Domino. Sepelierunt eum viri timorati ejuſdem loci villani, ad cujus tumulum fabricatam eſſe capellam memoratur, fierique concurſus maximos populorum ob crebra miracula.*

DIE IV. APRILIS.

S. ISIDORUS EPISCOPUS HISPALENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo certâ serie Mosellani, Carolingi, & Habspurgici.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio per Sigebertum Exulem pronepotem deducit Habspurgicos.

Severianus Præfectus Carthaginensis.

Theodosia Uxor Leovigildi Regis Gothorum in Hispania.

S. ISIDORUS Epicopus.

Ingunda filia, cujus maritus —— S. Hermenigildus Martyr.

Acta Synoptica.

IN ore infantis ISIDORI, non secus ac Ambrosii, examen apum consedisse visum, mellifluam ejus portendit eloquentiam, quâ postmodum pavit fidelium gregem in Hispalensi Ecclesia, successor fratris S Leandri, cujus Magisterio formatus, priùs didicit calcare mundum, quàm præliari cum mundo. Arianæ hæreseos acerrimus insectator vitæ etiam periculum adiit, ni fervorem juvenis Senior Leander temperasset. Machometi serpens venenum primus ipse in Hispania extinguere aggressus, de patria plurimùm meruit. Conciliis ac Synodis Toletano præsertim ac Hispalensi non sine magna doctrinæ ac zeli laude summa cum authoritate præfuit, Monasteria & Scholas instituens, plurimos discipulos, & inter hos etiam S. Ildephonsum formavit, qui ejus celebrans eloquentiam, fassus sit: *Mirum est, quantum ponderis & authoritatis habuit in singulis rebus Isidori sententia, apud Papam & Prælatos. Tantæ autem jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi in stuporem verteret audientes.* Quanti ejus doctrina æstimata sit, Marianæ testimonium est, Bonifacio VIII. deliberante de iis, qui Doctorum Ecclesiæ nomine & numero essent honorandi, fuisse, qui Ambrosio Isidorum præferendum, aut certè quatuor aliis adjiciendum putarent. Unde Concilium Toletanum octavum hoc eum decoravit encomio, cùm appellaret *Doctorem egregium, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, in seculorum fine doctissimum, & cum reverentia nominandum.* De obitu ejus agens Lucas Tudensis, multa paucis complexus est: *Anno primo Regis Cinthilani* (qui fuit Christi 636.) *Doctor & Legumlator Hispaniarum* ISIDORUS, *stans in Ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo hactenus sibi traditum gregem commendans, felicissimo somno obdormivit in Domino. Decoratus quippe erat sanctitate, spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, in hospitalitate præcipuus, in prædicatione latus, in expositione scriptura-*

Lucas Tudens. Luc. Marin. Sicul. Vasæus Joan. Mariana. Sandoval. Bucel. Menol. Henschen. ad 4. April. Nicol. Anton. & alii.

pturarum cautus, in conſilio providus, in actu humilis, in menſa ſobrius, in oratione devotus, ſemper pro Eccleſiæ & veritatis defenſione mori paratus. &c. Præterea pater extitit Clericorum, Doctor & inſtaurator Monachorum, & Monialium, conſolatur morientium, tutamen pupillorum ac viduarum, attritor ſuperborum, perſecutor & malleus hæreticorum. &c.

Cæcos & mutos ſanatos, pluvias ejus ope cœlo obtentas, contra Saracenos Hiſpanias defenſas narrent alii: nobis ſufficiat inter Sanctos Hiſpaniæ ISIDORUM compellare Magnum.

Eâdem DIE IV. APRILIS.

B. ALEYDIS sive ALETHA MATER S. BERNARDI CLARÆVALLENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Juxta ea, quæ ad diem 7. Februarii, cùm de B. Nivardo ageremus, per conjecturam hic repetimus fragmentum Geneseos.

Bertholdus II. Comes Habspurgi & Zäringiæ Dux. Uxor Agnes filia Rudolphi Rhynfeldensis Imperatoris.

Theodoricus Dux Mosellanus. Uxor Bertha filia Henrici Ducis Bavariæ. Hennig. P. 1. Germ. f. 285.

Agnes Zäringica, Uxor Stephani Comitis Burgundiæ Vesontinæ.

Sophia Uxor Ludovici Comitis Monciones & Ferretæ, circa Annum 1080.

Ermentrudis Vesontina, cujus maritus —— Theodoricus Comes Moncionis & Barri.

Verosimile est ALEYDEM fuisse filiam Theodorici Comitis vel sororem, cùm tempus & nomen conveniant.

Acta Synoptica.

HEroina hæc, Heroum parens, genere & virtute verè nobilis, in statu conjugali ac medio seculi Religiosam vitam strenuè æmulata, victûs parcitate, vestium vilitate, deliciarum & pomparum contemptu, jejuniorum, vigiliarum, orationum assiduitate, cum Ascetis contendit, ita ut (sic loquitur author Vitæ S. Bernardi) quod minus assumptæ professionis habebat, eleemosynis & diversis operibus misericordiæ redimeret. Consueverat inter cætera virtutum insignia circuire domos, exquirere infirmos, pauperes, & egenos, eisque de suo proprio erogare, quod necessarium erat. Claudorum etiam & debilium maximam habebat curam, non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, & unicuique, quod opus erat, præbens, per Ecclesiarum Xenodochia devotissimè discretis infirmis ministrabat, ollas eorum extergens, cibos porrigens, *calices diluens, & alia cuncta faciens, quæ servis & ministris mos est, serviliter operari.* Filios quos genuerat, instruxit piissimè, multisque demum virtutibus & sanctis operibus gloriosa, die & horâ à se prædictis inter psallendum quievit in Domino, circa annum 1110. Visa non semel à filio Bernardo post obitum magnâ claritate & gloriâ circumdata, quem & in proposito confirmans, cum fratribus germanis relicto seculo vitam religiosam meditantibus: *Noli*, inquiebat, *timere fili Bernarde, sed viriliter age, & efficaciter comple, quod inchoas, quia opus Dei est. Ex hoc enim beatos vos dicent posteri: ego verò exspecto vos in gloria Dei.* quo dicto disparuit. Visa etiam B. Andreæ Bernardi germano serenâ facie subridens

Chrysost. Henriq. Chalemot. Bucelin. in Menol. Gonzal. de Sylva. Angel. Mariq. in Annal. Joan. Erem. in vita S. Bernardi.

ridens, propoſito filiorum gratulabunda, ut univerſorum Bernardi laborum, & fructuum copia, ad eam quoque referri debere videatur. Memoratur hac die cum titulo Beatæ à Chryſoſtomo Henriquez, Bucelino, Chalemoto, & aliis. Fuit primo Divione in Monaſterio S. Benigni ſepulta, inde Claramvallem translata Anno 1250. annis circiter 140. poſt obitum. De qua in libro ſepulchrorum Claræ vallis ita legitur: *Item ibidem jacet piæ recordationis Nobilis Domina, & Deo devotiſſima* ALEYDIS, *mater Doctoris egregii, & Paſtoris noſtri Bernardi, primi Clarevallenſis Abbatis.*

DIE

DIE V. APRILIS.

B. ANDREAS CISTERTIENSIS FRATER S. BERNARDI.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Hæc eadem est, quæ matris præcedenti die relata, & fratris Nivardi ad diem 7. Februarii exposita.

Acta Synoptica.

NObilissimis parentibus Tecelino patre, Aleyde matre genitus ANDREAS, adolescentiam literis, juventutem militiæ, virilem ætatem Religiosæ vitæ consecravit. Sagum togâ mutans, fraterno exemplo ad Cistercienses transiit, & ex nobilissimo Equite religiosi domicilii Janitor, ea in functione variis eluxit virtutibus, quem DEUS etiam in terris miraculorum gloriâ magis illustravit. Beati titulo donatus à Bucelino & Henriquez, inter pios recensetur à Saussayo.

Chrysost. Henriq. Angel. Manniq. in Annal. Cist. Bucelin. in Menol. Henschē. ad 5. April. in præterm.

Eâdem DIE V. APRILIS.

B. ALBERADIS COMITISSA DE URACH.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Egino Comes de Urach, Uxor Chunegundis Comitiſſa Zollerenſis.

Conradus Comes Habſpurgi, Dux Zäringiæ.

B. ALBERADIS Monialis Zwifaltenſis.

Egino Comes de Urach, cujus Uxor —— Juditha Habſpurgica Duciſſa, Zäringiæ.

Acta Synoptica.

Arnul. Zwifalt. Bucelin. Menol. ad diem 5. Apr. Henſché. ib. in præterm.

RArum modeſtiæ genus in fœmina, ſponte cedere dominio. ALBERADIS Eginonis Comitis de Urach, & Chunegundis Zolleranæ filia, Gebhardi Epiſcopi Argentinenſis ſoror germana, ex Abbatiſſa & Principe Lindovienſi humilis Converſa, ſervire pro Chriſto dulcius habuit, quàm imperare aliis & principari, exemplo ſuo plurimorum confundens ſuperbiam, & accendens ſtudia humilitatis, multò illuſtrior cœlo terríſque evaſit; poſt multa ſanctè geſta, ad præmium æternitatis evocata Anno 1140. & in Sacello S. Nicolai ſepulta. Beatam appellat Bucelinus, cui hic ſubſcribo.

DIE VI. APRILIS.

S. BALDRICUS EPISCOPUS ULTRAIECTINUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperat.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator.
Ermingarda Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Luitfridus Comes Habspurgicus, & cæteri recta serie.	Bertha Uxor Luthardi Comitis Cliviæ.	Ludovicus IV. Rex.
	Richfridus Comes Cliviæ.	Carolus Dux Lotharingiæ.
	S. BALDERICUS Episcopus Ultrajectinus.	Ermingardis Namurcensis.
		Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.
		Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, magna avia Austriacorum.

Henning. P. 1. Germ. f. 362.

Acta Synoptica.

DOctrina pietati conjuncta BALDRICI excelsum nobilitavit ingenium longè feliciùs, quàm ceræ majorum. Junior tractavit arma in bellicis expeditionibus, charus militi, formidatus hosti. Ob insignem verò prudentiam, & pietatem vocatus ad Infulam, omnes boni Pastoris implevit numeros. Trajectum à Nordtmannis vastatum magnificè restauravit, templum à S. Wilibrordo olim constructum & dirutum, ad pristinum decus erexit. In Italiam profectus, Ottonis Imperatoris favore, plures SS. reliquias obtinuit, quas Cathedrali Trajectensi, ceu patriæ, contrà hostes munimen, intulit, SS. videlicet Pontiani, Agnetis, & Benigni, qua de re extant illi versus antiqui.

Jo. Gualter. Chron. Chron. Eccles. f. 1534.

Theod. Rhay. in anim. illustr. Cliv.

Henschē. ad 6. April.

Bolland. ad 21. Januar. fol. 355. in §. Agnete.

Sammartha. apud. Henschen.

Præsul BALDRICUS *Trajectum magnificavit,*
Funditus à Danis eversum quod reparavit.
Nobilis atque Pius, & omni stemmate dignus,
Per quem venerunt huc Pontius, Agna, Benignus.

Obser-

Obſervat verò Molanus non videri veroſimile, Romanos totum S. Agnetis corpus auferri permiſiſſe, ſed partem ſolùm reliquiarum; Velut Aubertus Miræus ait, oſſa aliqua S. Agnetis. Invenit etiam idem BALDRICUS apud Trajectum corpora SS. Odgeri, Odulphi & aliorum, quibus populi pietatem accendit in Sanctorum venerationem. Id circa annum 968. factum, quo ex Italia redierat. Meritis demum & annis plenus, cùm ſanctiſſimè Eccleſiam adminiſtraſſet per quinquaginta & novem annos (niſi error ſit in numero) & inter alios, quos ad pietatem & in literis erudiit, diſcipulum formaſſet S. Brunonem, Ottonis II. Imperatoris fratrem, ex hac vita migravit Anno 977. die, ut putat Henſchenius, 8. Januarii; at Theodorus Rhay ad Sextum Aprilis natalem refert, & Sanctum appellat, uti & Gualterius, licet de cultu ſacro non conſtare aſſerat Henſchenius.

Eâdem DIE VI. APRILIS.

B. NOTGERUS BALBULUS ORD. S. BENEDICTI.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuiſſe illum ex Carolingis ortum habet vitæ ſcriptor, ubi ait: *A nobiliſſimis progenitoribus procreatus eſt. Nam de Carolorum genere & ſanguine, & Saxonum antiquorum erat parentum proſapia.* Quâ verò generationum ſerie à Carolingis proceſſerit, non liquet. Veroſimile eſt, per Imperatorem Arnulphum & Saxones Ottonum majores, prout in ejus nepotis vel pronepotis ad diem 28. Junii Geneſi deſignamus, proceſſiſſe. Nobis interim ſatis eſt, quòd in vita dicatur ortus à Carolingis.

Acta Synoptica.

ADoleſcens NOTGERUS magnis clarus natalibus Monaſterio S. Galli in Helvetia ſe incluſit, ubi magnos in ſcientiis progreſſus cum ſumma conjunxit virtute, & præſertim animi demiſſione. Ad ipſum aliquando Cæſar cùm inviſiſſet de rebus gravibus (ut ſolebat) collocuturus, ſolum in Choro Notgerum conſpicatus ejus ſacellanus, & indignum judicaret, quem tanti faceret Auguſtus, auſus etiam ridiculo compellare: *cùm tantus Theologus habearis, quid quæſo nunc temporis agat in cœlo Deus, edicito.* Promptè illicò oſtendit Notgerus: *Deponit ſuperbos, & exaltat humiles.* Expertus eſt mox utrumque ſacellanus. Nam ſigno profectionis dato, equum conſcenſum in oculis Imperatoris ſuperbè circumrotans, ulciſcente Numine dejicitur, & merito cruriſragio caſtigatur. Facti dein pœnitens, ab humili Notgero ſolo manûs attactu ſanatur. Cum dœmone illi frequens certamen, & victoria. Cùm de more noctibus ad aras calidis perfuſus lacrymis precaretur, malo genio canem mentiente, ac lugubres ejus queſtus imitante, cùm baculus ad manum non eſſet, ſurrexit, exſpectare juſſit. Ingerenti: *Exſpectabo ſi voluero*, repoſuit: *Spero autem in nomine Domini, quia volens nolens me exſpectabis.* Allatôque benè gravi ſcipione peſſimum canem benè multavit, donec in fruſta baculus diſſiliret, & Cerberus inter horrendos ululatus abſcederet. Horam aliquando Canonici Officii negotiis obrutus dicere oblitus, cùm poſt Completorium in Choro proſtratus privatis orationibus & gemitibus indulget, dœmonem videt in tabula graviore crepitu ungue quædam exarantem. Tum Sanctus: *Quid agis ſceleſte?* inquit. Cùmque is prætermiſſi officii partem notare ſe reſpondiſſet: NOTGERUS illicò inchoat: *Deus in adjutorium meum intende. &c.* & infernalis ſimius in furorem actus, ingenti cum tumultu tabulam adverſus orantem projecit, & evanuit. Sequentiæ in Miſſis, ut vocamus, poſt Graduale, NOTGERI inventum ſunt, quas inter celeberrima illa: *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ &c.* quam compoſitionem tanti feciſſe Innocentius Papa III. memoratur, ut vel ex eo NOTGERUM ſupra com-

Bucelin in Menolog. & in Conſtant. fol. 161. 163. & ſeq. Goldaſt. Jodocus Metzler. in vita. Papebroch. in Actis SS. ad 6. April. Eckhehard Dei. Sangallen. in vita.

communem ſortem è præcipuis Dei amicis fuiſſe colligeret, & ut ſingulare Spiritus ſancti organum commendaret. Ita quidem Bucelinus in Menologio, ſed in Conſtantia Rhenana hymnum hunc attribuit Carolo Craſſo Imperatori, aítque miſſum ab illo ad NOTGERUM. Vixit vir ſanctus ad decrepitam uſque ætatem, multis ante & poſt obitum clarus miraculis. Beati titulum à Leone Papa X. & Julio II. conſecutus eſt, & feſtivitas ejus Dominica III. poſt Paſcha apud Sangallenſes, inque locis iis ſubjectis celebratur. Diem depoſitionis alii aſſignant octavam, alii Sextam Aprilis, ſed priores errare oſtendit Papebrochius.

DIE VII. APRILIS.

B. EBERHARDUS NELLENBURGICUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imp. cujus neptis Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ Jurensis.

Gisela Uxor Henrici Rixosi Ducis Bavariæ.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitissa Namurcensis, cujus neptis Itha Radepotonis Comitis Habspurgici Uxor.

S. Henricus II. Imperator.

Gisela Uxor S. Stephani Regis Ungariæ.

S. Emericus Princeps Hungariæ.

Hedwigis Uxor Epponis Comitis seu Landgravii Nellenburgici.

B. EBERHARDUS Comes Nellenburgicus & Asceta.

Nexus II. ex mente Piespordii, & Hemingis.

Eberntrudis Habspurgica, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ Transjuranæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurensis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgundiæ.

Gisela Uxor Henrici Rixosi Ducis Bavar.

Gisela Uxor S. Stephani Regis Ungariæ.

Hedwigis Uxor Epponis Comitis Nellenburgici.

B. EBERHARDUS Com. Nellenburgicus.

Acta Synoptica.

Murer. Chartus. in Vita ex MSS. Bucel. Menol. Stumph. Chron. Helvet. l. 5. c. 17. Henschē. ad 7. April.

NUnquam meliùs in altum tendit magnus animus, quàm dum alta cœlorum appetit. EBERHARDUS magnis natus parentibus Eppone patre, Burchardo avo Veringensi & Nellenburgensi Comite, quem etiam Alemanniæ Ducem fuisse volunt, matre Hedwige filia S. Stephani Regis Ungariæ, sororo S. Emerici, ut vitæ Author ex vetustis Chartophylaciis à Murero erutus testatur, ad omnia summa propensus, illud laudatissimum habuit, quòd in omnibus ultimum finem vitæ beatitudinem respiceret. Adolescens à patre ut successor stirpis propagandæ delicatè nutritus, à matre cœlestibus curis destinatus, ita ab illo trahebatur ad secularia, uti ab hac ad divina, quæ ut filium benè genitum, meliùs regeneraret, nihil prætermisit, quod ad pietatem ejus stimulandam faceret. Accidit, ut Eppo conjugis Hedwigis libellum precatorium nactus in ignem conjiceret, cum libello extincturus pietatem uxoris, sed modestior flamma pepercit libello, & tacitè redarguit mariti insolentiam; filii in matrem observantiam auxit. Adultior morem gessit patri, ut thori sociam adsciscceret paris nobilitatis Virginem Itham è Ducibus Alemanniæ ortam, quacum suscepit liberos sibi & matri non planè dissimiles, Echardum Abbatem Augiæ divitis, Udonem Archiepiscopum Trevirensem, Burchardum spem successionis, & alios tres immaturè ereptos. Interea domesticis curis EBERHARDUS cum conjuge non dimisit animam excolere virtutibus, & ad cœlestia toto animo ferri. Opes insuper à DEO acceptas eidem referendas sapientissimè censuit. Quare de stirpis propagatore securus, matris Hedwigis exemplo, quæ Schwabenheimense Cœnobium condiderat, in eo & ipsa post mariti obitum velata, alterum ipse moliturus Romam & Compostellam peregrinus abiit, inde redux Schaffhusii celeberrimum Benedictinæ familiæ Monasterium sub Omnium SS. patrocinio fundavit, & reditibus locupletavit, eo prorsus loco, quo nauta quidam ignem ad cœlos usque conscendere, & in medio ejus Crucem Dominicam rutilare conspexerat. Iterùm Romam profectus, piæ liberalitatis confirmationem impetraturus, ex itinere cœcum illuminavit, & Burchardum filium, quem præmiserat, lethali morbo laborantem sanitati restituit. Demum reversus in patriam, pari consensu cum conjuge pio divortio se Monachis, conjugem Monialibus addixit, in sua quisque fundatione DEO reliquum vitæ transacturi. Vixit in Asceterio sex annis, & magnis locuples meritis Anno 1075. die 7. Aprilis in cœlum evolavit, etiam à morte illustratus miraculis, dum sepulchri ejus violator punitus, energumeni curati, muti loquelam receperunt.

Eâdem

Eâdem DIE VII. APRILIS.

B. ADALBERTUS ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Henricus I. Auceps Imperator, cujus Majores à Carolo Magno vide 5. Aug. in B. M. Gertrude Regina Bohemiæ.

Otto I. Imperator.

Gerberga Uxor Ludovici Transmarini Regis Francorum.

Luitbaldus Dux Sueviæ.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Otto Dux Sueviæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Henricus Dux Sueviæ.

Conradus Salicus Imp. cujus Uxor — Gisela Ducissa Sueviæ.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor S. Leopoldi Marchionis Austriæ.

B. M. Gertrudis Uxor Wladislai II. Regis Bohemiæ.

B. Conradus Archiepisc. Salisburgensis.

B. Agnes, & aliæ proles.

B. ADALBERTUS Archiepisc. Salisburgensis.

B. M. Margareta Monialis.

Acta Synoptica.

CUm Anno 1168. Conradus Salisburgensium laudatissimus Antistes S. Leopoldi filius decessisset, in ejus locum electus est ADALBERTUS ex sorore nepos, quem aliqui Strahovienſi in Cœnobio Pragæ Præmonstratensium institutum fuisse secutum; alii verò in eo Cœnobio Patris voluntate tantummodo educatum, quòd hunc filium sacerdotio & Ecclesiasticis honoribus admovere statuisset, scripserunt. Illud certum, cùm eligeretur in Præsulem Salisburgensem, fuisse Præpositum Melnicensem in Bohemia, qui Avunculi sui Conradi pressurus vestigia, pro Alexandro Pontifice adversus Fridericum Cæsarem insurrexit, multísque ob eam causam à Cæsare appetitus injuriis, insuper multatus exilio est. Eâ occasione, uti ex Aventino tradit Hundius, civitatem Hallensem exussit, & arcem Halmburg contra vim Imperatoris ædificavit. Duo interim ad Cathedram Salisburgensem fuerunt intrusi, qui ambo tandem, consentientibus Pontifice & Cæsare, locum iterum cesserunt ADALBERTO, qui tam laudabiliter suo functus est munere, ut Beati titulo ab antiquis scriptori-

Stero in Annal. Aventin. lib. 6. rer. Boicar. Hund. in Metrop. Pulkava. in hist. Boh. Hagec. in Annal. Weleslavin. in Genealog. Balbinus in Epitome rerum Bohemic. lib. 3. cap. 12. fol. 240.

ptoribus honoretur apud Balbinum, ubi & hæc leges: *Obiit* ADALBERTUS *Anno Christi* 1200. *Salisburgi in Ecclesia Cathedrali sepultus:* adde ex Hundio, *ad Altare S. Andreæ.* De eo hæc habet Doxanense Sacrarum Virginum Calendarium: *Die 7. Aprilis obiit sanctæ recordationis* ADALBERTUS *Episcopus Salisburgensis, filius Regis, & Congregationis nostræ Pater pius, qui dedit Ecclesiæ nostræ LXX. marcas puri argenti. Cappam pretiosam, & pallium auro textum.* Hoc ipso tempore pater ejus Wladislaus Rex, vitæ Regiæ & laborum pertæsus, exstructâ sibi in Cœnobio Strahovienſi cellulâ, summâ rerum Vogislao Comiti, dein filio Friderico permissâ, fastidia aulæ ponebat, & procul negotiis beatam vitam privatus agebat. A quâ tamen deinde coactus recedere, demum in exilio, cùm Cæsarem offensum haberet, contabuit Anno 1174. cœterùm piissimus Princeps, qui Cœnobia Strahovienſe, Doxanense, Plassense, Litomiss-lense, Teplicense condidit ac locuple-tavit.

DIE VIII. APRILIS.

S. EDUARDUS REX ANGLIÆ CONFESSOR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Juditha Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

Balduinus II. Calvus Comes Flandriæ.

Ludovicus Balbus Imp. à quo post 5. gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Habspurgici, & reliqui ad hodiernos.

Elfleda Uxor Edgari Pacifici Regis Angliæ.

S. Eduardus Rex Angliæ Martyr.

Ethelredis Rex Angliæ Obiit Anno 1015. Uxor I. Ethelgiva.

Arnulphus Magnus Comes Flandriæ, à quo cæteri usque ad Maximilianum I. Imp. apud Chiffletium, Marchantium, alios.

Uxor II. Emma, filia Richardi Ducis Nordtmanniæ.

Edmundus Rex Angl. Ferreum latus cogn.

Eduardus Rex Angliæ.

S. EDUARDUS Rex Angliæ, Confessor.

S. Eadgarus.

S. Margarita Regina Scotiæ.

Acta Synoptica.

Bruñer. infast.

Ingulph. Croyland. Orderic. Vitalis. Matth. Westmonaster. Huntindon. Chrysost. Henriq. ap. Gabr. Bucelin. Menol. ad diem 5. Jan.

Bolland. To. 1. Jan. ad eand. diem.

QUa phrasi loquaris, non interest; quo animo, multum. Damus igitur alieno calamo EDUARDI elogium. EDUARDUM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit; firmavit electionem cœlum, siquidem in Regem unctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porrò, ad quod invitum Regni proceres traxerunt, virginitatem copulavit pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum, filius dici potuit summi Pontificis: ita hunc semper coluit: tributa liberaliter remisit, postquam iis incumbere custodem Orci Cerberum vidit. Jam nec ad vilis mendiculi postulata erubuit, qui membris suis captus promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum rege uteretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad aram portavit, stipémque divitem sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ undâ manus Rex laverat, hâc oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti sacerdoti cùm adesset, conspicuus ei ab ara benè precatus est Christus. Quidvis amore D. Joannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus nihil visus est unquam negasse. Hanc ille Religionem præclarè obsignavit annulo suo, cùm

eum

Harpsfeld. Sec. 11. cap. 3. Florent. Wigornien. Guliel. Pictavien. Malmesbur. lib. 2. de geſtis Reg. Angl. Polydor. Virgil. lib. 8. hiſt. Angl. & alii.

eum ipſi Divo mendicabulum adſimilanti dono dedit. Hic annulum Regi remiſit, ſimul de mortis horâ commonuit, quem nuncium ille toto mox Regno vulgavit, quo preces undique piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis ſuis jam dives meritis, longum cœli iter ingreſſus eſt, Anno poſt Virginis partum 1066. & quia nullam corpus animo virgini in vita, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem aſperſit. Natalem ejus plerique referunt ad diem 5. Januarii, ut Bollandus, Brunner, Bucelinus, alii ad decimam nonam ejudem, Calendarium verò Carmelitarum ad diem 8. Aprilis, quæ cùm nobis aliàs vacaret, hic eum repoſuimus.

DIE IX. APRILIS.

S. WALDETRUDIS VIDUA SANCTIMONIALIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childericus Rex.
|
Clodoveus I. Rex Christianus.
|
Clotharius Magnus Rex.
|
Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Mosellani, dein Carolingi, & Habspurgici certâ serie.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
|
Walbertus I. Dux Franciæ.
|
Walbertus II. Hannoniæ, & Ardvennas Comes.
|
Walbertus III. Comes Hannoniæ.
|
S. Walbertus IV. Comes Hannoniæ, Uxor Berthilia Soror S. Radegundis.
|
S. WALDETRUDIS Uxor S. Vincentii Modelgarii.

Alium nexum vide in S. Aldegunde die 30. Januarii, sorore S. WALDETRUDIS, & alium in S. Landrico, die 17. Aprilis.

Acta Synoptica.

WALDETRUDIS parentibus Walberto & Bertilia potentissimis Hannoniæ Comitibus edita est, quibus hæres in Principatu successit. Ejus soror Aldegundis fuit Malbodiensis Cœnobii Abbatissa, ab insigni vitæ sanctitate & prodigiis celebris, cui Waldetrudis, etiam cùm in conjugio viveret, religiosis meritis non impar, agens in seculo velut extra seculum vixit; & Christi pauperibus fovendis, prædicatoribus alendis, templis ac Cœnobiis condendis, dotandis, atque ornandis, omnes facultates suas, seipsam denique impendit. Ut autem sanctis parentibus edita, sanctum etiam maritum meruit, sic rarâ beatitate liberis etiam felix, omnes egregiâ vitæ sanctitate celebres habuit, SS. scilicet Landricum Metensem Episcopum, S. Adeltrudem & Madelbertam, ambas Malbodii Abbatissas, & S. Endinum sive Dentlinum in pueritia defunctum. Cúmque B. Vincentius totus inhians cœlestibus, in Albo monte Monasticum habitum suscepisset, & emergens è sæculi fluctibus Monasterii portu receptus esset, conjunx ejus Waldetrudis, quæ in vota mariti consenserat, admonitione S. Gisleni, à B. Auberto Episcopo sacrum velamen impetravit, & constructo Castrilocensi Cœnobio, in eodem se condidit. Cùm autem ante conversionem secum luctaretur, apparuit deliberanti S. Gaugericus Episcopus in Basilica villæ Buxuti, visúsque calicem vino plenum ebibendum tradere, cum dicto-

Bucelin. in Menol.
Olbert. Abb. Gemblac. Chrō. Hannon.
Joannes Molanus in addit. ad Usuard.
Aubert. Miræ. in Fastis Belgic.
Franciſc. Rosierius.
Yepes.
Bucher.
Baron. in Annal.
Theod. Rhay. in Anim. Illustr. ad 9. April.

dicto: *Age quod agis.* Quam viſionem paſſim ipſa narravit, meditatúmque opus porrò non diſtulit, magno deinceps animo tolerans injurias, calumnias, & opprobria, quæ hanc ſtatûs mutationem, viſam filiis ſæculi in tanta Principe ſtultam & indignam, conſequebantur. Ejus exemplum imitata magna Illuſtrium puellarum & fœminarum multitudo, ita ut integras paulòpoſt cohortes Virginum ſponſo adduceret, quibus ipſa Præfecta, ardentiſſimi zeli facem prætulit. Montenſes & Herrentalenſes in hodiernam diem ipſam Principem Tutelarem ſuam agnoſcunt & venerantur. Obiit circa annum 690. die 9. Aprilis. Translatio ejus celebratur die 3. Februarii, & alia 12. Auguſti. Canonizatio verò die 2. Novembris. Reponitur etiam ejus feſtum à Molano & Caniſio ad diem 28. Martii.

DIE X. APRILIS.

S. GERTRUDIS NIVELLENSIS V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

B Pipinus de Landis Dux Brabantiæ.

S. Begga Uxor B. Ansegisi M. Ducis Brabantiæ. — S. GERTRUDIS V. Abbatissa Nivellensis.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici, ut sæpius ostensum.

Alios nexus vide in S. Gudula die 8. Januarii, in S. Emeberto 15. Januarii, in S. Begga 16. Januarii.

Andr. Brunner. in fastis.

Acta Synoptica.

Bucel. in Menol.

Notgerus.

Pipino Landensi patre nata GERTRUDIS Anno 631. morientem vidit Anno 646. ipsa tunc tredecennis, jam tum sanctè superba. Cùm enim juvenis è principe & ipse familiâ sponsam eam sibi à patre Pipino peteret, ipsúmque adeò Regem Dagobertum, qui tum fortè epulo hospes aderat, oratorem haberet, animosè contempsit supra ætatem herois, & jurejurando palàm affirmavit, nonnisi immortali sponso nupturam se, nec aliam dotem præter cœlum admissuram. In has deinde leges à morte Pipini patris Virginem Divus Amandus Episcopus Christo despondit. Mox cœli prodigia castissimam sponsam honorarunt. Nam precantem ignea & è cœlo delapsa Sphæra visa est coronare, & ejus ope servati nautæ à mortis periculo, quod immanis cetus jam jam minabatur. Sed vel nomen GERTRUDIS pro scuto fuit, mersitque subitò, quod navim jam mergere videbatur monstrum. Diem ultimum, quem quidem ut nuptialem Gertrudis amavit, Monachus illi prædixit Ultanus, commeatum è cœlo D. Patritium, & beatos Angelos spopondit. Virtutis odorem etiam à morte tumba, quam longè antè fieri ipsa mandaverat, suavissimum spiravit. Ipsa, ne vivere etiam mortuam dubitares, diversorum oculis se objecit cœlesti luce circumfusa. Visa etiam ignes grassantes à Monasterio suo velo avertere, quo impuras olim flammas suffocaverat. Tam facilè etiam indomitum Vulcanum est vincere illi, qui Venerem vicit. Ma-

Mauro-lyc.

Felicius.

Galesin.

Canisius.

Witfrid. in Martyrol.

Molan. in Natal.

Surius in vita.

Miræus in fastis Belg.

Gelen. in fastis. Colonienf.

Haræus in Vitis SS.

Henschē. ad 17. Martii. & ad 18. ejusd. in prætermiss.

tri ſuæ B. Idubergæ ſeu Itthæ Anno 658. defunctæ ſuperfuit GERTRUDIS uſque ad 664. quo ad Superos tranſiit, trigeſimo tertio ætatis anno, die 16. Cal. Aprilis, quo pleriſque Martyrologiis inſcripta eſt. Translatio celebratur die 10. Aprilis, quà nos eam referimus. Conſecratio celebratur Nivellæ die 2. Decemb. Elevatio corporis die 10. Februarii, transpoſitio in novum feretrum die 30. Maij.

DIE XI. APRILIS.

S. LEODEGARIUS HEDUORUM EPISCOPUS M.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis Opinio deducit Habspurgicos.

Chilpericus Rex Suessionum.

Clotharius II. Rex Francorum.

Dagobertus Magnus Rex.

Clodoveus II. Rex.

Theodoricus Rex. Uxor ——— Clothildis, quæ & Bathildis.

Blithildis Uxor Ansberti, Ducis Mosellani, à quo indubitata serie Carolingi, & ex his Habspurgici.

B. Sigrada Uxor N. — Pictonum Comes.

N. Soror S. Leodegarii, Uxor N. - - - -

S. LEODEGARIUS.

Acta Synoptica.

EDium Ebroini Majoris Domus Regiæ incurrit LEODEGARIUS, quia verum loqui didicerat, adeò veritas ab aulis exulat. Spontaneo se damnans exilio, cùm revocaretur ad aulam, & ad Cathedram Augustodunensem admoveretur, non desiit vera loqui: locum enim solum mutaverat, non mentem. Non ignarus insidiarum, quas potentia Ebroini instruebat, ultrò in hostem movit, ut nemo pulchriùs, cùm sacris è templo signis obvius processit ad supplicia, veluti ad supplicationes. Captus itaque, tunc demum Christianâ se libertate potitum credidit. Carcerum tenebris abditus igne de cœlo misso, resplenduit. Oculis orbatus, primus ipse Martyrem se esse vidit. Nudipes per testas & aspera saxorum fragmina jussus ambulare, currere etiam ad tam optatam metam gestiit. Labiis & linguâ multatus, sine labiis tamen & linguâ facundus ad concionem dixit. Cæsus denique securi in novos animos surrexit, horámque totam victor post mortem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus cecidit. Plus fuit stare mortuum, quàm stantem mori. At non tam felici morte cædis authores defuncti sunt. Nam & carnifex, qui ei caput præciderat, à malo genio correptus, in vindices flammas se ipsum immisit, mox ad ardentiores mittendus: & Ebroinus gladio, quem contra innocentem strinxerat, ipse nocens occubuit; & demum, qui tumulum Martyris impiè calcavit, Divum sine miraculis injuriosè compellans, in ipso vestigio moriendo mendacem se fassus est. Vitæ Author elogium ejus illis verbis complectitur: LEODEGARIUS *mente tranquillus, corde benignus, eloquio dulcis, prædicatione suavis, doctrinâ fidelis, humilitate sublimis, castitate perfectus, cunctis sanctitatis operibus decenter ornatus:* quæ vel ex unica ejus Epistola ad B. Matrem suam Sigradam post obitum fratris

Andr. Brunn. in Fastis. Bucelinus in Menol. ad 2. Octob. Molanus. Wion. Hugo Menardus ap. Henschen. ad diem 11. April. Ursinus in vita. Baron. in Annal. Baldric. in Chron. Camerac. Miræus in fastis Belg.

ſui Guayreni, poſtamiſſos oculos & inciſa labia ſcripta, ubi eam felicem prædicat, quòd filios ad cœlum præmittens, ipſa Deo ſerviat inter Virgines Deo ſacras. *O felix mors* (inquit) *quæ vitam tribuit; felix amiſſio rerum, quæ divitias reſtituet ſempiternas; felix triſtitia, quæ gaudium affert Angelorum. In præſentiarum probaſti, quantum clementiſſimus Dominus* JESUS *Chriſtus miſertus eſt tui, qui devotionem ſpiritualem & cuſtodiam ſanctæ diſciplinæ, & contemptum mundi tibi habere conceſſit, & pignora uteri tui de ærumna hujus ſeculi, & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ iis, quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo, de quibus non eſt habenda mœſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo &c. ſequentes itáque Dominum ejus præcedente miſericordia, intrepidi procedamus ad certamen. Fidelis enim eſt, dabit nobis victoriam, quia ipſe præliabitur pro nobis, & conteret Sathanam ſub pedibus noſtris. &c.*

Paſſus eſt Anno 685. die 2. Octob. Reliquiarum verò ejus translatio ad Bronum Monaſterium hac die 11. Aprilis memoratur à pluribus.

DIE XII. APRILIS.

S. ANTHUSA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Maria Uxor altera Leonis Iſauri Imperatoris.

Conſtantinus Copronymus Imperator Orientis.

S. ANTHUSA Virgo.

Carolus Martellus Rex.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

ANTHUSA nata patre impio Conſtantino Copronymo, matre pia Irene, quæ Chagani Avarorum Regis filia fuit, inſigni vitæ ſanctitate apud Græcos hoc elogium meruit: Memoria S. ANTHUSÆ filiæ prognatæ Conſtantini Imperatoris cognomento Copronymi. Sæpènumero hæc à patre urgebatur ad nuptias cum viro contrahendas, quas ſemper recuſavit. Poſtquam autem pater è vita diſceſſit, libertatem adepta quæcunque ſibi relicta ex hæreditate bona fuerant, ea omnia pauperibus & Eccleſiis, & ſacris ædibus impertivit, facta omnium pupillorum mater, viduarum & pupillorum propugnatrix. Multis ſæpè adhortationibus ab Irene Auguſta (non matre ſed affini etiam Irene dicta Leonis fratris ſui vidua) rogata & propè coacta, ut ſecum habitaret, unáque Imperium adminiſtraret, exorari nunquam potuit, nec precibus unquam ceſſit. Quamdiu autem in paterno palatio vixit, Regio quidem cultu extrinſecus ornata incedebat, intus autem cilicium geſtabat. Omnis autem victus ejus erat, ſicut illorum qui DEO in ſolitudine ſerviunt, & pro potu aquam bibebat. Natabant in oculis lacrymæ, & laudes hymnósque DEI lingua promebat. Tandem Monaſticam vitam amplexa, manibus S. Tharaſii Patriarchæ detonſa

MS. Synaxarium. Græc. Pariſien. apud Henſchen. ad 17. April. Menæa Græca. Baſilii Imp. Menol. Max. Citheræ. in vitis SS.

detonſa eſt in Monaſterio Eumeniæ. Ex eo tempore nunquam illa è Monaſterio pedem extulit, uti neque aliæ ex ſororibus faciunt. Nunquam ab Eccleſiaſticis muniis abfuit: corpore deficiens nullas unquam preces neglexit. Oculi ejus nunquam à lacrymis ſtillandis ceſſabant. Humilitas illius omnem ferè modum excedebat: Sororibus omnibus ſerviebat, Eccleſiam exornabat, aquam apportabat, menſæ adſtabat & inſerviebat. Cùm ergo hunc in modum omne vitæ ſuæ tempus peregiſſet, cum virtutis manipulis ad Dominum translata eſt, abſolutis vitæ annis duobus & quinquaginta. Hæc Synaxarium Græcum. At Menæa diſtichon habent alluſione facta ad nomen Anthuſa, quod Florida vel Florentia diceretur, idque ex Græco ſic transfertur:

Florere deſiit & terra & vita ANTHUSA,
Flos fœtidæ perquam ſuaveolens radicis.

Referunt ejus natalem Menæa ad diem 12. Aprilis. alia ad diem 21. ejusdem menſis. Synaxarium ad diem 18. Nos cum Menæis hac die.

DIE XIII. APRILIS.

S. HERMENEGILDUS REX MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici serie indubitata.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo Communis opinio deducere solet Habspurgicos Comites.

Leovigildus Rex Gothorum in Hispania. Uxor Theodosia Soror S. Leandri Episcopi.

Ingunda filia, cujus maritus — S. HERMENEGILDUS Rex M.

Acta Synoptica.

ALieno scriptum calamo Hermenigildi Elogium, non est alienum ab HERMENIGILDO; sed neque antiqua virtus novis indiget ornamentis. Nihil tam altè Fortuna constituit, quò non adrepant pessimorum Consulum nocentes cuniculi. Ubi fores omnes obsedit calumnia, perit innocentia pessimis oculis verberata. HERMENEGILDUM humani generis delicium, quem nemo odisse poterat serio, mulier odit, noverca persecuta est. O crudelem tum temporis Hispaniam, in quâ cum sole etiam Reges occiderunt, qui occisi! Tragœdia per fœminam data est: Goëzintha fuit. Hujus mendaciis victus HERMENEGILDUS, non convictus, spectaculũ miseræ innocentiæ præbuit. In unum hoc caput mundus & Orcus armabatur. Cinerem malè sopitum irata mulier pestifero halitu ventilabat. Ita fit; importunus furor præcipitare se manvult in negotia, quàm descendere: & amissum tempus illud credit, quo non nocet. Persuadet garrula hirundo credulo Regi, quia uxorio, HERMENIGILDUM solio patris insidiari, vitam licitari: perduellioni datur, non esse Arianum: satis esse læsæ Majestati debere, in Romam credere; ubi fides non esset, fidelitatem quoque non reperiri. Nihil mentiente fœmina crudelius, nihil sub sole frequentius. Ut ut quis Ulysses & vir sit, Sirenes patietur. Cùm fœminæ obturare os nesciant, viri aures discant, ne credant. Viperæ incantatores fugiunt, viri incantatrices viperas vitent. Actum de HERMENIGILDO est, patrem jam non habet, quia Novercam habet, Arianus non est. Ostendit quando tandem negare obedientiam parentibus etiam cœlo arridente liceat. Jubet parens sequi partes impii Arii, divinitate spoliantis genitum DEO: sed mavult HERMENIGILDUS spoliari insignibus regni, & minor videri parente suo, quàm pati, ut DEI Filius minor diceretur suo. Non vult esse parentis hæres, qui exhæredem facit prolem divinam. Ergo raptatur in carcerem, quem sibi in templum vertit, purpuram cum cilicio mutat, humanis rebus omnibus se abdicat. Rumpit Leovigildus naturæ vincula, cùm filium in carcere arctè ligat. Mittitur hæreticus Præsul ad vinctum, non ut solvat, sed magis constringat. Sed negat HERMENIGILDUS, fas sibi esse cum Ariano quidquam habe-

Adamus Widel. Andr. Brunner in Fastis. Jo. Bapt. Mascul. in Encom. ex S. Gregor. M. Dial. lib. 3. c. 31. Laurent. Sur. Franc. Haræus, in Vitis SS. Joan. Mariana lib. 5. de reg. Hisp. Wandelbert. in Martyrol. Metr. Naurolyc. Felicius. Galesin. Canis. alii.

re commune, ne carcerem quidem eodem titulo. Illo se genere natum, ut mori posset, facere nefariè non posset; vitio sibi verti id, ex quo reus gauderet: caput se patri & ensi inclinaturum, non animum sceleri. Si purpura Filii superbire gloriosum Patri videretur, ultrò se propinare quod sitiret: reciperet cruorem quem dedisset; se vel in vinculis memorem Catholicæ libertatis. Ea propter irâ succensus Leovigildus, fasces filio debitos solvit, ut securim expediat ad necem. Mittitur carnifex, qui Regio juveni caput tollit. Hæc Paschatis Feriis à malè feriatâ aulâ gesta sunt; quo tempore Agnus melior occidi non poterat sine macula, quia innocens, pridem copioso solatiorum pabulo ad victimam Martyrii saginatus. Luctûs minimum ea mors habuit, luctæ plurimum. Auditi ad sanctissimum corpus suavissimi cantus, fidem fecêre lætitiæ, quia pæana cecinêre, non næniam. Decebat scilicet tam præclaræ vitæ scenam, tantæ constantiæ Actum, non alio choro Musico, quàm cœlesti terminari. Lampades in carcere ardentes visæ, festivorum loco ignium erant, quos cœlum triumphanti Martyri accenderat. Ne mortis hic funalia quære, ubi nuptiales tædæ fulgurant. Ex obscuro carcere suo, toti Regno facem ad veram Christi fidem HERMENIGILDUS prætulit, ut solis occidens esset continuus Religionis Oriens. Ita noverca unica obstetricante odio plurimos Dei filios Hispaniæ peperit: & pietas quam decollasse, in HERMENIGILDO impia putavit hæresis, toto regno caput extulit.

Eâdem DIE XIII. APRILIS.

B. IDA COMITISSA BOLONIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.

Ludovicus II. Imperator. — Ermingardis Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Bosonis Regis Provinciæ. — Ricuinus Dux Lotharingiæ. — Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, à quo cæteri Comites.

Chunegundis, cujus maritus — Godefridus Ardennensis.

Godefridus II. Ardennensis cogn. Captivus.

Gothelo Magnus Dux Lotharingiæ.

Godefridus Barbatus Dux Lotharingiæ. Uxor Doda.

B. IDA Uxor Eustachii Comitis Bolonienſis.

Henschē. ad 13. April. f. 139.

Acta Synoptica.

Nutritum in Ida Cretico monte Jovem fabulæ narrent, in IDA Bolonienſi delectatum verum Numen veritas est. Ida viduarum idea, marito orba, cui tres filios Eustachium paternarum ditionum hæredem, Gulielmum dictum Bullionæum Regem Hierosolymorum, & Balduinum Edessæ dominum pepererat, bonorum operum, quæ in conjugio egerat, sectatrix assidua, uni deinceps Deo adhærere decrevit. Facultates igitur suas, condendis & dotandis Monasteriis impendit, quorum primum S. Vulmari Boloniæ intra muros, aliud deinde Capella dictum in honorem Virginis Deiparæ, & tertium Wastense. Claudus pauper, cùm ab ea eleemosynam perciperet, sanus & erectus ambulare illico cœpit. Puellæ surdæ & mutæ auditum & loquelam impetravit, quæ cùm oblita beneficii lubricâ vitæ licentiâ virginitatem prodegissent, & simul in priorem morbum incidissent, iterum, & tertiò IDÆ pre-

Wastens. Monach. in vita. Molan. in Natalib. SS. Miræ. in Fastis Belg. Ferrar. in Catal. general. Malbranus lib. 9. c. 35. Wilhelm. Tyr. lib. 9. Nussien. in Chron. magn. Belg. & alii.

precibus ſanitatem recepit. Extremo eóque diuturno tentata morbo cùm omnia priùs diviſiſſet pauperibus, divinis munita ſacramentis Dominica in Albis, quæ erat 13. Aprilis Anni 1113. obdormivit in Domino, in Waſtenſi Eccleſia tumulata. Corpus poſt longum tempus repertum eſt incorruptum, energumeni multi ad ejus tumulum à malignis ſpiritibus liberati, ſanctitatem ejus longè latéque divulgarunt. Plura Martyrologia eam donant Sanctæ titulo, alia Beatæ. Florarium hæc habet: *Depoſitio* S. IDÆ *viduæ Comitiſſæ Boloniæ, matris Godefridi & Balduini fratrum Bolonienſium, poſtea Regum Hieroſolymitarum, de ſtirpe Carolidarum.*

DIE XIV. APRILIS.

B. HADWIGIS MONIALIS MARENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.

Hunfridus Comes Habspurgicus.

Gunthramus I. Comes Habspurgicus.

Betzo Comes Habspurg.

Radepoto Comes Habsp. & reliqui serie nunquam interruptâ ad hodiernos Archiduces.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Reg. Burg.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor Friderici I. Ducis Sueviæ.

Fridericus II. Dux Sueviæ.

Margareta Uxor Arnoldi Comitis Cliviæ.

Hadwigis (aliàs Margareta) Uxor Hermanni Comitis Lidtbergensis.

S. Hildegundis Uxor Lotharii Comitis Arensis.

B. HADWIGIS V. Monialis Marensis.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgi, à quo rectâ lineâ virili hodierni Archiduces.

Alium nexum vide in S. Hildegunde die 6. Februarii.

Acta Synoptica.

Pet. Roſt. in vita B. Hildegun.

Joan. de Paige. in Biblioth. Præmonſt.

Ludolph. van. Craywinckhel. in Legenda SS.

Bolland. Henſchē. ad 14. April.

FUndato per B. Hildegundem Monaſterio Marenſi Ordinis Præmonſtratenſis, cui ipſa primùm ceu Prioriſſa præfuit, matrem ſecuta eſt filia, & calcato ſeculo divinis ſe totam obſequiis mancipavit. Matre verò bonorum operum mercedem receptura ad ſuperos evocata, filia HADWIGIS ſucceſſit in Regimine prima appellata Cœnobii Magiſtra. Quo in munere cùm ſanctæ vitæ exemplis concreditis ſibi ſororibus præluxiſſet, matrem ad cœleſtem patriam ſubſecuta eſt. Quot annis præfuerit, & quando objerit, ignoratur, quia turbo Proteſtantium priore ſeculo omnia ſacra profanans, quidquid à majoribus notatum fuit peſſundedit. Oſſa ejus prope ſummum altare aſſervata olim fuiſſe teſtatur Roſtius, qui Beatam appellat, quo etiam titulo ab aliis ſcriptoribus honoratur.

DIE XV. APRILIS.

S. SYMPERTUS EPISCOPUS AUGUSTANUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo indubitata serie Carolingi, & ex his Habspurgici.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Arnoaldus Dux Mosellanus.

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

S. Clodulphus Dux Mosellanus.

Martinus Dux Mosellanus.

Lambertus Dux Mosellanus.

S. SYMPERTUS Episcopus Augustanus.

B. Ansegisus Dux Mosellanus. Uxor S. Begga Brabanta.

Pipinus Heristalus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Symphoriana mater S. Symberti Episcopi.

S. Carolus Magnus, à quo Carolingi, & dein Habspurgici.

Acta Synoptica.

AD quem sanctitatis apicem destinaretur SYMPERTUS, matri ejus fœtu gravidæ ostendit DEUS. Sæpius enim per quietem sibi visa est parere sobolem humanâ specie augustiorem, cultu, gemmis, auróque radiantem. Adolescens in Cœnobium D. Pyrminii Murbacense concessit, literis pariter & virtutibus imbuendus, ubi inter doctos & sanctos viros, mox sanctior ipse tantum promovit, ut ætate, indole, doctrinâ, non pares tantùm, sed plerósque majores, virtute autem omnes superans, Cœnobii præses eligeretur. Inde avunculi authoritate extractus ad Nuenbergensem primùm, mox Augustanam Cathedram regendam admotus est. Verùm ille sic majores Insulas admisit, ut minorum curam non abjiceret. Pontifex factus, à Cœnobii legibus non discessit, simul Monachus & Episcopus, quæ duo munia tam inter se non pugnant, quàm Philosophi & Regis. Ità jam Antistes præscriptam à S. Benedicto vivendi normam coluit, & à carnibus, molliori plumâ, cœterisque vivendi commoditatibus sibi temperavit. Publicè verò primùm ad lapsam sacrorum hominum disciplinam, dein ad instaurandas ædes sacras animum adjecit, sanctæque Afræ Martyrion (sic veteres appellabant) ex cineribus in novam & augustiorem formam excitavit. Apud D. Virginis, ad juventutem bonis moribus & litetis excolendam scholas aperuit: & denique quidquid ad salutem gregis sui

Matth. Rader. Bav. S. To. 3.

Sigismund. in Chron. August. cap. 9.

Carol. Stengel. To. 2. de SS.

Gabr. Bucelin. ad 12. Octob.

Gualter. de Episc. fol. 941.

Henninges P. 1. Germ. fol. 65.

sui pertinere visum, ubique diligenter providit. Ædem ipsam magnæ Dei Matris in profesto S. Michaëlis sacris initiavit. Interim ad cœleste otium inter maxima Pontificatûs negotia suspirans, his ipse verbis ingemiscebat: *Frequentationis circuitio inter villas ideò nunquam fit à nobis, quia aliud impedimentum nostræ occupationis nos fatigat, dum inter curas Episcopatus, & Palatinas ordinationes nulla ad providendas possessiones nostras nobis licentia suppetit. Sed DEUS est testis, qui conscius est cordis, quòd in terrenis occupationibus non sponte, sed invitus hæreo, qui quandoque à tributis Cæsaris nos absolvat, quibus obnoxii sumus; ut securiùs qua Dei sunt quandoque nobis agere liceat.* Hanc illi Deus quietem, & quidem æternam indulsit, cùm è vinculis corporeis evocatum in beatorum sedibus collocavit Anno 816. vel ut alii 833. die, ut est apud Raderum, 12. Octob. sed Author Chronici Augustani ponit 17. Cal. Maii. Translatio facta est 28. Aprilis. Inter ducenta quadraginta ejus mira fertur hoc potissimum: Lupa fame stimulata puerum dentibus prensum in Sylvam auferebat; mater cùm nullâ ope humanâ posset proli succurrere, ad Symperti patrocinium confugit, qui mox à Deo obtinuit, ut lupa reversa prædam salvam & illæsam restituerit, mox iterum ad sylvas profugiens.

DIE XVI. APRILIS.

S. CONTARDUS MARCHIO PEREGRINUS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Azo VIII. Marchio Estensis, princeps factionis Guelphicæ, Obiit Anno 1212.

Aldobrandinus Marchio Estensis.	Azo IX. Marchio Estensis.	B. Beatrix Monialis Patavii.
Beatrix Uxor Andreæ II. Regis Ungariæ.	S. CONTARDUS Peregrinus.	B. Beatrix II. Monialis Ferrariæ.
S. Stephanus Posthumus, Uxor Thomasina Veneta.		Albertus I. Rom. Imperator Habspurgicus, filius Rudolphi I.
Andreas III. Rex Ungariæ.	Uxor ejus	Agnes Austriaca.

Acta Synoptica.

CONTARDUS ex illustrissima Estensium familia, licet ad summos honores, atque amplissimos gradus se natum agnosceret, humana tamen omnia, ut Christum lucrifaceret, abjecit. Quare paupertatem amplexus, emissóque voto, cum duobus sociis Compostellam versus peregrinationem instituit. Sed in eo itinere factum est, ut in oppido Brona Placentini Episcopatus, aliquantisper vires reficiendi gratiâ commoratus, vicinum collem ascenderet, cui deinceps nomen à S. CONTARDO mansit. Ejus amœnitate captus, tacitè à Deo contendit, ut si fortè in ea laboriosa peregrinatione moriturus esset extra patriam, in eo ipso loco moreretur. Sensit auditas esse preces è sensu doloris, quo repentè correptus, & à sociis in proximum hospitium delatus est. Ingravescente posteà morbo, & nulla propè spe relictâ evadendi, comites illi duo cœptum iter ipso auctore persecuti sunt. CONTARDUS aliquot diebus cum febri colluctatus admirabilem ostendit patientiam, licet ob doloris acerbitatem, cùm nullam quietem capere posset, in querulas subinde voces erumperet. Hospes incognitum ægrum exosus (nam genus suum prodi vetuerat) & ægrè ferens advenas ab hospitio absterreri, domo suâ eum exegit in quoddam vicini tugurium, ubi modica in palea cubans, incredibile est quanta pertulerit. Sed crescebat cum debilitate corporis animi fortitudo; dum piis precationibus, & divinorum contemplationi jugiter intentus, maximè verò acerbissimos Christi patientis dolores recolens, egregium sibi remedium ad mali vim, & contra doloris morsus comparabat. Denique satis probatus, tanquam aurum in fornace, obiit 16. Cal. Maij, Anno post Christum natum 1249. Corpus ejus ibi sepultum in æde S. Petri, quod multis deinde miraculis illustratum, post aliquot

Ciarlinus de Carpis in vita S. Contardi.

Petrus de Crosnis in eadem Vita.

Philipp. Ferrar. in Catal. SS.

Pet. Maria Campi hist. Placenti. lib. 18. ad an. 1249.

P. Gianoli Cappucc. in vita recent.

Papebroch. in Vita ad 16. April.

annos in honeſtiorem ejus Ædis locum translatum eſt, ubi quotannis extremo Sabbatho menſis Auguſti maximo populorum concurſu, & ſingulari pietate invisitur. Die natali ejus, ideſt 16. Aprilis Bronæ quotannis ex antiquiſſimo uſu fit benedictio panum ante Miſſam ſolennem, qui per Bronenſes familias diſtribuuntur, non ſine multiplici, & miraculoſo infirmorum ſolatio. Medetur autem hic Sanctus potiſſimùm Epilepticis, & cephaleâ laborantibus, uti in formula benedictionis panum exprimitur: *Benedicere ✠ ac ſanctificare ✠ digneris, uti qui ex eis comederint, vel guſtaverint, ab omni Epilepſia, cephalea, & totius corporis infirmitate, meritis & interceſſione ejusdem* B. CONTARDI *Confeſſoris tui plenam recipiant ſanitatem.* Plura de eò Authores varii in margine allegati.

Eâdem

Eâdem DIE XVI. APRILIS.

SS. QUINQUE FRATRES S. UDALBERTI, MM.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imp. à quo post 6. gradus Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, magna avia hodiernorum Archiducum.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.

Lotharius I. Imperator, à quo post duos gradus Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, qui fuit atavus Radepotonis.

Henricus I Auceps Imperator.

Hemma Uxor Boleslai Pii Ducis Bohemiæ.

Stazezyslava soror Boleslai Pii, Uxor Slavunici Comitis Libicensis.

S. SOBIEBOCUS Mart. | S. SPITIMIRUS M. | S. Adalbertus Episcopus Pragensis Martyr. | S. BOHUSLAUS M. | S. POREYUS. Martyr. | S. CZASLAUS M.

Acta Synoptica.

DEnsâ adhuc errorum caligine involuta fuit Bohemia, etiam sub Principibus Christianis; obstinatum hominum genus, & surda gens ad veritatem, cùm Adalbertum Pastorem suum audire abnueret, illéque sponte exul Romam abiisset, furorem in fratres ejus sive germanos, sive uterinos (ut eos vocat Balbinus) convertit. Libicense igitur oppidum arcémque, cùm nemo tale quidquam metueret, aggressi Ethnici, quinque fratres odio sanctissimæ religionis crudelissimè necant, & insepultos abjiciunt Anno 995. Tradunt verò Bohemiæ Annales (verbis utar Dubravii) Adelbertum cùm *fortè eo die, quo fratrum occisorum exequiæ in Bohemia celebrarentur, solenne sacrum Romæ, Pontifice Romano præsente faceret, séque, ut fieri solet, post calicis sublevationem ad silentium, vitâ functorum memoriæ dedicatum, tacitus componeret, amplius duas horas aræ affixum stetisse immotum, fuisséque ob eam insolentem moram à Pontifice correptum. Ad hæc illum respondisse, se interèa dum ad aram tam diu staret, in Bohemia exequiis fratrum suorum interfuisse. ac dum Romam ad rem divinam peragendam festinat, alteram è duabus chirothecam ibidem in Bohemia adferetrum reliquisse. Deliria illum fundere cæteris existimantibus, Pontifex, qui bona multa miráque prædicari*

Bohusl. Balbin. Epit. Bohemic. lib. 2. cap. 13.

Author. Vitæ S. Adalberti apud Henschen. To. 3. Mart. die 23.

Dubrav. hist. Boh. lib. 6.

Cosmas. in hist. Bohem.

de Adalberto inaudierat, istam rem inquisitam noluit omittere. Compertóque ita, ut narrabat illam se habere, chirothecámque relatam alteri, quam retinuerat, planè respondere, in admirationem versus, Adalbertum Cœnobio S. Alexii accuratè commendavit. Hæc ille. Porrò, ut ait Balbinus fratres hos *ob religionem Christianam necatos, veréque Martyres nemo unquam dubitavit.* Author nihilominus vitæ S. Adalberti causam illatæ iis violentiæ, & cædis quandam Principis offensam prætendit, & non pro fide sed pro vitæ suæ defensione mortuos innuit; cui fortè vera causa non constabat. Anno 1216. Andreas Pragensis Episcopus eorum corpora Libicio Pragam summâ veneratione, totiúsque Cleri ac populi supplicatione transtulit, atque in Cœnobio S. Georgii in arce Pragensi sito in ipsam mediam templi aram, velut Sanctorum Martyrum inclusit, quorum memoriam octo diebus ante S. Adalberti festum diem (16. Cal. Maij.) sacratæ Virgines S. Benedicti celebrant, atque ut perhibent, divino olim etiam officio de SS. Martyribus recitato honorabant, priusquam Romani Officii ritum recepissent. Passi sunt die 27. Septemb. pridie S. Wenceslai, ut habet author Vitæ S. Adalberti apud Henschenium, hac die verò videtur facta Translatio.

DIE XVII. APRILIS.

S. LANDRICUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Bertharius Rex Thuringiæ.

S. Radegundis Uxor Clotharii Magni Regis-Franco.	S. Berthilia Uxor Walberti IV. Comitis Hannoniæ.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici certâ & indubitatâ serie deducuntur.	S. Waldetrudis Uxor S. Vincentii Modelgarii Comitis.	S. Aldegundis.

S. Adeltrudis Abbatissa Malbodiensis.	S. Madalberta Abbatissa Malbod.	S. LANDRICUS Episcopus Metensis Abbas Sonegiensis.	S. Dentlinus sive Endinus.

Acta Synoptica.

RAra felicitas in una domo plures sancti. Patrem, matrem, materteram, avum, aviam, fratrem, sorores, omnes sanctis adnumeratos in sua recenset cognatione LANDRICUS; qui neglecto splendore natalium, contemptísque rebus terrenis, totus animum advertit divinis. Sacris initiatus sic gradatim virtutis iter acceleravit, ut ad Metensem Insulam evocari meruerit. Verùm contemptu glorioſiore florentissimi tunc Episcopatûs, aliam sibiipse deposcens aream, quâ non tam splendorem quærere comprobaretur, quàm laborem, incertæ potiùs sedis eligi Episcopus, & ad conversionem gentium ordinari præelegit: maximo quamprimum animo labores Apostolicos aggressus, sanguinem etiam, si ita visum Numini, ejus gloriæ profundere, séq; victimam immolare paratissimus. Rexit non multò pòst Sonegiense, quin & Altimontense Cœnobium à patre fundata, in quorum altero se recondens, multos illic DEI famulos congregavit, quibus Regularis ipse observantiæ exemplar fuit, & egregiâ vitæ sanctitate facem prætulit, & tandem ibidem sancto fine quievit. Ejus inter alia miranda, illud potissimùm memoratur. Cùm Advocatorum Cœnobii scelere bona seu reditus annui paulatim minuerentur, & libertas Religioſorum, avarâ illorum dominandi libidine opprimeretur, non paucis jam possessionibus, dolo aut vi adhibitâ sub titulo Advocatiæ & protectionis in secularium potestatem abreptis, prolato S. LANDRICI corpore, ejúsque imploratis suffragiis, coacti sunt prodigiosè sacrilegi invasores injustitiam su-

Gabr. Bucelin. in Menolog.
Molan. in addit. ad Usuard.
Arnold. Wion, in ligno vitæ.
Sausay. in Martyr. Gallica.
Ghinius in Natal. SS.
Willot. Myræus in Fastis Belg.
Herib. Rosweyd. in legend. Belg.
Henschē. in vita ex MSS. ad 17. Apr.

am agnoſcere, prodere, ſatisfacere, ſanctéque inſtituta, & Deo conſecrata religioſiùs deinceps revereri. Fuerunt, qui abreptam Monaſterio annonam abſumpſerant, & invocato à Monachis S. LANDRICO divinitùs illicò puniti, ut nonnulli comeſta violenter evomerent, non tantùm homines, ſed & eorum jumenta; alii in inſaniam abriperentur, alii maturè agnitâ Sancti virtute, palàm errorem ſuum deteſtarentur. Obiit vir ſanctus poſt annum 680. cujus natalem hac die ſic refert Florarium: *Natale* S. LANDRICI *Epiſcopi & Confeſſoris de ſtirpe Karolidarum: extitit enim filius B. Vincentii Comitis Hannoniæ, & S. Waldetrudis conjugis ejus.*

Florar. MS. ap. Henſchen. cit.

DIE

DIE XVIII. APRILIS.

S. AGIA ſive AYA COMITISSA HANNONIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

- Meroveus Rex Francorum.
  - Childericus Rex Francorum.
    - Clodoveus primus Chriſtianus Rex Francorum.
      - Clotharius Magnus Rex Francorum.
        - Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
        - Blithildis Uxor Ansberti Ducis, à quo Moſellani, Carolingi, & Habſpurgici indubitatâ lineâ.
- Albericus Dux Franciæ Orientalis, ſive Franconiæ.
  - Walbertus I. ſive Vaubertus Ardvennæ & Hannoniæ Comes.
    - Walbertus II. Hannoniæ Comes.
      - Walbertus III. Hannoniæ Comes. Uxor Gertrudis, filia Caroli Tongrorum Ducis.
        - B. Walbertus IV. Comes Hannoniæ, Uxor S. Berthilia.
        - Brunulphus Comes Hannoniæ.
          - S. Aldegundis V.
          - S. Waldetrudis vidua Abbatiſſa.
          - S. AGIA vel AYA, Comitiſſa.
          - Clothildis Uxor Sigulphi Templatenſis.
            - Sichildis Uxor Clotharii II. Regis.
            - Gometrudis Uxor Dagoberti Magni Regis.

Alios nexus vide in ſuperiorbus S. Waldetrude, S. Adelgunde, S. Berthilia, & aliis.

Acta Synoptica.

EXuit AGIA ſeu AYA Brunulphi Hannoniæ Comitis potentiſſimi filia, neptis ex fratre Walberti IV. deſponſata Hidulpho Lobienſium Duci, Sanctiſſimo & opulentiſſimo Principi, cujus permiſſu Caſtrilocenſe Virginum Cœnobium, quod S. Waldetrudis cognata erexerat, ingreſſa, abdicatis ſeculi pompis Monaſticen amplexa eſt, & ex Principe humilis facta Chriſti ancillula, tantis paulò pòſt ad perfectionem progreſſibus ſublimiter evecta eſt, ut etiam miraculorum gloriâ clareſceret. Felicitate inſuper ſingulari à DEO donata, quòd Virgo conjunx conjugem parem genere & virtute induxerit ad ſeculi contemptum, qui Lobienſe Cœnobium condens ei ſeipſum incluſit, factúſque Abbas

Henſchē. in vita ad 18. April.

Bucelin. in Menolog.

Joan. Molan in addit. ad Uſuard. & Indic. SS. Belg.

Arnold. Wion. in Martyrol. Mon.

Rayſſius in Hierogazophylacio Roman.

Choquet. in vita.

Philipp. Harueng. in Vita.

bas inſigni emicuit ſanctitate. Claruit uterque circa annum 618. poſt obitum multis prodigiis memorabilis; inter quæ & illud refertur, quòd cùm hæreditatem ejus, quam Eccleſiæ S. Waldetrudis totam reliquerat, Proceres quidam jure propinquitatis repeterent, Montenſibus in preces effuſis è tumulo diſertis verbis reſponderit: *Quæ dixiſſet rata ſe habere.* Eo prodigio abſterriti propinqui, rata ipſi quoque agnoverunt, & à ſacrilegio manus abſtinuerunt. Hinc S. AGIA Patrona facta eſt litigantium, quorum juſta cauſa ſub forenſium contentionum ancipiti, & diuturna ſæpè diſcuſſione periclitatur. Et ſentiunt hodieque hoc auxilium plures, ut ex fide dignis atteſtationibus teſtatur Henſchenius.

DIE

DIE XIX. APRILIS.

S. LEO PAPA IX. EX COMITIBUS DACHSBERGENSIBUS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Theodorici Piespordii.

Luitfridus I. Comes Habspurgicus.

Hugo Habspurgicus, Comes in Egesheim & Dachsperg.
|
Hugo II. Comes Egesheimensis, & Dachspergensis.
|
Ulricus Comes Egesheimensis, & Dachspergensis.
|
S. Bruno Comes Dachspergensis, ex Episcopo Tullensi summus Pontifex LEO PAPA IX.

Hunifridus Comes Habspurgicus, à quo cæteri usque ad hodiernos Habspurgicos.
|
Guntramus II. Comes Habspurgicus.

Nexus II. ad mentem Henschenii, & Vignerii apud hunc.

Hugo I. de Dachsperg & Egisheim, Habspurgicus.

Guntramus Comes de Habspurg.
|
Betzo Comes Habspurgicus.
|
Rapatho Comes Habspurgicus. Uxor Itha Lotharingica.

Hugo II. Comes de Dachsperg & Egesheim.
|
Hugo III. Comes de Dachsperg. Uxor Heilwidis.
|
Bruno Comes de Dachsperg, dictus S. LEO PAPA IX. Consobrinus Conradi Salici Imp.

Eberhardus Comes de Dachsperg.
|
Adeleidis Uxor Henrici Ducis (quem Wippo Chunonem appellat) Henningi erit Hermannus.
|
Conradus II. Salicus Imperator.

Acta Synoptica.

SAnta sunt, quæ sanctissimus hic Pontifex gessit, ut laborent in cassum ingenia, quæ velint omnia etiam summariè complecti. In pueritia pestilenti laborans ulcere prodigiosè curatus, sub disciplina Bertholdi Tullensis Episcopi cum Adelberone Theodorici Ducis Mosellani filio, & altero Adalberone Henrici Hezelonis Ducis Bavariæ fratre, utroque postea Metensium Episcopo, literis & bonis moribus formatus adolevit, ut postmodum Tullensi Cathedrâ dignus haberetur, ac demum Henrici III. Imperatoris operâ ad summi Pontificatûs apicem evaderet. Sed quo erat Ecclesiasticæ libertatis tuendæ zelo, oblatum ab imperatore Pontificatum resignavit, liberâ Clero Romano facultate relictâ novæ electionis, quæ nullas passa est remoras, cùm voxè cœlo delapsa non alium quàm Brunonem ei muneri aptum designaret: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis Deus.* Acclamatus er-

Wibert. Tullens. Archidiac. in vita. Jacob. Sirmondus. Desiderius Abbas. Ferd. Ughell. To. 8. Ital. Sacr. Cusin. lib. 3. Dial.

S. Bruno, Epiſc. Signien. in vita.

Anſelm. Rhemens. in Itinerario.

Ghivius. in natal. SS.

Wion.

Dargon.

Menardus.

Bucelin. in Menolog. &c.

ergo omnium conſenſu legitimus Pontifex, tria primo ſtatim anno Concilia coegit, Papiæ, Rhemis, Moguntiæ maximâ cùm Eccleſiæ tum regnorum utilitate. Altero anno duo Romæ, & tertium in Hiſpania haberi voluit. De Venetis æternùm meritus, Patriarchatum Gradenſem ſummo cum ſplendore ejus Rei publicæ Venetias tranſtulit. Henricum Imperatorem & Andream Hungariæ Regem graviſſimè diſſidentes ut conciliaret, ipſe in Germaniam iter ſuſcepit, in quo nunquam otioſus, quaqua tranſibat, Eccleſiarum conſecrationi, morum reformationi, & pacis ſtudio indefeſſam impendit operam. Gloriatur ejus tranſitu etiam Styria, ubi inter Leobienſem civitatem, & Göſſenſe Monialium Cœnobium Eccleſiola etiamnum viſitur ab hoc ſancto Pontifice dedicata. De ejus vitæ ratione Romæ peracta hæc Leo Oſtienſis: *Hic ſanctus Pontifex inter innumera ſuæ bonitatis inſignia, quamdiu Romæ moratus eſt, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranenſi Eccleſia uſque ad S. Petrum privato habitu, nudiſque pedibus cum duobus aut tribus Clericis noctu pſallendo & orando pergebat. &c.* Deſiderius Abbas Caſinenſis, dein Cardinalis, & demum ſummus Pontifex ipſi familiaris, brevi, ſed nervoſo eum delineavit elogio: LEO *vir per omnia Apoſtolicus, Regali genere ortus, ſapientiâ præditus, religione conſpicuus, omnique Eccleſiaſticâ doctrinâ apprimè eruditus, ac qui (quemadmodum ſcriptum eſt) cœpit invocare nomen Domini, quemque etiam vidi, ejúsque familiaritatem habere merui; ſæpè etiam eo in Eccleſia Miſſas celebrante, cum illo ad divinum altare ſacris indutus veſtibus ſteti, ejúsque Evangelium legi: à quo omnia Eccleſiaſtica ſtudia renovata ac reſtaurata, novâque lux mundo viſa eſt exoriri. Hic ſæpè ſacerdotale Concilium advocans, Sacerdotes, Diaconos, & reliquos Clericos, non regulariter ordinatos removit, & in eorum locis, ad veri & ſummi Dei cultum, qui dignè miniſtrare poſſent, conſtituit. Quotidie quoque per ſe ſuósque diſcipulos ubique miſſos, populis viam Domini, literis & verbis prædicans oſtendebat; qui per Apoſtolicam viam ſemper gradiens, Apoſtolicos etiam viros in miraculis eſt imitatus.* Beneventi in morbum lapſus, diem Anniverſarium ſuæ conſecrationis de more celebrare voluit, inde Romam delatus revelatione divina didicit inſtare diem obitûs, nec moriturum niſi in loco vicino B. Petri oratorio. Quare ad D. Petrum ſe deferri juſſit, ubi oratione peractâ in proximam Epiſcopi domum delatus ab omni genere fidelium viſitatus, ſanctis ſacramentis munitus, cùm exſpiraturum putantes, animæ commendationem vellent decurrere, monuit ut abſtinerent, & diem ſequentem ad horam tertiam præſtolarentur. Dictâ igitur horâ cùm rurſus convenîſſent, circa nonam reſolutum carne ſpiritum Deo transmiſit Anno 1054. die 19. Aprilis. vel ut Ciaconius habet 16. Aprilis, Sedit annos 5. menſes 2. dies 8. vixit annos quinquaginta unum, menſes undecim. Ferunt campanam S. Petri ſponte nullo movente inſonuiſſe, & viſam Tuderti animam ejus inter Lampades ab Angelis ad cœlum deferri. Diebus ſequentibus illicò multis cœpit clarere miraculis, quorum ingentem catalogum conſcripſerunt varii ejus temporis Authores. Cultus ejus ſacer ſtatim ab obitu cœpit tam Romæ, quàm Beneventi, ubi etiam Eccleſia

cleſia ejus nomine conſtrui cœpit, & annuè dies natalis celebrari. Monachum fuiſſe Benedictinum ante Epiſcopatum ſcribunt Wion, Darganus, Bucelinus, quibus etiam ego ſubſcribo; licet ex authore vitæ Wiberto ejus domeſtico nihil ſimile colligi poſſit. Nam, ut ille inquit, cùm juvenis, ſub cura Epiſcopi Bertholdi, & ejus ſucceſſoris literas didiciſſet, ad aulam Conradi Imperatoris conſobrini ſui tranſiit, militem in Italiam duxit, & abſens renuntiatus eſt Epiſcopus Tullenſis.

DIE XX. APRILIS.

B. M. CHUNEGUNDIS AUSTRIACA, DUCISSA BAVARIÆ.

GENEALOGIA.

Erneſtus Ferreus Archidux Auſtriæ.

|

Fridericus III. (aliàs IV.) Auſtriacus Imperator.

|

B. M. CHUNEGUNDIS Archidux, nupta Alberto Duci Bavariæ.

Acta Synoptica.

Matth. Rader. To. 2. Bavar. S.

Fugger. in ſpec. honor.

Gans. in Gynæc.

Cuſpin. in Auſtr.

Adelzreit. Annal. lib. 10. P. 2.

FÆcunda heroum parens Auſtria ſæpius, ſuo ſanguine rigat ſtirpem Boicam ne exareſcat. Poſt Catharinam Rudolphi I. filiam Ottoni Duci nuptam, CHUNEGUNDIS Friderici III. Pacifici ex Eleonora Luſitana progenita, ambitur, & rapitur, invito patre, ſed arcano divinæ providentiæ conſilio, ne fortè in barbari manus veniret. Promiſſam fuiſſe Machometi Orientis Tyranno cum ſpe gentis Ottomanicæ ad fidem Chriſti inducendæ, notavit Cuſpinianus, qui & patrem CHUNEGUNDIS, & ipſam noverat CHUNEGUNDEM, conſcius arcanorum Auſtriacæ gentis, licèt ei fidem abrogare contendat Raderus eo argumento, quòd mortuo Machomete Anno 1481. ſolos undecim annos habuerit CHUNEGUNDIS. Verùm ſi non eſt error in numeris, fallitur in hoc Raderus, cùm Geneſis Auſtriaca CHUNEGUNDEM Anno 1465. natam habeat, ac proinde potuiſſet Anno 1480. promitti Machometi, cùm eſſet jam tunc annorum quindecim. Sed nondum venerat tempus, quo Fides Chriſtiana in Oriente reviviſceret, nec voluit DEUS tam pretioſam gemmam Auſtriacæ Domûs projici ante immunda animalia. Placuit illa Alberto Sapienti, cùm Sigismundum Archiducem Oeniponte (ubi tunc CHUNEGUNDIS verſabatur) ſæpius inviſeret, nec Sigismundo ea diſplicuit affinitas. Egit tunc amor Poëtam, cùm fruſtra ageret Oratorem: finguntur literæ quaſi Friderici Cæſaris patris aſſenſum præbentis filiæ ad nuptias; accurrit Albertus, & ipſis Calendis Januarii ſolenni ritu CHUNEGUNDEM ducit, & abducit, Virginem formâ tam rarâ, ut facilè ævi ſui formas omnes veluti minora ſidera ſol novus extingueret. Ex hoc connubio nati Alberto filii tres, filiæ quinque, omnes fortunatæ proles, unus Boiorum Princeps, unus Epiſcopus, tres filiæ Electorum Imperii conthorales. Marito defuncto CHUNEGUNDIS, juſta perſolvit trigeſimo die, & mox ne quidem reverſa ampliùs ad aulam, ex æde ſacra ubi parentaverat, rectâ ad religioſum Virginum ſacrarum contubernium ſe contulit, ibique omnibus Palatinis & pediſſequarum officiis dimiſſis, inter religioſas Virgines annos

am-

amplius duodecim religioſiſſimè tranſegit, & demum anno 1520. laborum in cœlo præmium receptura, Deo animam reddidit. Ajunt illâ ipsâ horâ cœleſte ſidus ſupra tectum Cœnobii apparuiſſe, prodigium haud dubium, CHUNEGUNDI ad ſedes Beatorum tendenti Dux & Comes datum. Vita ſanè ſanctè tranſacta de hoc dubitare non ſinit. Neminem feriâ ſextâ qualibet ad meridiem uſque admittebat, contemplationi Paſſionis Dominicæ intenta. Cultu victúque ſimplici utebatur, modeſtia ſingulari. Illatum eſt funus habitu Religioſarum Virginum in ædem ſacram D. Virginis Monachii, & in Principum Mauſoleo locatum.

DIE XXI. APRILIS.

S. WOLBODO EPISCOPUS LEODIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Lotharius I. Imperator.

Ludovicus Transmarinus Rex, à quo post tres gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Habspurgici.

Judith Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

Balduinus Calvus Comes Flandriæ.

Arnulphus Pulcher Comes Flandriæ.

Balduinus III. Comes Flandriæ.

Joanna Uxor Godefridi Comitis Montensis in Hannonia.

S. WOLBODO Episcopus Leodiensis.

Ermingarda Uxor Ragneri, Magni Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi, Comitis Habspurgici, à quo cæteri.

Henning. P. 1. Germ. fol. 77.

Nussiens. in Chron. Magno Belg. fol. 100.

Acta Synoptica.

Nussiens. cit.

Reinerus Monach. vitæ auth.

Bucelin. in Menolog.

Ægid. Monach. aureæ vall. in addit. ad Anselm.

Anselm. Canon. Leodien.

Jacob. Chapeavill. de vit. Pontif.

WOLBODO filius Godefridi (seu Gaffredi, ut Nussiensis habet) ex Joanna Flandra progenitus, primam ætatem literis addiscendis impendit. Decanus dein S. Martini Ultrajectensis, mox Præpositus, & demum Leodiensis Episcopus nominatus, ut corpore giganteo, sic virtutibus verè magnus, Cathedram Leodiensem mira vitæ sanctitate plurimùm exornavit. Orationis studio fuit deditissimus, ut continua poplitum flexione callum genibus obduxerit. Frigoris, inediæ, vigiliarum adeò patiens, ut aspera sæpè hyeme nudis pedibus in Basilicis Divorum pernoctaret. Ab Imperatore Henrico II. summo in pretio habitus, longas ipsum inter & Heribertum Colonienſem Archiepiscopum simultates composuit, ita quidem, ut Henricus Natalitiis Domini feriis Coloniam accurrens publicè Heriberto satisfaceret. Sensit verò subinde & ipse offensum sibi Imperatorem, quem ut placaret, magnam collegit summam pecuniæ, ipsi oblaturus: sed re maturiùs consideratâ, censuit laudabilius, eo munere sibi placare æternum Regem, in cujus manu sunt corda Principum; totam itáque

que pecuniam inter pauperes diſtribuit, nactus Imperatorem ipſum laudatorem, & ex irato amicum. Mortuus eſt in amplexu Crucis Chriſti, tantis à morte miraculis illuſtratus, ut Abbas S. Laurentii, in cujus Cœnobio ſepulturam elegerat, per divinum amorem obteſtaretur, temperaret à prodigiis, ob nimiam accurrentium multitudinem, qui Cœnobii quietem turbabant. Migravit ad Dominum Anno 1021. undecimo Cal. Maij, cùm præſediſſet menſes triginta, ſeu annos duos & menſes ſex. Delituit ſacrum ejus corpus ad annum uſque 1655. in crypta S. Laurentii, ex longa nocte ab Illuſtriſſimo Nuntio Apoſtolico Joſepho Sanfelicio liberatum, cum illud tumulo extractum in ejuſdem Eccleſiæ ſacrario depoſuit; quod dum molitur, cœleſtis quidam odor omnes afflavit, Illuſtriſſimo ipſo cùm familiaribus rei novitate attonitis.

Molan. in natal. SS Jacob. Lobbetius Chron. Eccleſ. Leod. Theodorus Rhay. ad 30. Januarii.

DIE

DIE XXII. APRILIS.

B. ADELBERTUS, vel ALDEBERTUS COMES AUSTROVANDIÆ.

Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Conjunx ejus Regina nomine fuit Pipini Regis neptis, an ex fratrum aliquo aut ſorore, incertum. Veroſimile eſt, fuiſſe filiam Bernardi, ſororem Valonis, vel filiam Griphonis ex Suinhilde Bavara geniti. Sanè à Bucelino appellatur neptis Pipini Regis, & author quoque vitæ S. Aldeberti diſertis verbis ait: *Neptem dicti Pipini Regis in Uxorem ſibi expetiit nomine proprio Reginam.* Fragmentum interea Geneſeos tale exhibeo.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Chunhildis Uxor.

Suinhildis concubina,

Pipinus Brevis, Rex Francorum.

Bernardus Dux.

Gripho Dux, qui Pipino fratri bellum intulit.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

B. Regina Bernardi vel Griphonis filia, Uxor B. ALDEBERTI.

B. Ragemfredis Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Lect. Offic. diu. Eccl. Dononien.

ALDEBERTUS Comes Auſtrovandiæ ex illuſtriſſimo Francorum genere natus, inter Proceres Aulæ Pipini Regis meruit conjugem thori ſociam obtinere ipſius Regis neptem Reginam nomine. Fuit, ut vitæ author loquitur, non ſolùm nobilitate ſanguinis illuſtriſſimus, verùm etiam omnimodâ morum probitate, & actuum clariſſimorum ſplendore omnibus amabilis, opibus & prædiorum copiâ locupletiſſimus. Una utrique conjugi mens, unum ſtudium placendi DEO per largam eleemoſynæ erogationem, per aſſidua pietatis exercitia. Recreare pauperes, veſtire nudos, infirmos viſitare, anguſtiatos & violentis judiciis oppreſſos ſublevare, quà conſiliis, quà facultatum ſuppeditatione ab inſtanti miſeria ſublevare, una illis cura. Proles illis copioſa, ſed nulla maſcula, decem omnino filiæ, quæ omnes Virgines parentum ſtudia æmulatæ divinis ſe manciparunt obſequiis. Nomina earum ſunt B. Ragenfredis, Cœleſtina, Roſa, Ambroſia, Ava, Euphroſina, Helena, Neptalina, Paulina, & Carola. Cùm igitur non eſſet hæres ſtirpis propagator, hæredem ſcripſerunt DEUM pii parentes, & condito ad Scaldim fluvium Dononienſi Cœnobio in honorem S. DEI genitricis, & Eccleſiâ in honorem S. Martini, filiam Ragemfredem

Arnold. Rayſſ. in Hierogazophyl.

Henric. Deutremã. p. 3. hiſt. Valencen. c. 5.

Guliel. Gazæus. hiſt. Eccleſiaſt. Belg. fol. 154.

Sauſſay.

Willot. in Martyrol.

dem ei præfecerunt, quæ numeroſum ſanctimonialium numerum collegit, quas prudentiâ ſuâ & exemplo ad iter ſanctæ perfectionis direxit. Fuerunt autem omnes decem peregrinatæ Romam, & quinque earum etiam Hieroſolymam, quæ ibi in ſanctis exercitiis vitam finierunt, uti aliæ quatuor Romæ, ſolâ Ragimfrede reversâ, & poſt obitum Patris Cœnobio præfectâ. Viſuntur eorum ſepulchra in Parochiali Eccleſia, ſed corpora elevata ſunt in ſummo altari Monaſterii, argenteis feretris impoſita; media B. Ragemfredis, à dextra B. ALDEBERTUS, â ſiniſtra B. Regina. Hæc ex lectionibus officii divini apud Henſchenium.

DIE XXIII. APRILIS.

S. ADELBERTUS EPISCOPUS PRAGENSIS MARTYR.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Certa hujus ſeries exhiberi non poteſt. Scribitur fuiſſe parens ejus S. Henrici Imperatoris nepos, an autem ex fratre Arnolpho, cujus ſolum nomen refertur ab Henningio, vel ex ſorore Hedwige nupta Luitberto Burggravio Magdeburgenſi, vel ex noverca S. Henrici Imperatoris, quæ Henrico Hezeloni filium genuit, cujus nomen ignoratur; vel aliunde cognationem attigerit, ut dicatur S. Henrici nepos fuiſſe, nihil poſſum ſtatuere. Interim propono nexum Habſpurgo-Auſtriacorum cum S. Henrico.

Henſchē. To. 3. April die 23.

Carolus Simplex Rex Francorum ex Carolingis.

|

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.	Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
|	|
Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcenſis Comitis.	Giſela Uxor Henrici Hezelonis Ducis Bavariæ.
|	|
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ.	S. Henricus II. Roman. Imperator. Uxor S. Chunegundis.
|	
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo reliqui rectâ lineâ deſcendunt uſque ad hodiernos.	Slavunitz potens Dynaſta Bohemiæ, nepos S. Henrici Roman. Imperatoris. Uxor Strzieczislauua.
	|
	Wotyech, poſtea in confirmatione dictus ADELBERTUS, Epiſcopus Pragenſis Martyr.

Bohuslaus Balbinus aſſerit, parentem S. Adalberti fuiſſe nepotem Henrici I. Imperatoris, ex ejus ſorore genitum; idque haberi ex vetuſtiſſima S. Adalberti vita. Matrem verò Strziczislauam ait fuiſſe filiam Boleslai Sævi Ducis Bohemiæ, adeóque neptem S. Wenceslai Martyris, quæ videntur magis correſpondere Chronologiæ, quàm ſi dicatur fuiſſe nepos S. Henrico II. Imperatori: prout conjecturando dicebat Henſchenius. Addamus Schema Genealogicum ad mentem Balbini.

Balbin. in Epitom. rer. Bohem. lib. 1. cap. 10. in Not.

Carolus Magnus Imperator,
& cœteri ejus poſteri.

|

Arnulphus Imperator.

|

Luitgarda Uxor Ottonis Magni
Ducis Saxoniæ.

Hen-

Henricus I. Auceps Imperator. — N. Uxor N. Comitis Libicensis.

Slavunicus Comes Libicensis, Uxor Strziezislava filia Boleslai Sævi Ducis Bohemiæ, soror Boleslai Pii, cui nupta Hemma Saxonica, ut creditur, soror Henrici I. Imperatoris.

Wotych., postea in confimatione dictus ADELBERTUS, Episcopus Pragensis Martyr.

Alios nexus vide in S. Wenceslao, S. Ludmilla, & aliis.

Acta Synoptica.

ILlustri ortus prosapiâ ADELBERTUS Slavunitzii, Comitis Libecensis filius (ut habet Bucelinus) vel Lublyczensis, ut est apud Inchoferum, etiamnum puerulus desperatâ vitâ ad Deiparæ aram, mirantibus qui aderant, adrepens Matris Virginis ope prodigiosè convaluit. Juvenilem ætatem apud Adelbertum Magdeburgensem Episcopum exegit, à quo & nomen in sacro chrismate accepit. Reversus in patriam, adstitit Dithmaro Pragensi Episcopo morienti, cujus horrendis vocibus de salute desperantis territus, horrorem animo excutere non valuit, totus illicò mutatus in alium, appetitum frænare, divini timoris & amoris continuo satagere imposterum induxit in animum, & magnâ constantiâ perstitit. Electus tunc Pragensium Antistes, ipso die multis audientibus ex corpore obsesso locutus Dæmon, & cùm Presbyteri imprecationibus urgeretur, ultrò confessus est, cedendum sibi esse metu ejus, qui in Episcopum electus. Cùm autem patriam lucrari Christo satageret, & Bohemos ab Idololatria & morum feritate revocare frustrà conaretur, pertæsus eorum pertinaciam, Romam secessit, triennio solo administratâ Ecclesiâ. Inde Hierosolymam profecturus, à Theophania Imperatrice ingentem massam argenti accepit, quam sequenti nocte pauperibus distribuit, & ad Casinum divertens, dein ad S. Nilum, ejus suasu mutatâ mente Romam rediit, ibique in Monasterio S. Alexii quinquennio mansit. Repetitus à Bohemis, eâ lege illis concessus est, ut Pontifex dixerit in synodo: *Reddimus quod justè quærunt malè merentes filii, sed dabitur eis hac lege: si audierint eum, teneant cum benedictione Dei, & faciant sub eo fructum centuplum. Si autem à consueta iniquitate recedere nolunt, absque periculo sui capitis malorum consortia devitet.* Sed Romæ adhuc morantem miraculorum gloriâ Deus illustravit, spectante ipso Pontifice. Nam jussus ad mensam poculum vitreum vino plenum afferre, astu Dæmonis, qui se in canis specie pedibus objecerat, impingens, & concidens vitrum fregit, mox susis precibus vitrum integerrimum è frustis collectum cum vino obtulit. Aliàs jussu ejusdem Pontificis sacris operatus, cùm obdormisse crederetur, objurgatus post Missam, respondit fratrum germanorum funera se in Bohemia curasse, quos impii idololatræ causâ fidei trucidassent: eóque ipso loco in altari alteram chirothecam per oblivionem reliquisse. Eventus fidem fecit, cùm è Bohemia Romam remissa est chirotheca. Desperato iterum apud Bo-

Inchof. Annal. Hung. ad ann. 981. & seqq.

Bucel. Menolog. ad 23. April.

Auth. vitæ coævus.

Joan. Duglo. in hist. Polon.

Diethmar. in Chron. Hildesheimen.

Cosmas Prag. in Chron. Bohem.

Henric. Canisius. To. 6. Antiq. lect.

Gerbert. Aureliac. in vita Martin.

Boregh. in hist. Bohem.

Gaspar. Scutzen. in reb. Prussicis.

Bohusl. Balbin. ad 23. Aprilis, & alii.

hemos fructu, ad Polonos, dein Hungaros ſe contulit: ibi Miecislaum Ducem cum omni populo à cultu idolorum avertit, & finitimas etiam regiones Chriſti Regno feliciſſimè adjunxit. In Livoniam denique & Pruſſiam delatus, dum ibi rationes Eccleſiæ plurimùm auget, ſacrificulorum ſcelere appetitus ab irruentibus barbaris poſt SS. Miſſæ ſacrificium celebratum, gratiſſima Deo victima cæditur ipſo die Paraſceves. Conto primùm valido percuſſus, infixis terræ oſculis in ea verba erupit: *Benedictus Deus, benedicta miſericordia Dei, ſi plus non accipiam pro Crucifixo meo, unum pretioſum ictum habeo.* Septem poſtea lanceis confoſſus, manibus in modum crucis extenſis feliciſſimum ſpiritum Creatori transmiſit. Sacrum corpus in arbore ſuſpenſum aquila per triduum cuſtodivit, donec membra crudeliſſimè conciſa per hoſpitem ſancti viri in ſportam collecta, juxta locum Martyrii primùm humata, æquali dein auri pondere à Polonis redempta Gnesnam ſummo cum honore illata ſunt. Claruit innumeris deinde & ſtupendis miraculis. Boleslaus Poloniæ Dux Ottoni Imperatori donavit brachium unum ex Sancti corpore, quod poſteà Romam delatum in Eccleſia S. Bartholomæi repoſitum eſt, & viceverſa Pontifex Boleslaum coronâ Regiâ inſignivit. Natus fuit circa annum 956. Reverſus Magdeburgo Anno 981. conſecratus Epiſcopus Pragenſis Anno 983. Romam profectus Anno 989. Remiſſus ad Epiſcopatum Anno 994. Martyrio coronatus eſt Anno 997. hac die 23. Aprilis. Parentem ejus nepotem fuiſſe Henrici Imperatoris, ſcribit vitæ Author contemporaneus, id eſt Henrici II. ſancti, ut exiſtimat in notis Henſchenius; vereor autem ut id potiùs de Henrico Aucupe ſit intelligendum, cui tempora magis congruunt; quanquam & hunc Habſpurgicis ſanguine conjunctum alibi oſtendimus. Addi verò S. Adalberto poſſunt germani ejus fratres pro fide Chriſtiana occiſi: *Sobebocius, Spitimirus, Bohuslaus, Poreyus, Czaslavus.* Quorum corpora Anno 1216. elevata, publicæ veneration expoſita fuerunt, & celebratus eorum dies natalis, teſte Bohuslao Balbino, de quibus alibi.

Eâdem

Eâdem DIE XXIII. APRILIS.

B. JOLENTHA DUCISSA POLONIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Albertus I. Imperator Habſpurgicus.

Agnes Auſtriaca, cujus maritus ——— Andreas III. Rex Ungariæ.

Andreas II. Rex Ungariæ.

Stephanus Poſthumus, Uxor Thomaſina Veneta.

Bela IV. Rex Hungariæ.

B. JOLENTHA Duciſſa Poloniæ, Vidua Boleslai Pudici Ducis Caliſienſis.

Acta Synoptica.

JOLENTHA Regio Ungariæ ſanguine orta, ſoror B. Margaritæ & B. Chunegundis, natu minima fuit Belæ Regis, quam Boleslaus Pudicus majoris Poloniæ Dux, ut habet Dugloſſus, ſive Caliſienſis, ut eſt apud Henſchenium, accepit conjugem, & unicam filiam Hedwigem ex ea ſuſtulit. Ea proceſſu dierum Uladislao Loketik Cuiavienſium Duci, poſtmodum Regi Poloniæ glorioſiſſimo nupſit. Viduata marito Jolentha, ordinem ſanctæ Claræ in Sandecenſi Parthenio profeſſa, vitâ ſanctiſſimè tranſactâ, beato fine illic quievit. Nominatur Beata ab Arturo, cœtera ab aliis exſpectantur.

Dugloſſ. in vita Chunegũd. Bolland. To. 2. Jan. fol. 897. & Henſchen. ad 23. April. in prætermiſſ.

DIE XXIV. APRILIS.

SS. BOVA & DODA VIRGINES ABBATISSÆ.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici indubitatâ ſerie deſcendunt.

Chilpericus Rex Sueſſionum.

Clotharius II. Rex Francorum.

Dagobertus Magnus Rex Francorum.

S. Sigebertus Rex Francorum.

Bucelin. Menol. Henſchen. ad 24. April.

S. Baldericus Abbas, vel Presbyter.

S. BOVA V. Abbatiſſa Rhemenſis. S. DODA neptis S. Bovæ.

Dagobertus II. Rex Franco.

Acta Synoptica.

Flodoard. lib. 4. cap. 38.

Author vitæ ap. Henſchen. To. 3. April. fol. 283.

Bucelin. in Menolog. ad 24. April.

RHemenſe Virginum Cœnobium honori Deiparæ Virginis & S. Petri fundarunt olim S. Baldericus Presbyter cum ſua ſorore S. BOVA, ut refert Flodoardus. Ejus primam antiſtitam egit S. BOVA, regali progenie exorta, patre ſcilicet Sigeberto Rege, habens neptem nomine DODAM caſtiſſimam puellam, quæ deſponſata cuidam Magnati ejusdem Regis Sigeberti; quámque præfata ipſius amita BOVA inſtituens ad ſerviendum DEO, ſervandámque perpetuo Virginitatem, ab amore terreni avertit ſponſi. Qui ægrè ferens ſe contemptum, ſponſam rapere intendens, conſcenſo equo, dum exequi molitur propoſitum, furente lapſus ab equo fractis cervicibus traditur interiiſſe. Beata verò DODA in caſtitatis propoſito perſeverans, amitæ ſuæ in ejusdem Monaſterii ſucceſſit regimine, quæ magna poſtmodum privilegia à Principe Pipino eidem impetravit Cœnobio. Corpora utriuſque extra muros urbis Rhemenſis, ubi primum fuerat puellarum Monaſterium; tumulata diu quieverunt, donec poſtmodum per revelationes elevata, & novæ illata Eccleſiæ, fidelium venerationi propoſita ſunt, & multis poſteà claruerunt miraculis. Hæc ferè Flodoardus, plura vitæ author apud Henſchenium.

DIE

DIE XXV. APRILIS.

B. HERMANNUS CLUNIACENSIS COMES HABSPURGICUS.

GENEALOGIA.

Guntramus II. Comes Habspurgicus.

|

Betzo Comes Habspurgicus.

Landolus, qui & Betzelinus, Comes Habspurgicus.

|

Bertholdus cognomento barbatus, Comes Habspurgicus, Zäringiæ conditor.

Rapato Comes Habspurgicus, Uxor Itha Lotharingica, ex quibus omnes Habspurgici & Austriaci hodierni rectâ lineâ descendunt.

Bertholdus II. Dux Zäringiæ primus.

B. HERMANNUS Marchio Habspurgicus.

Acta Synoptica.

HERMANNUS ducta primùm uxore Juditha postrema stirpis Badensis, unicum ex ea suscepit filium, & seculi pertæsus relictis omnibus, quæ possidebat, Cluniacum se contulit, ubi Monasticen professus, magno animo servitiis sese divinis mancipavit, & exactâ vitâ prorsus Angelicâ migravit ad Dominum 7. Cal. Maij. Alii volunt nullam habuisse uxorem, sed cœlibem Cœnobio immigrasse. Referunt eum inter Beatos Wion, Menardus, Ferrarius, Saussayus apud Henschenium. Bertholdus Constantiensis, qui hoc seculo vixit, hæc de illo habet: *Hermannus Marchio, filius Bertholdi Ducis, Cluniaci vitam Angelicam arripiens perfectissimè, adhuc adolescens, uxore, & unico filio, & omnibus quæ possederat derelictis, verè Monachus migravit ad Dominum, Anno* 1074. *septimo Cal. Maij.*

Piesport. in tab. Berthold. Constant.

Henschē. ad 25. April. in præterm.

Bucel. P. 2. hist. Agilolfing.

Berthold. Constant. in App. ad Herm. contr.

Eâdem

Eâdem DIE XXV. APRILIS.

S. THARASIA REGINA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Veremundus II. Rex Gallæciæ.

Alphonſus V. Rex. — Sanctia Uxor Ferdinandi II. Regis Caſtellæ. — S. THARASIA.

Alphonſus IX. Rex Caſtellæ & Legionis.

S. Ferdinandus III. Rex Hiſpaniarum, à quo poſt decem gradus Joanna hæres Hiſpaniarum, Uxor Philippi Archiducis Auſtriæ, à quo omnes uſque ad hodiernos.

Alium nexum vide in S. Ferdinando die 30. Maij.

Acta Synoptica.

THARASIA Veremundi II. Gallæciæ & Aſtuum Regis, ex Geloyra Navarræa, filia; invita & renuens ab Alphonſo V. fratre ſuo Abdallæ Toletano Saracenorum Regi conjunx data, miraculosè ab eodem relicta intacta Monaſticen in Cœnobio S. Pelagii Ovieti profeſſa; ſocias ejusdem propoſiti Reginam matrem, & ſororem Sanciam habuit, delitiásque Regales ſummo vitæ rigore permutans, ſtupentibus univerſis, ſpectaculum mundo & Angelis facta, humilitate magis, quàm purpurâ effulſit; ac ſanctitatis rariſſimum Principum decus adepta, Hiſpanias Regiúmque genus æterno honore inſignivit. Evocata eſt ad æternitatem Anno 1039. Sanctæ titulum ei attribuit Bucelinus.

Anton. de Yeppes. Ambroſ. Moral. Vaſæus. in Chron. Henſchē. To 3. April. in prætermiſſ. Buc. in Menolog.

DIE

DIE XXVI. APRILIS.

S. RICHARIUS FUNDATOR CENTULENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Meroveus Rex Francorum.

|

Childericus Rex Francorum.

Raganarius Dux.	Clodoveus I. Christianus Rex Francorum.
Alquarius Dux Pontivensis.	Clotharius Magnus Rex Francorum.
S. RICHARIUS Dux, Fundator Centulensis.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici indubitatâ serie.
	Clodomirus Rex Aurelianensis.
	S. Clodoaldus.

Bolland. 18. Feb. ad vit. S. Angilber. fol. 88.

Acta Synoptica

PRofuit RICHARIO peregrinis opem tulisse, sacerdotes advenas à popularibus suis impetitos defendisse, excepisse hospitio. Nam illis verbum DEI annuntiantibus faciles aures præbuit, & addente verbis illorum efficaciam Numine, ita succensus est, ut nihil nisi cœleste suspiraret, corpus tractaret durè, pane hordeaceo cinere mixto, & pauxillo aquæ lacrymis dilutæ contentus, vitam Martyrio ferè parem duceret. Presbyter exinde factus, conditam à se Ecclesiam, & liberaliter dotatam ipse administravit. In Britanniam alienæ salutis curandæ avidus perrexit, inde servos suos, quos Centulæ reliquerat manumittens, & libertate donans, cùm revertisset Centulam, insigni cum Apostolici laboris fructu strenuè desudavit, & Monasterium condidit. Equo aliquando vectus S. Richtrudem invisit, quæ post sacra colloquia discedenti, & jam equo insidenti filiolum Maurontum, quem ipse baptizaverat, in manus dedit benedicendum; cùm Sathanæ impulsu equus ferocire & pleno cursu per campum ferri cœpit, Richtrude & domesticis de puerulo solicitis. At sanctus vir à se abjecit quidem puerum, sed prorsus illæsum, ut quasi leni volatu in terram delapsus videretur. Exinde repudiato equi usu, miti asello iter agens. Dagobertus Rex eum tanti fecit, ut ad ipsum invisens, blandiri nescium, sed acriùs se corripientem patientissimè attenderet, & humillimè eum veneratus precum ejus suffragia posceret. Ægris, afflictis, pauperibus, captivis omni ope, & prodigiosâ plerunque affuit, de innumeris meritissimus dum viveret, sed & post mortem in supplices mirè beneficus, quâ per divinam revelationem præcognitâ, felicissimè occubuit splendidissimus Lucifer Pontivensium, ultramarinorum Apostolus glorioſissimus circa annum. 642. Eum Sigobar-

Nicon. Diac. in vita. Alucuinus in vita. Vincen. Bellovac. in spec. Centulen. MS. Boiland. sup. Henschē. ad 26. April. Bucelin. Menol. ad eand.

dus diſcipulus poſt obitum inæſtimabili lucis ſplendore coruſcantem videre meruit. Subdubitat Henſchenius an fuerit è Regio ſanguine, licèt id afferat Nicon Diaconus, qui Sigobardum vitæ ſcriptorem incultum ſecutus limatiore ſtylo acta prodidit; ex eo ſolùm, quòd Alavinus eandem vitam retexens, dicat: *non tam nobilibus parentibus ortus, quàm moribus honeſtus, ita ut in ruſtica vita quædam præſagia futuræ ſanctitatis gereret.* Verùm nihil obſtat nobilitati ruſtica vita, neque ideò omnis ruſticus cenſendus, qui ruri agit & vivit, uti hodiéque mos eſt Nobilium. Nobilem fuiſſe, ex ipſo Alcuino colligitur, qui ſervos & mancipia dicitur habuiſſe, & Dei amore libertate donaſſe. Aſſentimur igitur antiquo ſcriptori Niconi, qui nobile ſtemma RICHARII à Merovingis deducit, haud dubiè conſignatum à Sigobardo Sancti diſcipulo.

DIE XXVII. APRILIS.

S. WALPURGIS V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha, vel Adilberga, Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma è Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga.

Lotharius Rex Occidentalium Saxonum. Uxor N. Offæ Regis soror.

S. Richardus Rex Anglorum. Uxor S. Bonna, vel Wunna, soror S. Bonifacii.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo indubitata serie deducuntur Carolingi, & ex his Habspurgici.

S. Wilibaldus Episcopus. S. WALPURGIS V. Abbatissa. S. Wunibaldus Abbas

Acta Synoptica.

MAgni Bonifacii Germanorum Apostoli soror S. Bonna, quam Wunnam & Wunnoheydem appellant, thoro sancti Regis Richardi sociata, tres illi sanctas edidit proles, quas inter WALPURGIS, cum fratribus & parentibus de sanctitate concertans, mirè enituit. Juvenili ætate contemptis opibus, virili proposito germanos, & patrem sponte exules & peregrinos sequuta, cum iisdem maris ingentem tempestatem fusis precibus prodigiosè sopivit. Haidenhemii posteà, ubi frater Wunibaldus virorum, ipsa Virginum Cœnobio præfuit, & ab ejus obitu raro exemplo, pro admiranda tantæ Virginis sanctitate & meritis, & virorum curam Virago quindecim ferè annis summâ diligentiâ, dexteritate, atque utilitate gessit. *In quo quidem Monasterio* (ait vitæ Author) *omnem excessum strenuè, & ut ita dicam, viriliter correxit, ut si diversitas sexûs non existeret, dignè nomen Patris mereretur. Tantæ etiam fuit, cùm tempus & res expostulabat, pietatis & mansuetudinis, & cuncto tempore in omni conversatione tantæ extitit gravitatis in dissimulandis, tantæ compassionis in recreandis, tantæque sanctitatis in omnibus agendis, ut meritò veneraretur ut Domina, & à cunctis diligeretur ut mater &c.* Eam Deus

Wolfhard. Presb. in vita.

Adelbold. Epis. Traject. in vita.

Anton. Windgarten.

Philipp. Epise. in vita.

Stevart. in vita.

Rebdorff. Monach. serm. de S. Walp. & in Annalib.

Jacob. Gretser. Tract. de oleo S. Walpur.

in vita & poſt mortem rariſſimâ miraculorum gloriâ illuſtravit. Potentis Dynaſtæ filiam aliquando ad extrema devolutam, & jam omnibus funeri præparatis, prodigiosè reſtituit, & è lectulo valentiſſimam eduxit. Oblata eâ de causâ munera repudians, multò deinceps ferventius corpuſculo ſuo bellum indixit. Lumine aliquando negato, in tenebris è cœlo prodigioſus deſcendit ſplendor, qui WALPURGI cum ancillis Chriſti agenti illuxit. Innumera penè ſunt, quæ non vivam tantùm, ſed & mortuam illuſtrarunt miracula. Stillat uſque hodie caſtiſſimum Regiæ Virginis corpus prodigioſum oleum toto orbe notiſſimum, quod cæcis lumen, ſurdis auditum, claudis greſſum ſæpè contulit. Obſervatum verò eſt, tunc copioſius emanare, cùm SS. Corporis & ſanguinis Chriſti myſteria in altari (ſub quo requieſcit) peraguntur. Horret vaſa indebitè diſpoſita, è vitro immundo etiam clauſo evaneſcit. Cùm civitas Eyſtettenſis, ubi ſacrum corpus requieſcit, Eccleſiaſtico aliquando delicto ſubjaceret, oleum fluere deſiit, quod reconcilatâ urbe, ſupplice nudis pedibus Epiſcopo cum univerſo populo ſacrum Virginis tumulum venerante, inter Miſſarum ſolennia, ubertim iterum manare cœpit, & conſueta deinceps variis ægris beneficia impartiri. Meritò proinde Eyſtettenſes tantam Virginem Urbis & Diœceſeos ſuæ tutelarem religioſiſſimè venerantur, quam etiam non ſuperior ſolùm, ſed inferior Germania præcipuo cultu celebrat, in ejus honorem Altaria, Eccleſias, Cœnobia, quin & caſtra erigit plurium ſeculorum decurſu. Diem natalem ejus plerique aſſignant 25. Februarii. Arnoldus Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus & alii 27. Aprilis. Eyſtadii ſumma cum ſolennitate peragitur ejus feſtum Calendis Maij. quo corpus translatum eſt. Uſuardi Martyrologium MS. auctum 4. Auguſti reponit. Nobis hæc dies placuit.

Henric. Caniſ. lib. 4. Antiq. Lection.

Adelbert. in Syntagm. Matthæ. Rader. in Bavar. ſancta.

Joan. Eſpagnol. in hiſt. converſion. Anglor.

Georg. Stengel. in ſerm. de SS.

Henſchē. 25. Febr.

Bucelin. 27. April.

DIE XXVIII. APRILIS.

B. M. GUNDEBERGA REGINA LANGO-BARDORUM.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodoveus I. Rex Chriſtianus Francorum.

Theodoricus, aliàs Thyrri, Rex Auſtraſiæ.
|
Theodebertus Rex Auſtraſiæ.
|
Reginotrudis Uxor Theodonis III, Ducis Bavariæ.
|
Theodebertus Dux Bavariæ.
|
Garibaldus Dux Bavariæ.
|
B. Theodolinda Uxor Autharis Regis Langobardorum.
|
B. GUNDEBERGA Regina Langobardorum.

Clotharius Magnus Rex Francorum.
|
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici indubitata ſerie.

Acta Synoptica.

REligioſiſſimæ matris veſtigia preſſo pede inſecuta eſt GUNDEBERGA, non impar vel pietate, vel pudicitiâ, vel religione, nupta primùm Arioaldo Taurinatium Principi, deinde Regi, admirabili oris gratiâ fatigavit oculos Procerum Langobardorum, quos inter Adolulphus auſus eam ad ſtuprum invitare, ſputum in os impuriſſimum recepit, quæ res uti GUNDEBERGÆ apudomnem poſteritatem gloriam, ità copioſam patientiæ ſementem ſparſit. Adalulphus non ſolùm conſcientiâ ſceleris perculſus, ſed & contumeliâ inflammatus, ut ſcelus ſcelere, qui mos eſt impiorum, tegeret, GUNDEBERGAM apud maritum Regem de veneficio parato defert. Graves calumniæ pronas alioquin ad ſuſpicionem Regum aures, & metus amittendi regni impulêre Arioaldum, ut uxorem daret in vincula, in quibus tam diu hæſit, quoad publico duello (ſic enim ſecretas olim & incertas cauſas finiebant) commiſſa eſt. Producti duo in arenam, quorum alter Adalulphi, alter GUNDEBERGÆ partes defenderet. Certatum ſpectante populo: vicit innocentia, cecidit adulteri vicarius. Reddita luci & imperio GUNDEBERGA locum tenuit, quoad Rex vitâ defungeretur. Eo tumulato GUNDEBERGA ſocium thori elegit Harodum

Matth. Rader. in Bavar. ſancta. To. 1. fol. 36.
Aimoin. lib. 4. c. 10.
Sigon. lib. 2. de regn. Ital.
Velſer. rerum Boic. lib. 4.

jurejurando adſtrictum, ſervaturum beneficii memoriam, jus & fidem nunquam violaturum. Omnia promittuntur, cùm regnandum eſt. Harodus regni poſſeſſione aditâ, GUNDEBERGAM immerentem cuſtodiæ mancipavit, ubi illa quinquennium in luctu & lacrymis ac longâ abſtinentiâ eximium tolerantiæ ſpecimen dedit. Demum metu Francorum Regis ſolio & thoro reſtituta, deinceps in honore & amore fuit. Excitavit & ipſa exemplo matris D. Joanni Baptiſtæ ædem Ticini, copiosè dotatam, in quâ ipſa demum veluti Mauſoleo condita eſt. Obiit, incertum quo die, circa annum 638. digna cujus memoria ſit in benedictione.

DIE XXIX. APRILIS.

B. AVA VIRGO DONONIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Juxta ea, quæ suprà in B. Adelberto Austrobandiæ Comite notavimus, hic fragmentum Geneseos apponere libet.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.	Bernardus Dux Francorum.
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici certâ serie.	Regina Uxor B. Adelberti, vel Aldeberti, Comitis Austrovandiæ.
B. AVA Monialis Donomensis.	B. Ragemfredis Abbatissa Dononiensis.

Acta Synoptica.

ILlustrissimorum pariter & Sanctissimorũ parentum soboles AVA, Adelberto Austrovandio Comite & Reginâ ex Regio Francorum sanguine progenita, cùm cæca esset, prodigiosè ad tumulum B. sororis suæ Ragemfredis oculos & visum recepit, mox ibidem Monasticen amplexa, non impari postea sanctitatis splendore emicuit. De hac Molanus: *Cùm multa Sanctorum loca, visum expetens, donatione honoraſſet, tandem ab Angelo monetur, ut pro visu recipiendo sepulchrum & reliquias S. Ragemfredis non negligat. Obtento autem lumine, præsidia sua, servos, ancillas, & omnem sui juris supellectilem ad sepulchrum S. Ragemfredis obtulit. Ecclesiam S. Mariæ meliorari, & ad illam beatas medicæ suæ reliquias transferri fecit.* Ex quo dubites, an soror fuerit Sanctæ Ragemfredis, licèt una inter ejus sorores Ava nominetur. Bucelinus tamen sororem ejus & sanctam appellat.

Bucelin. in Menolog. Ferrar. Menard. Saussay. Molan. in Natal. SS. Belg. Papebroc. ad 29. April.

DIE

DIE XXX. APRILIS.

S. HILDEGARDIS IMPERATRIX.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, quem communis opinio proavum facit Sigeberti Exulis, authoris Habspurgicorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

B. Arnoaldus Dux Mosellanus.

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

B. Ansegisus Dux Brabantiæ, S. Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

S. Carolus Magnus Imperator. Uxor S. HILDEGARDIS Augusta, ex quibus Carolingi & Habspurgiei.

Nexus II. ad mentem Joan. Jacobi Fugger.

Sigebertus Filius fratris vel sororis Clotharii II. Regis Francorum, Dux Alemanniæ circa annum 630.

Gunzo Dux Alemanniæ.

Godefridus Dux Alemanniæ.

Luitfridus Dux Alemanniæ.

Theobaldus Dux Alemanniæ.

Childebrandus Dux Alemanniæ.

S. HILDEGARDIS Uxor Caroli Magni.

Otrobertus Comes Altenburgi, à quo deinde Habspurgici processerunt.

Acta Synoptica.

Thegan. apud Chifflet. in Lumin. Genealog. fol. 205.

Anonym. vitæ auth.

GEnesim maternam HILDEGARDIS paucis complexus Theganus, vetus scriptor, de Carolo Magno agens: *Sibi junxit nobilissimi generis Suevorum puellam nomine* HILDEGARDEM, *quæ erat de cognatione Godefridi Ducis Alemannorum. Gothefridus Dux genuit Houchingum, Houchingus genuit Nebi, Nebi autem genuit Immam, Imma verò peperit* HIL-

HILDEGARDAM *beatissimam Reginam.* Magna inter authores dissensio est, de genere S. HILDEGARDIS, cùm alii è Suevis, alii è Francis ortam putant. Utrumque conciliat doctissimus Papebrochius in commentario prævio ad ejus vitam; videlicet Suevam fuisse origine materna, Francam verò origine paterna, fueritque pater ejus Princeps aliquis Francus, cujus hactenus nomen nondum innotuit; mater verò Imma ex Sueviæ Ducibus generata. Nostro instituto hoc satis, quòd HILDEGARDIS conjuncta Carolo Magna avia Habspurgicorum Comitum, & hodiernorum Austriæ Ducum, qui tantò feliciores censendi, quantò habent proavos sanctiores. HILDEGARDIS collocata in solio, solum calcare didicit, & terrenorum oblita, cœlestia solùm meditabatur. Cùm in pauperes esset largissima, in condendis Ecclesiis & cœnobiis exhibuit se profusam, quæ inter, eminuit Campidonense, quod & Sanctorum lipsanis ornavit, & copiosis dotavit reditibus. Ejus Sanctitatem eximiam (ut loquitur vitæ author) historiæ veteres non falsè prædicantes, quoties nomen ejus memorant, Beatissimam appellant. Meritis plena, orationibus & eleemosynis insistens usque in finem, Deo animam reddidit Anno 783. pridie Calend. Maij, ætatis anno 51. sepulta primum Mettis, inde incertum, quo tempore translata Campidonam ad fundationem suam, ubi post plures annos, circa 980. simul cum corpore Ludovici Pii Imperatoris filii reperta ejus lipsana magnam Campidonensibus lætitiam attulerunt. Magnis exinde prodigiis honoravit Deus Sanctam suam, cæci, surdi, paralitici, hydropici, contracti ejus ope & precibus sanitatem receperunt, energumeni plures à malo hospite liberati, juvenis submersus vitæ restitutus, quæ fusè alii prosequuntur: nos à Synopsi non recedemus. Hoc tamen è Bruschio libet addere: HILDEGARDIS *sancta vocatur, non quòd Canonizata sit à Romanis Pontificibus, sed quòd ab incunabulis Christi doctrinarum ac præceptionum studiosissima, summo semper studio ægros inviserit, & verbo Dei consolata sit; quòd è partu laborantibus fœminis Imperatrix etiam adfuerit, quòd omnibus pauperibus largissimâ eleemosynarum distributione opem summam tulerit. Cujus pietatis insigne & conspicuum hodie adhuc est in Campidonensi Monasterio indicium, ubi in ejus memoriam singulis septimanis, diebus videlicet Lunæ & Veneris, ducenti homines pauperes distributis panibus cibari ac refocillari solent.* Hæc ille, & plura apud Raderum.

Papebroch. in vita. Bruschi. in Monast. Germ. Eginhard. in vita Caroli Abb. Urspergen. Marian. Scotus. Annal. Franco. Herman. Contr. Aimoin l. 4. c. 69. Munster. Mart. Crus. Chron. Ander. Raderus. P. 2. fol. 102. Theodor. Rhay. in animab. Illustr.

Eâdem DIE XXX. APRILIS.

S. ERCONWALDUS EPISCOPUS LONDINENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio derivat Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilberta Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Cantiorum, cujus, Uxor - - - - S. Sexburga.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo indubitatâ ſerie Carolingi & Habſpurgici.

Annas Rex Anglorum Orientalium. Uxor S. Hereſuinda.

S. ERCONWALDUS, cum aliis fratribus & ſororibus.

Alium Nexum vide in B. Edelburga die 11. Octob.

Acta Synoptica.

EO tempore, quo Anglia velut Paradiſus floruit, & non tam Anglis quàm Angelis beata fuit, inter columnas Eccleſiæ præcipuas effulſit ERCONWALDUS: patre Anna Rege, vel ut alii volunt, Offa Rege natus. Monachus primùm Cherteſeyenſis Cœnobii, ob virtutis præſtantiam ejuſdē loci poſteà Abbas fuit. Londinenſi Cathedræ à S. Theodoro admotus, eam ſanctitatis egregio titulo & meritis graviſſimis plurimùm exornavit. Nec interim Monaſticæ oblitus vitæ, inſignia duo condidit Monaſteria, ſibi alterum, alterum ſorori S. Ethelburgæ, quæ & ipſa mirâ ſanctitate vitæ claruit, & colitur 11. Octobris. Inter celebriora ejus geſta illud refertur. Cùm æger pedibus & lecto affixus, à viſitanda tamen Diœceſi non abſtineret, & lecticâ circumvectus die quadam ad oram amnis rapidiſſimi veniſſet, hæſitantibus ſociis, quòd infirmus nec equo, nec pedibus tranſire flumen poſſet (dictu mirabile) aqua repente diſparuit flumine, quam primum cum ſuis tranſiſſet Epiſcopus, naturam & curſum ſuum in oculis omnium repetente. Rarum & illud, quod de arida etiam lectica ejus Beda commemorat: *Cujus*, inquit, *viri in Epiſcopatu, & ante Epiſcopatum vita & converſatio fertur fuiſſe ſanctiſſima, ſicut etiam nunc cœleſtium virtutum ſigna indicio ſunt. Etenim uſque hodie feretrum ejus caballarium, quo infirmus vehi ſolebat, ſervatum à diſcipulis ejus, multos febricitantes, vel alio quolibet incommodo feſſos, ſanare non deſiſtit. Non ſolùm autem ſuppoſiti eidem feretro, vel appoſiti curantur ægroti, ſed & aſſulæ de illo abſciſſæ, atque ad infirmos allatæ, citam illis ſolent afferre medicinam &c* Hæc Beda, plura apud Henſchenium reperies. Migravit ad Chriſtum circa annum Chriſti 690. ſepultus in Eccleſia S. Pauli Londinenſis, & ob miraculorum celebritatem in magna deinceps habitus veneratione: dies ei ſacra eſt 30. Aprilis.

Jo. Capgrav. in Vita. ap. Henſchen. To. 3. April. ad diem 30.
Vener. Beda lib. 3. & 4.
Malmesbur.
Polydor. Vergil.
Harpsfeld.
Trithemius Monim. Cherteſeyenſ.
Bucel. Menol.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo - Auſtriaci
MAIUS.
Sive
FRIDERICUS IV. PACIFICUS
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

MAjum ſive à Maja Mercurii matre, ſive à Majoribus, ſive à Majeſtate Dea Magiſtratuum appellatum dicas, nulli aptiùs quàm FRIDERICO PACIFICO ſacrari debet. Non enim abluſit cognomen Pacifici à Caduceatore Mercurio; nec FRIDERICUS aberravit à Majoribus, illis felicior; nec Majeſtate caruit, qui eam in filio & nepote ad utrumque orbis cardinem explicuit. Igitur

FRIDERICUS IV. PACIFICUS
Alter Auguſtus Auſtriæ, alter Carolus Magnus Romæ.
Sub quo
Armiſtitium ſanctè ſervavit Germania.
Decem omninò luſtris ſpectabilis fuit
Pacis Iris
Ab Auſtro ad *Aquilonem.*
Ex patre *Erneſto Ferreo* aureus filius,
Ne aberraret ab etymo nominis, pacem coluit;
Cum DEO partitus Imperium, à DEO didicit
Ex Iride loqui:
Ut cum eo commune nomen nanciſceretur
Princeps Pacis.
Invitus aliquando ad bellum progreſſus,
Solo id *Pacis* amore geſſit,
Ludere potiùs viſus, quàm *Ladere.*
Conciliato ſibi amore apud exteros,
Incurrit odia domeſticorum.
Fidem Vindobona, Frater ſanguinem
Ejuraverat.
Hujus illa impulſu, iſte inconſultæ ambitionis.
Utrique carò ſtetit FRIDERICI obſidio.
Ipſa Nemeſis *Auguſtum Pacificum*, vindictæ neſcium,
Vindicavit pœnâ talionis.
Germanus morbo lethali, Urbs hoſte decennali
Obſeſſa, & *Inſeſſa*:

Didicit deinceps ſub Principibus Pacis pacatiùs agere.
Reduces ſub eo Muſæ
Multos nactæ ſunt amatores,
Quia Cæſarem habuerunt æſtimatorem.
Ut conſtaret Orbi, quis ſit genius potior,
Auſtriacis in utrumque paratis,
Togam ſago prætulit, gladio librum:
Nam
Hic regit, ille tuetur.
Symb. Frid. Arma nempe ancillari debent Sapientiæ.
Dictus Nicolao Papæ
Filius Chariſſimus, & ſacri Imperii Decus,
Primus Auſtriacorum Cæſarum
A ſanctiſſimis manibus Coronatus,
Ad pedum, & pedes Chriſti Vicarii pronus.
Magis erigit Coronam Imperii, qui ſic inclinat.
Sed ne domeſtici
Ignaviæ tribuerent, quod erat virtutis:
Qui cum aliis Pacem coluit,
Sibi bellum indixit.
Haſelbach. hiſt. Auſtr. MS. *Religioſiſſimus ſemper MARIÆ cultor*
Anno Aſſumptæ Virginis pervigilio
Omni propè cibo, & potu abſtinuit.
Invitati facto Cæſaris Proceres idem egerunt non inviti.
Nimirum
Exempla Magnorum ſubditis ſunt imperia, &
Principium Pietatis ſunt Pii Principes,
Putantur præcipere, quæ videntur incipere.
Magnetes ferrum, at illi poſt ſe trahunt Magnates.
Habuit & ipſe FRIDERICUS ſuum Magnetem
MARIAM.
Cui cùm texit corollas, Coronas ab ea recipit:
Et dum alios exemplo in Cœlum trahit,
Ipſe à MARIA attrahitur
Solo quatriduo poſt Aſſumptam.
Ita non aliàs magis fuit, quàm
Auguſto menſe *Auguſtus.*

Unicum reliquit poſt ſe filium FRIDERICUS, ſed ſuffecturum pro multis. Majeſtas ſola ſolet incedere, nec pares admittit. Tota tunc Auſtria in uno ſtetit germine, ſed quod deinceps latiſſimè ſe diffudit. Collecta in unum virtus robuſtior eſt. Nullus verò potiori jure *Auguſtus* dici meruit quàm FRIDERICUS, utpote qui Romanum illum vitæ triennio ſuperavit, ab illo viciſſim Imperii triennio ſuperatus, vitâ ſupplens defectum regiminis. Huic ergo ſacer eſto *Majus*, in quo majus etiam aliquid virtutis emicuit, quàm *Auguſtus.*

CALEN-

CALENDIS MAII.

S. SIGISMUNDUS REX BURGUNDIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Meroveus Rex Francorum.

Childericus Rex Francorum.

Clodoveus Rex I. Chriſtianus, cujus Uxor

Gundiochus Rex Burgundiæ.

Chilpericus Rex Burgundiæ.

S. Crothildis.

Gundebadus Rex Burgundiæ.

S. SIGISMUNDUS Rex Burgundiæ.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos, per pronepotem Sigebertum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo indubitata ſerie Carolingi & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

NOvercæ nomen à nocendo dictum putes, etiam cùm amant, oderunt, cùm ſe prodeſſe ſimulant, nocent: ex patre ſæpè faciunt vitricos. Fauſtam Conſtantini, Goëcintham Leovigildi, Helfridam Edgari inſpice, & videbis cuique ſuum ad pedes in ſanguine volutari privignum. Tribus his orci furiis adde quartam Oſtroſuendam, quæ SIGISMUNDUM Burgundionum Regem eò impulit, ut filium Sigericum è priore conjuge natum, quaſi ſceptro paterno inſidiantem, vitâ exueret. Quid non crederet uxori maritus? Filium vino ſopitum loro extinxit. Verùm aſperſas filii cruore manus tam multis lavit lacrymis, ut quem ſic pœniteret, penè innocens dici poſſet. Monitus intereà ab ignoto ſene, ſuam potiùs vitam, quàm filii (qui cœlo frueretur) mortem defleret, ad D. Mauritii tumulum abiit, cauſámque illi commendavit, ageret hanc ut ſuam olim apud DEUM, adeſſe fatentem reum; ſupplicia precari, non deprecari; ſæviret nunc pater DEUS, modò olim judex parceret; quam pœnam tam nocens filius meruiſſet, tunc ſe monſtraſſe, cùm innocentem occideret: lacrymis non poſſe ſatis elui manus, ſanguine poſſe, ſed ſuo: huic fundendo jam ſe initium dediſſe, quum filii funderet; quem malè libaſſet, rectiùs ſe litaturum. Etverò damnatus voti eſt: bello enim à Clodomiro Francorum Rege petitus, captus, capite plexus, & in puteum abjectus eſt. Sed tam ignobile ſepulchrum pœnitentis, illuſtrius cantu ſuo luminibúsque cœ um fecit: quin ægri magno numero morti jam proximi ſanitatem inde ſuam hauſerunt. Occubuit Anno 626. Calendis Maij, albo poſteà Sanctorum inſcriptus, adhuc ſuo nomine in multis gratioſus.

Andr. Brunn. in faſtis. Sur. in vita. Franciſc. Haræ. in vita. Gregor. Turon. in hiſt. Franco. Henning. P. 1. Germ. fol. 9.

DIE II. MAII.

S. THEODULPHUS PRESBYTER.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit Caroli Magni Imperatoris nepos, uti ſcribunt Joannes Gualterus & Gabriel Bucelinus, quo autem patre aut matre; num ex filiorum Caroli aliquo vel filiarum, non indicant.

Acta Synoptica.

Jo. Gualter. in Epiſc. Trevir. fol. 1455. Bucelin. in Menol. ad 2. Maij. Maſen. in Epito. Annal. Treviren. fol. 462.

GEneroſo rerum ſeculi, opum & delitiarum contemptu ſublimis exſplenduit THEODULPHUS, Presbyter primùm ordinatus, deinde ad quoddam Urbis vel territorii Trevirenſis Aſceterium digreſſus, religioſæ vitæ ſe dedit, in quâ omni virtutum genere excultus, ſanctitate quoque illuſtris evaſit. Hic fortè, eſt cujus corpus incorruptum, & pelle adhuc veſtitum, Anno 1240. Treviris repertum, ad Eccleſiam PP. Dominicanorum translatum, ſcripſit Maſenius, & appellat Rhemenſem Abbatem. Plura ab aliis exſpectamus.

DIE III. MAII.

S. ANFRIDUS EPISCOPUS LEODIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, cujus neptis Bertha fuit, Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator, à quo post. VI gradus Itha Lotharingica, magna avia hodiernorum Archiducũ.

Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Rex Bavariæ.	Robertus Comes Teisterbantii frater Eberhardi, cujus abnepos S. ANFRIDUS.
|	|	
Arnulphus Imperator.	Bertha Uxor Eberhardi Comitis Cliviæ & Teisterbantii.	
|	|	
Bertha, cujus maritus	—S. Luithardus Comes Cliviæ.	

Acta Synoptica.

ORtum ANFRIDI ex illustri Cliviorum Ducum sanguine derivat Theodorus Rhay, & ante illum Henninges: at verò Bucelinus Brabantiæ Comitem, & Gualterius Comitem Bratuspontium appellavit, per errorem puto Typographi, cùm debuisset poni Teisterbantii. Patrem habuit, cujus nomen in Genesi non exprimitur, abavum vel atavum Robertum fratrem Eberhardi Cliviæ Comitis, & patruum S. Luithardi. Ipse relictâ, quam sectatus fuit, militiâ, & uxore, ad divina animum applicuit, & miro omnium consensu electus Episcopus Ultrajectinæ Ecclesiæ decimus octavus, morum sanctitate, & inprimis erga DEUM ac superos Religione se familiámque suam illustravit. Conjugem Hilsmundam cum filia Benedicta, juxta earummet desiderium, in condito à se Thurinensi Parthenone velavit DEO consecrans. Comitatus Teisterbantii ditiones ita divisit, ut cùm esset postremus suæ familiæ Teisterbantiæ, partem propinquis Cliviæ Comitibus, potiora verò Ecclesiæ Ultrajectinæ transcripserit. Condidit etiam nobilissimum Amersfordiense Cœnobium, & munificentissimè dotavit. Oves sibi commissas per se non per alios pavit, ipse monitor, prædicator, & custos, intentus ad omnia: identidem illis inculcans, ut pro peccatorum freno metum gehennæ cordi suo inscriberent, & ad divini judicii perpendiculum omnia librarent, qua & ipse unà gradiens, ac de virtute in

Guater. Chron. Chronico. de Episc. fol. 1534.

Theod. Rhay. in animad. illust. ad 3. Maij.

Aria. Barland.

Gerard. Noviomag.

Joan. Molan.

Bucelin. Menol. ad 3. Maij.

Henn. P. 2. Germ. fol. 363.

in virtutem ambulans Sancti nomen decúsque obtinuit. Senio confectus, cùm oculis caligaret, & viſu deficeret, id velut amantiſſimi Numinis flagellum amplexus filiali reverentiâ, ad montem ſanctum magnæ Virginis Amersfordienſe Cœnobium ſe contulit, ubi reliquum vitæ exegit, multis poſt obitum ad ſepulchrum, quod vivus ſibi in ea Eccleſia ſtatuerat, miraculis clarus. Deceſſit Anno 1008. ut habet Gualterius, vel 1010. ut Bucelinus, die 3. Maij.

Eâdem

Eâdem DIE III. MAII.

B. MAPHALDA LUSITANA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Sancius I. Rex Luſitaniæ.

B. MAPHALDA. — Alphonſus II. Rex Luſitan. — B. Thareſia. B. Sancia.

Alphonſus III. Rex Luſitan.

Dionyſius Rex Luſitaniæ, cujus ſoceri ſoror Eliſabetha, Uxor fit Friderici Pulchri Cæſaris Auſtriaci.

Alphonſus IV. Rex Luſitaniæ.

Petrus I. Rex Luſitaniæ.

Joannes Rex Luſitaniæ.

Eduardus I. Rex Luſitaniæ.

Eleonora Luſitana Uxor Friderici III. Imperatoris Habſpurgo-Auſtriaci.

Maximilianus I. Imperator, & reliqui Auſtriaci uſque ad hodiernos rectâ lineâ.

Alios nexus vide in B. Sancia ſup. die 13. Martii.

Acta Synoptica.

MAPHALDA Henricum primum Caſtellæ Regem maritum habuit, â quo propter ſanguinis propinquitatem publicâ ſententiâ disjuncta, in reſtitutum ſuis facultatibus Aroquenſe cœnobium ſe recepit. In eo rariſſimis effulſit virtutibus, à præcipua inprimis erga SS. Trinitatem devotione & SS. Angelorum cultu commendata. Fuit etiam orationis, & ſacræ meditationis ſtudio addictiſſima, tenerrimi corpuſculi ſui hoſtis acerrima, quod hiſpido cilicio, & multis jejuniis atterebat, feriis 2. 4. & 6. ſolo pane & aquâ ſe reficiens. Silentii & diſciplinæ religioſæ adeò tenax, ut variis in vita & poſt obitum ſignis à DEO meruerit illuſtrari. Cùm autem felicem tranſitûs horam propediem ſibi inſtare certa foret, de ſepultura ſua ipſa diſponens, funus ſuum mulæ imponi, & ibi demum ſepeliri juſſit, ubi mula ſubſiſteret. Obiit autem prope Amaranthum, & mula ſacri pignoris bajula nullo duce Aroquam contendens, templum

Anton. Vaſcon. cell. in Anacæphal. Bucelinus in Menol. Raderic. Toleta. Angel. Manrique.

ipſum ingreſſa, ſtupentibus univerſis, flexis ante aram S. Petri genibus non ſolùm ſubſtitit, ſed & depoſito pretioſo onere mox ibidem extincta eſt. Nuda proinde omni veſte ſancta Regina, prout moriens diſpoſuerat, grandi ſolùm ſuo ad ſtaturam corporis commenſurato cilicio cooperta, tabulæque cinere conſperſæ impoſita ac ſepulta, multis deinceps atque inſignibus prodigiis celebrata eſt, innumerabili populi multitudine ad tumulum ejus confluente. Inventum eſt corpus ejus Anno 1617. incorruptum, præter modicas partes, quibus oſſium aliquid apparebat, cœterùm facie ita vivida & florida, ac ſi eâ ipsâ horâ vivere deſiiſſet, cœleſtis odoris fragrantiâ univerſos recreante. Auditi etiam à nonnullis Angelorum cantus; & præſente ac intuente Epiſcopo, non pauci ægri ibidem curati ſunt. Beatæ titulum ei tribuit Bucelinus, & ad 2. Maij refert: nos unà ſubſequimur. Claruit Anno 1252.

Bucel. in Chronol. Maria.

DIE IV. MAII.

S. ETHELREDUS REX MERCIORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Charibertus Rex Parisiorum.

|

Adelberta Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

|

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

|

Ercombertus Rex Cantiorum. — Penda Rex Mercíorum.

|

S. Ermenilda cujus maritus — Wulfherus Rex Merciorum — S. ETHELREDUS Rex Merciorum.

Acta Synoptica.

Ingulph. Croylandē. Guil. Malmesburien. Matth. Westmonasterien. Polydo. Virgil. Bucelin. Menolog. Bolland. To. 2. Jan. f. 176.

THUit ETHELREDUS potentissimi & bellicosissimi Regis Merciorum Pendæ Pagani filius, frater Wulpheri Regis, cui in regno successit, annisque uno & triginta summa in pace felicissimus imperavit. Regalem denique vitam aspernatus, Bardoniense Diœcesis Lincolniensis Monasterium ingressus, stupentibus universis, purpurâ positâ, insuetum vitæ rigorem amplexus est; nec multò post tanto splendore virtutum enituit, ut Abbas ejus Monasterii eligeretur. Obiit non sine celebri sanctitatis opinione circa Annum 716. ex eo etiam immortali memoriæ commendandus, quòd præterito filio charissimo Ceolredo successorem sibi fratris filium Coënredum designarit, utpote, quem utilissimum regno fore, ob probatissimæ pietatis eximias notas non ignorabat: qui tamen posteà, uti patruum religiosissimum in regno, sic & in religiosa vita secutus, post felicem quinquennii administrationem, Coënredo regnum sponte cessit ac resignavit. Refertur ab aliis ejus natalis ad 13. Aprilis, ab aliis ad 23. ejusdem, ut Wilsono, Ferrario, Alfordo, sed hic fuit diversus à nostro, & Rex occidentalium Saxonum. ETHELREDUS Merciorum Rex ad 4. Maij refertur à Bollando & Bucelino.

DIE V. MAII.

S. MAURONTUS ABBAS BROYLENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

Gerberta vel Gerbirga filia S. Gertrudis, Uxor (secundùm Blondellum) Ægæ vel Ægani majoris Domus sub Dagoberto Magno Rege.

Sigefridus Comes Pontivensis. Uxor S. Bertha.	Erchinoaldus Major Domus Clodovæi II. Regis.	S. Adalbaldus Dux Duacenus. Uxor S. Rictrudis.
	Leodisius Dux. Uxor N - - ex sanguine S. Sigismundi Regis Burgundionum.	S. MAURONDUS vel Morandus Abbas, cum SS. Sororibus Clotsende, Alsende, Eusebia.
	Attico Dux Alemanniæ. Uxor Bersvindes soror Blithildis Reginæ.	
	Adalbertus Dux Alsatiæ & Alemanniæ.	Etho Comes Brisiacæ.
	Luitfridus Comes Sundgoviæ, Uxor Hiltrudis Habspurgica hæres Comitatus, quæ sine liberis adoptavit Ottobertum cognatum.	Albericus Comes Leberthallensis.
		Ottopertus Comes Habspurgicus, secundus author Habspurgicorum, à quo cæteri usque ad hodiernos.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 5. Maij. Joan. Molan. Ferreol. Locrius. Aubert. Miræus. Arnold. Duac. Bolland. 6. Jan. in prætermiss.

IN stirpes abeunt ut vitia, sic virtutes. Sanctorum progenitorum sancta soboles MAURONTUS (*è veterum Galliæ Regum sanguine oriundus*, ut ait Bucelinus) Belgicarum Provinciarum decus æternum fuit. Eum è sacri baptismi lavacro S. Richarius excepit, & sibi equo insidenti in manus datum, ferociente equo delapsum prodigiosè illæsum servavit. Mortuo patre sororum & matris exempla æmulatus, aulâ cognati Regis, amplissimisque possessionibus relictis, sponsæ lectissimæ renuntians, vitam religiosam amplexus, durè in corpus suum animadvertit. Hamatici primùm, dein Marcenis DEO serviens, Broylensi demum condito Cœnobio primus Abbas præfuit, qui locus deinde ab ipso Mervilla, quasi Mauronti villa dictus est. Ad eum cùm S. Amatus Senonensium Pontifex Theodorici Regis Tyrannide proscriptus divertisset, eundem Fratribus præesse voluit, neque priùs quàm ipso mortuo & Broyli tumula-

mulato regimen recepit. Præfuit poſt ejus obitum adhuc annis ferè duodecim, plurimos pulcherrimo vitæ exemplo Chriſto lucratus, & ſub Annum 701. ex hac lacrymarum valle ad gaudia migravit æterna, plurimis deinceps glorioſus miraculis. Inter quæ penè recens. Cùm anno Chriſti 1556. Gaſpar Colinæus Gallorum Dux ſeu Ammiralius Duacenam urbem oppugnaret, viſus eſt S. MAURONTUS, populo ſpectabilis in veſte Monachica aureis inſperſa liliis, dextrâ regale ſceptrum vibrans obire mœnia, & urbem defendere: quod ſingulare ejus beneficium S. P. Q. Duacenus memoriâ ſolenni quotannis, die capiundæ urbi condictâ, meritò celebrat.

DIE VI. MAII.

B. PLECTRUDIS DUCISSA BRABANTIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio derivat Habſpurgicos, per hujus pronepotem Sigebertum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ. Uxor B. PLECTRUDIS.

Nexus II. ex Henninge, paternum genus.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Albericus Dux Francorum.

Walbertus I. Dux Moſellanus. Uxor Lucilla filia Zenonis Imperator.

Theodo I. Dux Bavariæ.

Lucilla cujus maritus — Theodo II. Dux Bavariæ.

Utilo Dux Bavariæ. Uxor Clothildis filia Theodorici Regis Auſtraſiæ.

Theodo III. Dux Bavar. Uxor Reginotrudis, filia Theodoberti Regis Auſtraſiæ.

Theobaldus Dux Bavariæ.

Taſſilo Dux Bavariæ.

Garibaldus II. Dux Bavariæ.

Theodo IV. Dux Bavariæ.

Taſſilo II. Dux Bavariæ.

Grimoaldus Dux Bavariæ.

B. PLECTRUDIS ſeu Bluthrada.

Acta Synoptica.

Matth. Rader. in Bavar. ſancta. P. 2. fol. 42.

ILluſtribus Encomiis celebratur ab antiquis ſcriptoribus memoria PLECTRUDIS, ſive Bluthradæ. Aimoinus Nobiliſſimam & Sapientiſſimam fœminam: Author Vitæ S. Swiberti ſanctam, felicem, gloriosam, illuſtrem, devotam, appellat: Nuſſienſis Canonicus de Pipino agens: *Iſte du-*

duxit ſanctam PLECTRUDEM. Raderus & Stangefolius Beatæ titulum ei tribuunt. Nupta Pipino Heriſtallo ei peperit Drogonem brevis ævi, & Grimoaldum Præfectum Palatii Regis. Cùm verò maritus Alpaidis pellicis irretitus fuiſſet amoribus, ſeceſſit illa Coloniam, ubi SS. Swiberti & Willeici converſatione tantum profecit in virtute, ut totam ſe rebus divinis impenderet. S. Swibertus (ut ait Stengefolius) Angelica revelatione admonitus, Coloniam ſeſe tranſtulit ad venerabilem PLECTRUDEM Pipini conjugem, quæ devota Princeps devotè eum ſuſcepit, factúmque ut ſancti Viri impulſu per præfatam PLECTRUDEM palatium Ducum Lotharingorum, quod inhabitabat, mutatum & conſecratum fuerit in clauſtrum Sanctimonialium, intitulatúmque Eccleſia B. Virginis MARIÆ ad Capitolium. Illuſtri cuidam Palatino Geraldo, deſperato à ſuis, rogatu PLECTRUDIS ſanitatem prodigiosè reſtituit S. Swibertus, & miſſus ad Pipinum Legatus à PLECTRUDE obtinuit Cæſariswerdam, ubi ejusdem Beatæ Principis auxilio Monaſterium & Eccleſiam conſtruxit. Rurſus ad ægrotantem Pipinum miſſus cum Agilolpho Colonienſi Archiepiſcopo S. Swibertus, rogaturus, ne legitimâ prole poſthabitâ, Carolum Martellum hæredem ſcriberet, Alpaidis juſſu, quæ id ſubodorata erat, re infecta coactus eſt recedere. PLECTRUDIS interea divinæ ſe providentiæ committens, Cœnobiis & Eccleſiis augendis, ornandis intenta, pluribus poſt maritum annis ſupervixit, multis afflicta calamitatibus, patientiæ colligens meſſem, & tandem in ſuo Parthenone Coloniæ in Capitolio ſanctè obiit, ibidem humata. Plurimum ei debet Paſſavienſis Epiſcopatus, quem magnis opibus auxit, & ut ajunt, Baſilicam S. Stephani à fundamentis erexit, operariis publicè propoſitâ pecuniâ, unde quisque ſumeret quod vellet, neque tamen ullus plus accipere potuit, quàm meruiſſet. Hæc vetus apud Paſſavienſes traditio.

Nuſſienſis Canon. in Chron. magno Belgii f. 26.
Stangefol. in Circ. Weſtphal. lib. 2.
Marcelin. in vita S. Swiberti.
Surius in vita.
Bolland. To. 3. Feb. fol. 25. & To. 1. Mar. fol. 78.

Eâdem

Eâdem DIE VI. MAII.

B. ELISABETHA PRINCEPS HUNGARIÆ, MONIALIS S. DOMINICI.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator
Habſpurgicus.
|
Albertus I. Imperator.
|
B. M. Agnes Auſtriaca, cujus maritus — Andreas III. Rex Hungariæ, cujus filia ex priore conjuge
|
B. ELISABETHA Monialis.

Acta Synoptica.

Tho. Ebendorff. de Haſelbach. in Hiſt. Auſtr. MS.

Bucelin. Conſt. Chronol. ad ann. 1390. & ſeqq.

TRucidato ad Badenam ab impiis parricidis Alberto I. Cæſare Auſtriaco, uxor ejus ELISABETHA vidua, molitura in cædis loco Cœnobium, unácum filia Agnete Regina Hungariæ etiam vidua, & hujus privigna ELISABETHA in Helvetiam venit. Ubi cùm Königsfeldenſe Cœnobium conderetur, materno ſuaſu ELISABETHA Virguncula ad illud deſtinabatur, ſed aliud viſum divinæ providentiæ; cùm ſive ob aſperitatem aliquam novercæ (aliàs pientiſſimæ heroinæ) ſive amore vitæ Religioſæ tempeſtiviùs inchoandæ, ad recens Monialium D. Dominici in Töſs, prope Winterthurum, animum adjecit ELISABETHA. Commendata igitur Monialibus, ſuſcepto ſacro velo, ſolis quindecim hebdomadibus in Tyrocinio exactis, ſolenni ſe profeſſione per vota DEO obſtrinxit, anno ætatis decimotertio. Aberat tunc Romæ Gerardus Conſtantienſis Epiſcopus loci Ordinarius, quo redeunte advolat Henricus Dux Auſtriæ Agnetis Reginæ frater, Regni Hungarici hæredem, ſibi & Regno ereptam queſtus. ELISABETHAM in Cœnobio Töſſenſi, tanquam ſponſam promiſſam convenit: nullam eſſe Profeſſionem, cùm propter ætatem, tum propter Tyrocinii vix cœpti neque exacti defectum, violentiam prætereà ſibi factam aſſeverat: & puellam depoſito cucullo ſecum molitur abducere. ELISABETHA verò deliberandi petito ſpatio, coram Venerabili altaris Sacramento ſe proſternit, multúmque fluctuans, tantoperè in eo conflictu deliberationis laborat, ut à ſenſibus aliquamdiu alienata, ex ore ac naribus plurimum ſanguinis effunderet; donec mirificè à Numine roborata, internâ quadam voce, conſtans manere juſſa, alacris conſurgeret, & Sponſo diſertiſſimis verbis: *Potentiori ſe manum dediſſe, cui fidem frangere nullo modo vellet*, ediceret, triſtiſſimúmque à ſe dimitteret. Fuit deinde in omni vita prodigioſæ patientiæ, cùm in pauperrimo, & rebus neceſſariis ferè omnibus deſtituto Monaſterio ageret, haberétque prætereà morum Magiſtram auſteri ingenii fœminam, è Baronum de Busnang familia, ſorore Ru-

Rudolphi Imperatoris natam, quæ tenellam & Regiam puellam immitiùs, etiam ſororum teſtimonio, tractare eſt viſa. Sed hæc omnia pacatiſſimo animo tolerans ELISABETHA, ad perfectionis religioſæ culmen contendebat. Biennio ante mortem quartanà cœpit laborare, dein torminum violentiâ tota inutilis facta, ut nullà ratione ſe movere, aut membris uti poſſet, mox ſanie quoque regium corpus exedente, admirandæ ſemper patientiæ exemplum fuit ſororibus, quæ vix crederent fœminæ animum ad tantos cruciatus ſufficere. Aſſidua illi conſideratio Chriſti in Cruce ſuffixi, cujus dolores ſuis acerbiùs ſentiebat. Tandem à S. Eliſabetha Landgravia Thuringiæ cognatâ ſuâ de cœlo visâ deſcendere, ad ultimum agonem ſe componere juſſa, placidiſſimè exſpiravit anno Chriſti 1338. ætatis 41. religioſæ vitæ 28. in vita & morte inſignibus prodigiis illuſtrata. Sacrum corpus inſepultum per dies octo uſque ad Agnetis Reginæ adventum aſſervatum eſt inſepultum, cui advenienti de nocte glorioſa apparuit, nive candidior, ſupra duas ulnas, etiam miniſtris ſpectantibus, in aëre elevata, novercam allocuta, adſtantibus tamen dicta non audientibus. Per triginta hebdomadas deinde in ſepulchro jacuit ſacrum corpus, quod cùm ob ſanctitatis manifeſta indicia, tum ob Regii generis dignitatem, elevare placuit, & in lapideum inferre ſarcophagum: & ecce adeò incorruptum repertum eſt, ut ne veſtigia ulceris uſpiam apparerent, cœleſtis odoris fragrantiâ inde erumpente.

Beatam illam appellamus cum Bucelino.

DIE VII. MAII.

B. GESILA REGINA HUNGARIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Piespordii, Lazii, Henningis.

Ermentruda Habspurgica filia Luitfridi Comitis. Uxor Conradi Ducis Burgundiæ Transjuranæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Juranæ.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

Conradus Rex Burgundiæ.

|

Gisela Uxor Henrici Hezelonis Ducis Bavariæ.

S. Henricus II. Imperator. — B. GISELA Uxor S. Stephani Regis Hungariæ.

Nexus II. ad mentem Chiffletii.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Chifflet. Lum. 6. ad Vindic. Hisp.

Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator.
Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Imperator.
Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Luitgardis Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.	Ludovicus Transmarinus Rex.
Henricus I. Imperator.	Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
Henricus Dux Bavariæ.	Gisela Uxor Henrici Hezelonis Ducis Bavariæ.
Henricus Hezelo Dux Bavariæ.	B. GISELA Regina Hungariæ.
B. Gisela Regina Hungariæ.	

Acta Synoptica.

MAgistrum sanctitatis S. Wolfgangum Episcopum Ratisbonensem habuit GISELA, qui puellam appellare consuevit Reginam, uti fratrem ejus Henricum Imperatorem, præscius futurorum. Nubilis in Matrimonium elocata est Stephano Ungariæ Regi, quem Christo peperit, cum ipso totius Pannoniæ mater: quod enim agunt Principes, facilè subditi imitantur. Tota illico Pannonia se Christo submisit, quem à Stephano Rege suo vidit adorari. Sanctitatem GISELÆ æmulatus maritus, nonnisi sanctam prolem gignere debuit Emericum, quem ad breve tempus cœlum dederat, ut reciperet futurum potiùs Patronum quàm Regem. Orba filio, & viduata marito GISELA in patriam se recepit. Pataviæ Cœnobium ingressa, amitæ suæ Helicæ succedere meruit Abbatissa. Ubi denique sanctis operibus copiosè ditata, in pace requievit Anno 1095. cùm vitæ centesimum supergressa esset. Beatæ titulum ei tribuit Bucelinus, nullum tamen, quod sciam, Ecclesiasticum cultum habet. Bonfinius plura de illa profert, ex quibus fragmen decerpimus: *Præter pudicam temperatissimámque vitam, tantum in Divos hominésque pietatis ostendit, ut divino potiùs, quàm humano consensu se Stephano* GISELA *conjugasse putetur. Certatim utrinque sanctissima facta manabant, divinâ charitate neuter æquo animo superari patiebatur, & in Christo conjuncti conjugalem amorem redintegrabant. Quanquam in omnes pientissima, præcipuâ tamen beneficentiâ in miserabiles ac calamitosos, in sacerdotes ac templa utebatur. Basilicas omnes profusâ liberalitate prosequebatur, nequid divinarum rerum ornamentis deesse videretur, simulacra Divorum ex postulato argento obryzóque multo dicavit. Item gemmatas phialas, sacras vestes ex auro contextas, insano sumptu factas per collegia sacerdotum sæpè distribuit. Vesprinensem Basilicam propriâ impensâ exædificavit, abundéque donavit rebus omnibus, quæ cultui divino usui esse solent: uberrimos quoque proventus adjecit, unde Antistites cæteráque sacerdotum collegia pro dignitate viverent.*

Bucelin. in Menol. Rader. in Bavar. S. vita S. Henrici. Wigul. Hund. Metrop. P. 2. de Monast. Nidernburg. Bonfin. in Annal. Hungar.

Hæc ille: plura alii.

DIE VIII. MAII.

S. GODO EPISCOPUS METENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childericus Rex Francorum.
|
Clodoveus I. Chriſtianus Rex Francorum.
|
Clotharius Magnus Rex Francorum.
|

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo certâ ſerie Carolingi & Habſpurgici.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
|
Vaubertus ſive Walbertus Dux Moſellanus. Uxor Clothildis filia Almarici Regis Gothorum.

- S. Goëricus Epiſc. Metenſis.
- S. GODO Metenſis Epiſcopus.
- S. Deotarius & S. Firminus Epiſcopi Uzetiæ.

Acta Synoptica

Auth. vitæ S. Adalberonis ap. Labbe To. 1. Biblioth. fol. 682.

Beyerlin. in Cat. Epiſcop. Metens.

Bucelin. P. 1. Germ. in Epiſc. Met.

AUthor vitæ S. Adalberonis Epiſcopi Metenſis, apud Labbeum, GODONEM, quem Beyerlinck Dodonem appellat, Sancti titulo exornat, cùm ait: *Beatus Goëricus noſtris temporibus memorabilis miraculorum operator, & S. GODO germanus ejusdem Pontificis Goërici, qui S. Arnulphi etiam ſanguine & carne affines in Epiſcopatu ſucceſſerunt.* Acta ejus latent. Sedit annos decem, menſes duos. Obiit 8. Idus Maij, incertum quo anno. Ei ſucceſſit S. Clodulphus filius S. Arnulphi II. Epiſcopi ex Ducibus Auſtraſiæ. Plura ſuggerent alii.

DIE IX. MAII.

B. PETRUS PRINCEPS LUSITANUS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Henningis.

Gulielmus Bolonienſis Dux Lotharingiæ.

Theodoricus Dux Lotharingiæ. Uxor Bertha filia Ducis Moſellani.

Henricus Comes Limburgenſis, Uxor Thereſia, filia Alphonſi Regis Hiſpaniæ.

Ita Lotharinga, Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo reliqui uſque ad hodiernos Comites, & Archiduces Auſtriæ.

B. PETRUS Princeps Luſitaniæ.

Alphonſus I. Rex Luſitaniæ, à quo cœteri uſque ad Eduardum, cujus filia Eleonora Uxor Friderici III. Imperatoris Auſtriaci, magna Avia hodiernorum Archiducum.

Nexus alios vide in B. Sancia die 13. Martii. B. Maphalda die 3. Maij.

Acta Synoptica.

HEros bello ſpectatiſſimus PETRUS, Alphonſi I. Regis frater, ſed ex alio thoro, mirâ rerum gerendarum dexteritate, inſignique nominis famâ Hiſpanias non ſolùm ſed & Gallias implevit, ubi cùm juvenili ætate militiam ſequeretur, D. Bernardo Claræ-vallenſi familiaris factus, Alphonſo fratri author fuit, Alcobacium celebre Ciſtertienſium Cœnobium erigeret. Accidit fortè eum, cum lecta nobilitatis manu, ad D. Bernardum divertere, imminente ſacro quadraginta dierum jejunio. Contendit ab iis enixè Bernardus, ne quod parabatur torneamentorum colludio intereſſe vellent, ſed reclamantibus univerſis, in ea demum verba erupit Bernardus: *Confido autem in Domino, quòd ipſe mihi dabit inducias quas negaſtis:* accerſitóque fratre cerviſiam ipſis propinavit, eam benedicens inſigni propinandi ritu hortatus eſt: *Biberent potionem animarum.* Biberunt univerſi, metuentes tamen nonnulli effectum, qui ſecutus eſt. Nam vix Cœnobium egreſſi virtutem cereviſiæ divinam ſenſerunt, fuerúntq; illis non jam alii quàm de ſeculo deſerendo ſermones, reverſíque eâdem horâ militiæ ſpirituali nomina dederunt. PETRUS tamen in Luſitaniam rediit, ubi aliquot deinceps annis contra fidei hoſtes gloriosè pugnavit, inſignes à Saracenis reportans victorias, donec à Bernardo, cœlitibus jam adſcripto, mirè viſitatus ad profeſſionem vitæ Monaſticæ animum adjecit, & Alcobacii Ciſtercienſem ordinem amplexus eſt. Ibi multo illuſtriores de ſe ipſo, quàm antea de hoſtibus triumphos retulit: Deiparæ Virginis obſequiis addictiſſimus: cujus dum effi-

Gabr. Bucelin. Menol. ad 9. Maij.

Anton. Vaſconell. in Anacæphalæo.

Chryſoſt. Henriq.

Angel. Manriq. in Annal. Ciſterc.

giem contemplaretur, vel Angelicam Salutationem pronuntiaret, rariſſimo amoris argumento à ſenſibus abſtractus in extaſim rapiebatur. Totas ferè noctes exigebat inſomnes, nec niſi ſemel in die parciſſimo cibo refici voluit. Cilicio item uſus, carnem perpetuo damnabat cruciatu, additis cruentis flagellationibus. Luxuriæ nihilominùs tentatione inter hunc vitæ rigorem pulſatus, ad Virginis Deiparæ auxilium confugit, quæ illi humanâ ſpecie viſibilis opem tulit. Nunquam induci potuit, ut ſacros ordines ſuſciperet, ſed laicus Frater mori prælegit. Silentii & Regularis diſciplinæ fuit obſervantiſſimus, ut per ſex Menſes continuos aliquando ſtrictiſſimè ſilentium obſervaverit. Cúmque egregiis clareret virtutibus, feliciter tandem in Domino obdormivit, mirâ cœleſtis odoris fragrantiâ, ſtupentibus univerſis, totam illicò replente domum.

Beati titulum ei attribuit Bucelinus, ex quo iſta decerpſimus.

DIE X. MAII.

B. BEATRIX ATTESTINA I. MONIALIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

- Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
  - Gerburga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.
    - Gisela Uxor Conradi II. Imperat.
      - Henricus III. Imperator.
        - Mathildis filia Henrici.
          - Fulco II. Marchio Estensis.
            - Fulco III. Marchio Estensis.
              - Obizo V. Marchio.
                - Azo VIII. Marchio, cujus filia B. BEATRIX I. Estensis seu Attestina.
      - Itha Uxor Azonis IV. Estensis Marchio.
        - Bertholdus Estensis, Uxor Sophia Habspurgica, filia Bertholdi III. Ducis Zaringiæ.
        - Azo VI. Uxor Estensis.
- Carolus Dux Lotharingiæ.
  - Ermingarda Comitissa Namurci.
    - Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.
      - Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri usque ad Hodiernos Archiduces.

Alios Nexus vide in Beatrice II. Astensi die 18. Januarii.

Acta Synoptica.

BEATRIX prior hujus nominis Estensis familiæ Beata, patre Azone VIII. & matre Leonora Sabauda progenita, Salariolæ primùm, dein Gemulæ professa Monasticen, tanquam gemma pretiosissima inserta illustrissimæ stirpi, ei decus immortale conciliavit. Paupertatis religiosæ studium tantum in ea effulsit, ut cùm aliquando nummus argenteus super altari repertus

Bucelin. Menol. ad 10. Maij. Albert. Prior in ejus vita.

tus fuiſſet, & nullus alius in Monaſterio eſſet reliquus, præcepit quam primum eum in egenos erogari: *Ne quæſo*, inquiens, *nummus iſte ſplendidum nomen perfectiſſimæ paupertatis obnubilet, quam Deo promiſimus, & is avaritiæ principium, & malum propagandæ paupertatis ſemen apportet nobis.* Vixit vitam longè puriſſimam, verum ſui ævi, maximorum Principum (quos totâ ferè Europâ ſanguinis propinquitate attingebat) eximium ſpeculum, & rarum ſanctitatis exemplar, Anno Chriſti 1226. ad Sedes Beatorum translata, & in Sacello S. Joannis Baptiſtæ tumulata. Poſt ejus mortem per longa tempora obſervatum eſt, quòd, quoties novi aliquid, præſertim ſiniſtri, Eſtenſi ſuæ familiæ immineret, toties multis antè diebus in ſacello ejus ſtrepitus aliquis audiretur, & ſacrum ejus corpus, quod ſupinum jacebat, in alteram ſe partem revolveret; tantæ Patronæ ſuæ beneficio Illuſtriſſimâ gente commonitâ, ne quis inopinatus caſus minùs præparatam offenderet. Refertur inter Beatas hoc die à Bucelino. Vitam ejus conſcripſit Albertus Prior Vincarum.

Joã. Bapt. Pigna in Chron. Eſtenſi.

Arnold. Wion. in ligno vitæ.

Molanus in Martyrol.

Bolland. addit. ad To. 2. Januar. fol. 1136.

DIE

DIE XI. MAII.

B. M. UDALRICUS, DYNASTA EBERSPERGENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

- Carolus Calvus Imperator.
  - Ludovicus Balbus Rex.
    - Carolus Simplex Rex
      - Ludovicus IV. Rex.
        - Carolus Dux Lotharing.
          - Ermingardis Uxor Alberti Com. Namurcenſis,
            - Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharing.
              - Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos.
- Lotharius Imperat.
  - Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.
    - Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.
- Ludovicus Rex Germaniæ.
  - Carolomannus Rex Bavariæ.
    - Arnulphus Imperator.
      - Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ Mater Henrici Aucupis.
    - N - - - ſoror vel frater Arnulphi.
      - Sighardus Comes de Sempta & Eberſperg.
        - Ratholdus Comes ab Eberſperg.
          - Adalbero I. Comes ab Eberſperg.
            - S. Hademunda peregrina Hieroſolymis defuncta.
            - B. M. UDALRICUS Comes ab Eberſperg. Uxor B. Richarda Carintha.

Alium nexum vide in B. Richarda die 24. Martii & S. Hademunda.

Acta Synoptica.

SIghardus Comes de Sempta, qui primus Eberſpergam arcem contra Hungaros propugnaculum condidit, Carolomanni nepos vel pronepos creditur, utpote quem Arnulphus Imperator dilectum ſuum propinquum appellat in diplomate dato Ratisbonæ Anno 888. occubuit in bello Ungarico Anno 906. ſubſecutus filius Ratholdus Anno 919. fatis conceſſit, relictis filiis Eberhardo & Adalberone, quorum ille ſine liberis obiit, hic ex Luitgarde conjuge UDALRICUM (præter alias proles) genuit. Nomen ſortitus eſt UDALRICUS à S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano, ab ipſo ſacro fonte luſtratus, vel ut alii putant, ex eo levatus. Puerulus inter alios elegantiſſimus variis morbis afflictus tabeſcebat; ex amitæ igitur conſilio, quæ erat religioſiſſima mulier, prædium, quod Eberhardus alter frater moriens deſtinaverat D. Sebaſtiano, juſ-

Rader. Bav. S. To. 2. fol. 167. Arecbeck. Chron. Fundat. Mon. Hund. in Metrop. Salisb. Megis. Annal. Carinth. Jo. Avent. lib. 5. Annal. Boic.

ſus eſt reſtituere parens Adalbero, & puerum Divo commendare. Admiſit ille ſalubre ſororis conſilium, & ſua manu puerum ſummo altari (in quo Calva D. Sebaſtiani recondita erat) impoſuit, ac triginta aureis redemit, ſpondens annuatim illud tributum etiam poſteritati imponendum, ſi filium incolumem reciperet. Non fuerunt irrita vota; nam UDALRICUS mox cœpit convaleſcere, priorémque elegantiam vultus recuperare. Atque hoc primum fuit, quod eo loci celebre fecit patrocinium S. Sebaſtiani. Decedentibus poſt hæc parentibus, cùm annum decimum octavum ageret UDALRICUS, conjugem è Carinthia impetravit Richardem filiam Marquardi poſteà Carinthiæ Ducis, cui viciſſim ſororem ſuam Hademundam thori ſociam transmiſit: ante omnia memor accepti per D. Sebaſtianum beneficii, & ſolicitus ut vota parentum exſolveret, templum D. Sebaſtiano molitus eſt, quod diù ut conſecraretur ab Epiſcopo Friſingenſi impetrare non potuit; ſacra lipſana auro & argento ac gemmis exornavit, peregrinis oſtendi & veneranda proponi voluit, nihil interim prætermittens de pietatis & virtutis ſtudio, ad quod etiam conjugis exemplo animabatur. Cùm filios ſuos jam adultos & matrimonio illigatos ſteriles cerneret, de ſtirpis propagatione ſolicitus, ad D. Sebaſtiani patrocinium rurſus confugit prædia nova illi attribuit, & variis ædem donariis auxit: Sed Deo aliter viſum; & ipſi UDALRICO multò fuit utilius. Nam ſucceſſionem negatam ſuis imputans peccatis toto niſu in Dei ſervitium ſe tradidit, profuſâ liberalitate egenis ſuccurrere; Cœnobia & ſacras ædes dotare ac exornare cœpit, omnem omnino ſubſtantiam illicò erogaturus poſt conjugis obitum, niſi vir ſapiens & ſanctus illi diſſuaſiſſet, melius dicens diu multis benefacere, quàm ſimul omnia elargiri. Conjuge vitâ functâ filios exhortatus, ut non pro matre ſolùm, ſed & pro ſe eorum parente poſt obitum memores anniverſarium non negligerent, mortales ſe eſſe meminiſſent, bonis caducis non adhæreſcerent, anhelarent cœleſtia; ad quæ etiam ipſe magno curſu contendere cœpit. Nam deinceps viduus non ſolùm ab eſu carnium, lautitiâ ciborum & potûs, ſed etiam à verbis otioſis omnibúsque mundi delitiis, jocis, venationibus, aucupiis penitus abſtinuit, cœleſtibus tantùm deſideriis æſtuans, adverſa proſperis longè anteponens. Quare cùm aliquando ex oculo ſiniſtro graviter laboraret, nihil medicamenti adhibere voluit, ut tanto amplius pro Deo pateretur. Accidit etiam, ut ſedens in caſtro ſuo cum familiaribus ſermocinaretur de ſuccreſcentibus indies hujus mundi malis, ſubitò exſilierit, & S. Sebaſtiani templum verſus in genua provolutus exclamarit: *Quamquam antehac ſapius ingemuerim ex eo, quòd nullam prolem ex filiis meis prognatam mihi videre licuerit, ſerósque nepotes ſperare, eámque ob rem nimium ſolicitus pro ulteriore generis mei propagatione, votis ac precibus Deo Domino meo, & tibi S. Sebaſtiane Martyr inclyte, mea cùm vita, tum incolumitatis reſtaurator, humillimè ſupplicaverim: nunc tamen grates vobis immortales ago, quod exauditus non fuerim.* Cauſam rogatus ab amicis, quæ eum in has cogitationes impulerit, ſapientiſſimè reſponderit (neſcio an non magis opportunè pro noſtris temporibus, qui hæc ſcribimus, an pro ſuis) digna certè eſt reflexione ſententia, quam verbis Arenpekii ex chartis Eberſpergenſibus reddo: *Si etiamnum*, inquiebat, *res humanæ, nec non opes ac divitiæ ita forent conſtitutæ, ut ſua quiſque retinens juſtè ac piè in pace, & animi tranquillitate viveret, gauderem quidem, ſi Deus ter Opt. Max. procrea-*

tio.

tionem prolis & longam nepotum ſeriem conceſſiſſet. Quia verò hac noſtra tempeſtate, ubique ſuccreſcentibus dolis ac malis innumeris, vel ignominiosè vivere, vel injuſtè agere quemvis ferè neceſſe ſit, malo multa prole ac ſeris nepotibus carere, quam eos vel ſine honore, vel extra Dei gratiam poſitos videre. In cauſa ſunt eventura ſequenti generationi, eámque oppreſſura majoris infortunii mala. Quamdiu Romani Principes cunctis gentibus ac terris imperarunt, tanto legum ſcriptarum moderamine & præſcripto cunctos rexerunt, ut nemini cederet impunè factum lege prohibitum quodcunque; omnium cauſas actionum juxta normam ſolùm ac regulam legis ſuæ metientes & decidentes. Germanorum autem regno à Romanis ad nos translato, ubi præcepta legalia ceſſaverunt, Sigebertus & Theodoricus, ac poſtea Carolus jura dictare cœperunt. Quæ ſi quis nobilium generoſorum aut illuſtrium diſcere aut noſſe neglexiſſet, ſummæ id illi ignominiæ, maximóque dedecori apud omnes fuiſſet. Unde & me, & omnes coætaneos meos vel peritiſſimos horum videtis. Moderni autem parentes filios ſuos jurisprudentiam docere negligunt penitus. Unde contingit aliquando, ut verâ ſinceráque juſtitiâ in exilium relegatâ, mendoſo jure, & fallacibus opinionibus ſuis innixi, pro ſuo libitu ac voluntate, quouſque vivant, aut juſtos opprimant, aut ex lege temeritate ſuâ de rebus & cauſis iniquiſſimè judicent. Hæc quaſi oraculo quodam locutus UDALRICUS, non multò pòſt hoſpitem habuit Guntherum Auguſtinianæ familiæ Præpoſitum, à quo monitus ut domui ſuæ proſpiceret, obtemperavit, filiis convocatis, Statuta à ſe & matre eorum Richarde accuratè ſervarent, DEO ſervirent, D. Sebaſtianum tutelarem colerent, Religioſos quos ipſe Eberſpergam ex Ordine D. Benedicti induxerat, venerarentur & defenderent, demum annos circiter 80. natus, piè vivere deſiit.

Anno 1029. *certè dignus* (ut loquitur Raderus) *qui in cenſum Beatorum Boiariæ referretur*, nos addimus etiam Auſtriæ.

DIE XII. MAII.

S. MODOALDUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Godinus Aquitaniæ Comes.

Itha Uxor Pipini de Landis Ducis Brabantiæ.

S. MODOALDUS, aliis Rodoaldus, Archiepiſcopus Trevirenſis.

S. Begga Uxor Anſigiſi Ducis Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Franciæ.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & dein Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Brouver. in Annal. Trevir.

Maſen. in Epitom.

Stephan. Abb. in vita.

IN aula Regia Francorum educatus, & iiſdem cum Rege diſciplinæ Magiſtris uſus MODOALDUS, egregiam ſemper morum innocentiam, & divinæ ſervitutis amorem ſpiravit. Inter æquales tantò viſus deſpicientiâ ſui minor, quantò virtute major. Invidiam facilè omnem vincebat demiſſione atque obſequio, cum nullo niſi cum inverecundo pudore, cum aſtuto ſimplicitate, cum immanſueto patientiâ, cum litigioſo ſilentio, cum perſecutore charitate, cum luxurioſo continentiâ certare ſolitus. Paupertatem tam in ſe ſtudiosè amplecti, quàm in aliis levare viſus: honores tam ipſe aſpernari, quàm aliis prolixè deferre. Jejunia, preces Eccleſiæ, conſortia inopum, ipſius quotidianæ erant deliciæ. Ejus vitam Stephanus Abbas Leodienſis ante 50. annos proſecutus ait: *Quale, quàm ſanctum erat illud palatium, ex quo tam ſanctos tamque illuſtres ſuſcipiebat Eccleſia ſacerdotes, qui Curias Regum non quærerent, ſed à Regibus quærerentur ipſi; quique non honores per ambitionem appeterent, ſed magis ab oblatis per humilitatem refugerent. Ex quorum numero* (erant enim plurimi) *fuit Arnulphus Metenſis* (patens nempe Anſegiſi, cui nupta S. Begga) *Chunibertus Colonienſis, Tungrenſis Remaclus, Trevirenſis noſter* MODOALDUS, *iſtis & omnibus aliis omni virtutum genere conferendus.* Honorem, quo Dagobertus Rex proſecutus eſt MODOALDUM, declarant ejus diplomata: uti & Sigeberti filii, quod interpellante MODOALDO contra Hanonem quendam uſurpatorem rerum Eccleſiæ edidit, uti in vita S. Sigeberti ex Roſierio refert Bollandus. Magna cura MODOALDO fuit, Sanctimonialibus opportunos pro videre, vitæ piæ inter clauſtrales muros tranſigendæ re-

receſſus. Quare & Palatioli infra Treviros Cœnobium in prædio, quod Majorum Domus erat, excitavit, cui altera filiarum Dagoberti Adela, ex brevi temporis connubio ad viduitatem delapſa, & ſororis exemplo Monialibus aſſerta, denique etiam Abbatiſſa præfuit: alterum Treviris ad ripam Moſellæ Parthenonem inſtituit, cui Severam ſororem ſuam præſtanti religione fœminam, fraternæ æmulam perfectionis, Antiſtitam dedit. His aliisq; ſanctus Præſul pietatis monimentis cognitus, tandem vitæ mortalis exuvias poſuit, & immortalibus accenſeri meruit, poſtquam Severam ſororem viderat ad præmia prævolaſſe, in Baſilica S. Symphoriani prope illam tumulatus. Poſt obitum, memorat ſupradictus Stephanus Abbas: *Sanctitate & meritis* MODOALDI, *omni circa regioni ſalutem frequenter à Deo conceſſam, ſi quando aut aëris inclementiâ, vel fame, aut gladio, vel cujuſque mali metu incumbente, patrocinium ejus incolæ fideliter imploraſſent. Unde Pater & ſingulare perfugium miſerorum à civibus appellatus, ejúſque depoſitio quarto Idus Majas maximâ cum pietate, & feſtivâ totius regionis gratulatione celebratur.* Obiit Anno 656. die 12. Maij. & hac die ponitur in Martyrologio Romano.

Eâdem DIE XII. MAII.

S. RICTRUDIS ABBATISSA MARCIANENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Gerberta vel Gerbirga filia S. Gertrudis. Uxor (ſecundùm Blondellum) Ægæ vel Ægani Majoris Domus ſub Dagoberto Magno.

Sigefridus Comes Pontivenſis, Uxor S. Bertha.

Erchinoaldus Major Domus Clodovei II. Regis Francorum.

Leodiſius Dux. Uxor N. ex ſtirpe S. Sigismundi Regis Burgundionum.

Attico Dux Alemanniæ. Uxor Berſuindes, ſoror Bilhildis Reginæ.

S. Adalbaldus Dux Duacenus. Uxor S. RICTRUDIS.

SS. Maurontus, Clotſendis, Alſendis, Euſebia.

Adalbertus Dux Alſatiæ & Alemanniæ.

Luitfridus Comes Sundgoviæ, Uxor Hiltrudis Habſpurgica hæres, quæ cognatum adoptavit.

Etho Comes Briſiacæ.

Alberieus Comes Leberthallenſis.

Ottopertus Comes, adoptatus ab Hiltrude, Habſpurgicæ ſecundæ familiæ propagator uſque ad hodiernos.

Acta Synoptica.

Hucbald. Elnonen. in vita. Bucelin. Menol. Anton. Yepes. Joan. Molanus. Bolland. To. 1. Feb. fol. 295. & To. 2. Feb. fol. 3.

REgio orta genere RICTRUDIS patrem Ernoldum, matrem Luciam habuit, Regii generis maritum nacta S. Adalbaldum, ex eo digniſſima ſobole felix, omni mundanæ felicitati divinum præpoſuit ſervitium. Viduata marito, conſilia Evangelica animo proponens, quantò magis ſeculo abrenuntiare geſtit, tantò ampliùs ferventiúſque à potentiſſimis quibuſque Regni Principibus ad ſecundas nuptias exambitur. Dagoberto inſuper Rege modò enixis precibus, modò minis urgente. RICTRUDIS diſſimulans propoſitum, Regem cum optimatibus epulo excipit, & ſermone ad omnem gratiam compoſito, ut erat ingenio princeps ſublimi, exhilarat. Auſa dein rem miram, at ſe dignam aggredi; dum incaluiſſe mero Proceres putaret, conſurgens compoſitiſſimo ad hilaritatem vultu Regem affata: *Num quod inprimis vellet, propriis ſibi in ædibus, bonâ Regis veniâ aggredi liceret?* ſciſcitatur. Annuente Rege, quòd poculo propinato à cognata Principe haud dubiè provocandum ſe eſſe exiſtimaret: illa invocato terribilis Dei nomine atque ope, prolato è ſinu ſacro velo, id ſuomet ipſa capiti impoſuit. Infrenduit quidem Rex, & cum indignatione exceſſit ædibus. At nihil illa furore terreni Regis perculſa, ſolum Regis Regum amorem cœpit anhelare. Marcianenſi proinde ſe incluſit Cœnobio, hortatu

S. Aman-

S. Amandi Epiſcopi, qui poſtea ipſam inter & Dagobertum Regem pacem conciliavit. Nec multò poſt mortem ſubſecutæ filiæ præſtantiſſimorum Principum amorem ac ſpem eluſerunt: viſúmque S. Amando Cœnobium, quod primum juris deſtinaverat, ſoli jam Virginum ſacro cœtui deputare, quibus ipſam Fundatricem Rictrudem præeſſe voluit. Quæ cum reliquos vitæ annos in regulari obſervantia ſanctiſſimè exegiſſet, plena bonorum operum ad delicias æternitatis evocata Obiit Anno Chriſti 687. ætatis 74. plurimis ad ſacras ejus exuvias miraculorum ſignis (quæ duobus libris amplexi ſunt Marcianenſes) à Deo commendata. Refertur ad hanc diem 12. Maij à Bucelino, & aliis.

Elevatio ſacri corporis & ejus filiarum ad 7. Februarii refertur à Molano.

DIE XIII. MAII.

VEN. HERMINGARDIS IMPERATRIX.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Pipinus Rex Francorum. — Deſiderius Rex Langobardorum.

Carolus Magnus Imperator, Uxor ——— HERMINGARDIS.

Ludovicus Pius Imperator, à quo cæteri Carolingi & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Arnold. Wion. Bucelin. in Menolog.

NOnnulli eam Theodoram appellant. Conjuncta legitimo matrimonii fœdere Carolo Magno Imperatori, ab eo ob corporis vitium aut infœcunditatem poſt annum repudiata, ſervitio Regis Regum ſe addixit, eo multo facta auguſtior, quàm terreno Imperio. Ingreſſa quippe Cœnobium Brixienſe S. Juliæ, Magiſterio ſororis ſuæ Anſilbergæ ſe ſubmiſit; cujus virtutes & ſtudia æmulata, meruit etiam demortuæ in munere Antiſtitæ ſubrogari. Demum poſt piè tranſactam vitam ibidem in Domino requievit.

Refertur in Martyrologio Benedictino ab Arnoldo Wion, & Bucelino cum titulo Venerabilis. Obiit Anno 809.

DIE XIV. MAII.

B. M. JOANNA PRINCEPS LUSITANIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Eduardus I. Rex Luſitaniæ.

Eleonora Princeps Luſitaniæ, Uxor Friderici III. Imperatoris Auſtriaci.

Alphonſus V. Rex Luſitaniæ.

Ferdinandus Princeps Luſitaniæ. Uxor Leonora amita, ſoror Eduardi Regis.

Maximilianus I. Imp. Auſtriacus.

B. M. JOANNA Princeps.

Philippus I. Rex Hiſpaniæ.

Eleonora Infans Hiſpaniæ, cujus maritus ——— Emanuel I. Rex Luſitaniæ.

Carolus V. Imperator, cujus Uxor - - - - - Iſabella ex II. matrimonio nata.

Acta Synoptica.

HUmanæ pulchritudinis miraculum JOANNA Princeps, nata Anno 1452. die 4. Februarii, cùm nubilis videretur, à multis certatim eſt expetita Principibus, ipſa unum omnibus prætulit Dominum Dominantium. Ferunt Ludovicum XI. Regem Galliæ, cùm ejus effigiem pictam inſpexiſſet, provolutum in genua Numini egiſſe gratias, quòd tam formoſam divinæ pulchritudinis imaginem in terra ſibi licuerit contueri. Deſtinabat ille JOANNAM Delphino ſuo conjugem, ſed aliis ipſa nuptiis ſervabatur. Ambivit eam Carolus VIII. & bellum minabatur Luſitaniæ, niſi eam acciperet. Multis actum cum ea, ut aſſenſum præberet, nihil impetratum. Joannes frater tunc eam allocutus: Uſque modò, inquiebat, in tot, tantíſque difficultatibus & moleſtiis, hæc mihi unica ſemper occurrit conſolatio, quòd te fidam & verè germanam arbitratus ſim: modò verò cur non conjurationis conſciam te non exiſtimem, quæ alieno ferro me, regnúmque objiciis? annon tu Regni Princeps, ut illi conſulas? non Regno nata, ut quæ ſalutaria illi fuerint amplectaris? non Regis ſoror, ut impetrata facias? neque hoc cœlo, neque Superis diſplicet, cùm ij non ſimus, qui cœleſtibus terrena præferamus. Hæſit hic perplexa JOANNA, & in ſacellum ſe recepit, DEO & Virgini cœlorum Reginæ commendatura negotium. Redux ad fratrem, promiſit ſe Regi Galliæ nupturam, ſi eâ horâ viveret. Paucis pòſt diebus nuntiatum eſt, Regem Galliæ obiiſſe. Alia rurſum tempeſtas in illam excitata eſt ab Anglia. Richardus III. Anglorum Rex Legatis miſſis eam conjugem optabat. Rex Joannes cum Philippa matertera illam accedit, Legatorum preces exponit. At JOANNA ad ſolitas preces confugiens, & leni ſomno correpta, intuita eſt adoleſcentem pulcherrimum, qui ajebat: *Noli ultrà mœrere, pone lacrymis modum, jam enim è vivis abiit.* Diſcuſſo ſomno fratrem

Anton. Vaſconell. in Anacæphalæoſi. Reg. Luſitan.

adit JOANNA, & ne iniquo eſſet animo, paratam ſe ait proficiſci in Angliam, ſi is, qui ſe optaret ſponſam, adhuc viveret. Poſt hebdomadam nuntiatur Richardi Regis mors. Octodecim annos nata, pro patre abſente regnum gubernavit; reduci obviam progreſſa & manum oſculata pietatis admonuit, ut cùm victoriis glorioſus redierit, ſe, quam præ omnibus haberet chariſſimam, Numinis obſequio gratus manciparet, & liberam Parthenium ingrediendi copiam faceret, quando ſibi nihil optabilius poſſet accidere, quàm inter Chriſti ancillas, abdicato Regio faſtu, reliquum vitæ traducere. Alphonſus ne Numini contraire videretur, manantibus ubertim lacrymis tandem annuit. Et illa hilaris Averium contendit, ubi Sanctimoniales D. Dominici Deo famulantur. Luxerunt abeuntem pullo habitu palatini, & annis aliquot Joannes frater, qui habitum licet poſuerit, nunquam tamen mœrorem animi. Eodem anno menſe Martio ingentis ſplendoris Cometa exortus, quotidie poſt ſolis occaſum uſque ad 3. Auguſti ſupra Parthenonis Averienſis domum fulgurabat. Eventus omen ſolvit. Quo die (tertio ſcilicet Auguſti) JOANNA pervenit Averium, ille diſparuit, quaſi meliori ſideri locum cederet. Totum triennium illic exegit JOANNA, priusquam velari permitteretur. Vitæ ratio in Aula paterna hæc illi fuit, orabat, legebat Chriſti & Sanctorum vitas, loquebatur de lectis cum puellis aulicis, præſertim de Virginibus, quæ puritatis florem Martyrio illuſtrarunt. Diebus Veneris, miroſe mulctabat ſilentio, vix de neceſſariis verbum proferens. Triduo hebdomadæ ſanctæ ab omni verbo abſtinens, die noctúque à templo vix recedebat, cibum vix guſtabat, ſomno nihil penè concedebat. Die Jovis ſancto Chriſti exemplo duodecim pauperes pannoſas, ſquallidas, & quæ nauſeam poſſent creare, mulieres conquirebat, quibus depoſito Regio ornatu, ancillari cultu induta pedes abluebat, oſculabatur, veſtes mutabat, pecuniâ donabat, inde pedem non efferebat, donec Dominicæ Reſurrectionis lætitia publica celebraretur. Corpori macerando laneas ſibi ſubuculas ex aſpero panno curaverat, quas non deponebat, donec vermibus ſcaterent. Addebat cilicia & flagella uſque ad ſanguinem. Jejuniis ita ſe macerabat, ut priſcæ eremi mores in aulam inducere videretur. Et hæc quindennis adoleſcentula. Ex quibus conjectura formari poteſt, qualem ſe inter ſanctimoniales exhibuerit. Exegit inter illas totos viginti annos, vixit univerſim triginta octo. In ſupremum lapſa morbum Confeſſione animam frequentiùs expians, & SS. Euchariſtiâ refecta omne tempus inter pia tranſegit ſuſpiria. Nocte, quæ mortem anteceſſit, juſſit abire Medicos, gratias agens de impenſa opera, Antiſtitam & ſorores adeſſe ſibi rogavit: Confeſſario protractis Pontificiis literis Indulgentiam ei impertiente, ſublatis manibus pectus ſæpius percutiens iterabat: *Peccavi Domine, mea culpa, indulge miſeræ.* Pendentis è Cruce Chriſti effigiem propiùs ſibi admoveri petiit, & pedes deoſculans ajebat: *Domine Deus meus miſerationum Domine, averte faciem tuam à peccatis meis.* Paſſionem deinde Dominicam ſibi prælegi voluit, & cùm legeretur de alapa Servatori inflicta, petiit ſibi attolli brachium, ac viribus quibus potuit, ſibi colaphũ infregit, addens: *O Domine, qui tam acerba pro ingratis hominibus perpeti voluiſti, ignoſce mihi, ſalva me, & in electorum tuorum numerum adſciſce.* Quando ultima morientis Domini verba audivit, ſubmiſsâ voce Catholicam fidei profeſſionem oravit. Ter deinde 50. Pſalmum repetens adjecit: *Semper Domine mi & Deus meus in te ſperavi, tibi ſemper animam hanc, quam ſanguine tuo tibi redemiſti, totis viribus commendavi, quod idem modò quanto*

poſ-

poſſum animi affectu præſto; tibi Domine, & Beatiſſimæ matri tuæ Virgini Mariæ Dominæ meæ animam meam commendo. Et ulterius Virginem alloquens: *Monſtra te eſſe Matrem: Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & horâ Mortis ſuſcipe.* Poſthæc Monialibus in genua provolutis, & commendationem animæ proſequentibus, cereum benedictum apprehendit, nec unquam dimiſit, donec felix anima exſpiraret, quod factum, cùm ſacerdos in Litaniis diceret: *Omnes SS. Innocentes orate pro ea:* tunc enim immaculatum ſpiritum Deo reddidit. Cùm funus templo inferretur, arbores in hortulo, quem ipſa coluerat, ſubitò exaruerunt, folia & flores exeuſſerunt. Plures poſt obitum ejus interventu beneficia impetraſſe feruntur. Monialis grandæva peſte correpta, terram ex ejus tumulo allatam oſculata apoſtemati applicuit, & mox remittente dolore omni convaluit. Felix anima, quæ ſic novit terrena faſtidire, & in cœleſtibus deliciari.

DIE XV. MAII.

S. ALFRIDUS REX NORTHUMBRIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Parisiorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Anglo-Saxonum.
|
Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordthumbrorum.
|
S. Eanfleda Uxor S. Oswii Regis Nordthanymbrorum.
|
S. ALFRIDUS Rex Nordthanymbrorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

Beda in hist. Anglorum. Bucel. in Menolog. Arnold. Wion. in ligno vitæ. Wilson. in Martyrolog.

NOn tantùm fortunæ & dignitatis eminentiâ sublimis, sed & rarâ in Regibus, veteris præsertim ævi, eruditione cultissimus fuit Rex ALFRIDUS, cui non impari studio virtutem conjunxit; & præter Regni curas in ipsa Aula Ascetam egit. Fastidito demum imperio, impedimenta & moras animosè rumpens, stupentibus cunctis, Monachum in famosissimo Mailrosensi Cœnobio professus est circa Annum 705. cùm regnum undeviginti annis feliciter gubernasset. Profecit plurimùm S. Edilwaldi Abbatis Magisterio & exemplo, obedientiæ, humilitatis, paupertatis voluntariæ spectaculum omnibus factus; & qui terrenum regnum reliquerat, cœleste meruit. Referunt eum alii, ut Arnoldus Wion, ad 15. Januarii, alii 14. Martii, alii 14. Decembris: nos cum Bucelino hac die.

DIE

DIE XVI. MAII.

S. EUPHEMIA V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imper. à quo post 6. gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.	Ludovicus Rex Germaniæ. | Carolomannus Rex Bavariæ. | Arnulphus Imperator. | Ratholdus Comes Andecensis. | Ratholdus II. vel Rapato, Comes Andecensis. | Fridericus I. Comes Andecensis. | Aribo Comes Andecensis. | Fridericus II. Comes Andecensis. | Leopoldus Comes Andecensis. | Arnoldus vel Arnolphus Comes Andecensis. | Bertholdus I. Comes Andecensis. | Bertholdus II. Comes Andecensis.	Lotharius I. Imperator, à quo post tres gradus Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.

Henning. P. 1. fol. 50.

S. EUPHEMIA Abbatissa. | S. Mechtildis Abbatissa.

Nexus II. ab iisdem.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Magnus Imperator.

Richlindis Uxor Chunonis Comitis Oeningani.

Chunegundis Uxor Friderici II. Com. Andecenſis.

Leopoldus Comes ab Andechs.

Bertholdus I. Comes ab Andechs.

Bertholdus II. Comes ab Andechs.

S. EUPHEMIA Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Rader. To. 2. Bavar. ſanct. fol. 289. Hennin. P. 1. Germ. f. 50. Chron. Andecen.

EUPHEMIÆ Andecenſis elogium paucis complexus Raderus, ait: Sororem hanc ferunt D. Mechtildis ex Bertholdo II. Principe Andecenſi natam, geminam illi vitæ & innocentiæ ſanctimoniâ; ut qui alteram novit, utramque norit. Præſidem hanc faciunt Parthenonis ſacri inter Monachium & Auguſtam S. Altonis, vulgo Altenmünſter. Plura non accepi, nec acceptis verbum addo.

DIE

DIE XVII. MAII.

B. WILTRUDIS COMITISSA AB HOCHENWARTH.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo poſt 6. gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Habſpurgici.

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomaunus Rex Bavariæ.

|

Arnulphus Imperator.

|

Ratholdus Comes Andecenſis.

|

Rapato Comes Andecenſis.

|

Fridericus Comes Andecenſis.

|

Aribo Comes Andecenſis.

|

Rapato Comes in Andechs, Taur, & Hochenwart. Uxor Hemma Marchioniſſa Auſtriæ.

|

B. WILTUUDIS Comitiſſa ab Hochenwart.

Lotharius I. Imperator, à quo poſt 3. gradus Bertha Uxor Luithardi Com. Habſpurgici, cujus abnepos Radepto.

Acta Synoptica.

ORbata parentibus WILTRUDIS, fratris Ortholphi curæ commendata, cùm in matrimonium eſſet collocanda, ſupplex fratrem adiit, obteſtans, ut ſe jam pridem per votum cœlo deſponſam non cogeret ſacra Virginitatis violare. Cùm ille paulò durior videretur, dejecta in genua, fratrem in ſuam ſententiam flexit, ac deinceps caſtro Hochenwart in Cœnobium commutato, ſanctiſſimam vitam princeps ipſa ſacrarum Virginum vixit. Ortholphus quoque de ſuis facultatibus ad fundationem conferens, in terram ſanctam cum Godefrido Buillionio profectus eſt, & redux in itinere obiit; ſed revectus in patriam, in novi Hochenwartenſis Cœnobii æde tumulo illatus eſt. Quâ de re verſus antiqui:

Rader. Bav. S. To. 3. fol. 135. Bruſch. de Monaſt. Germ. Hundi. in Metropol. Steph. Abb. ap. Rader.

Or-

Ortholph, WILTRUDIS *huic clauſtro cauſa ſalutis.*
Poſcunt obſequia ſub munere quotidiana.
Hemma quibus mater, Rapatho quippe pater.

Poſt Ortholphi primùm obitum, ut Bruſchius aſſerit, Wiltrudis collectâ piarum ſororum congregatione, inceptam adhuc à parentibus & fratre domum abſolvit, ipſaque prima Virginibus præfuit Abbatiſſa. De hoc vetus carmen:

Quando valedixit WILTRUDIS *inclyta mundo,*
Floruit hic primò per eam Monaſticus Ordo.

De obitu verò B. WILTRUDIS hæc habet Stephanus Abbas Schyrenſis: *Venerabilis Virgo* WILTRUDIS *tempore ſibi divinitùs conceſſo, in præfatâ cellâ commorata, multorum meritorum prorogativâ refulgens, tandem ab hac luce ſubtracta, & cum germano ſuo ſepulta, multis cœpit corruſcare miraculis, & quantum ab omnibus cultu divino ſit honoranda, multarum oppreſſionum in hoc loco proteſtantur beneficia.* Alibi idem Præſul modò Beatam, modò Sanctam appellat, ſed & ipſa tumuli inſcriptio ſanctitatem ejus exprimit:

Virgo flos florum, præclarè nitens ſuperorum,
Gemma, tibi vota perſolvens concio tota
Per te ſalvari petit, & pro fine beari.

Obiit Anno 1091. quâ die verò, nondum reperi, idcircò hic reponere placuit.

DIE

DIE XVIII. MAII.

B. ASCELINA VIRGO SANCTIMONIALIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Fuit neptis S. Bernardi Doctoris melliflui, proinde Geneſim ejus vide ſuprà in B. Aleide die 4. Aprilis. B. Andrea die 5. Aprilis. B. Nivardo, die 7. Februarii. Incertum, an fuerit neptis ex fratrum aliquo vel ſorore.

Acta Synoptica.

QUinquennis adhuc puella ASCELINA deſtinari viſa eſt ad magnam ſanctitatem. Si quid modicum ſublegeret, vel acum, vel caſei fruſtillum, Angelum monentem audiit: *Ceſſa, ceſſa, nequaquam expedit tibi.* Decennis viſionibus, & revelationibus illuſtrabatur, & cœlites habebat familiares. Seculari cuidam ſacerdoti à S. Joanne Evangeliſta commendata fuit, non aliter atque Matrem Virginem Chriſtus Joanni commendavit. Ipſi pariter & matri fores quandoque patuerunt Eccleſiæ, licet obſeratæ; ſolicita de Virginitate à S. Joanne Evangeliſta audiit: *Conſtans eſto filia, & certa, quia inter Chriſti Virgines & cœlum locum habebis, & præmium.* Burlencuriæ habitum Religioſum ſuſcepit. Cuſtos facta Eccleſiæ & Monaſterii de Polangero foſſulam ante altare fecit, à qua nunquam abiit, priusquam lacrymis impleret, intellexitque divinitùs, lacrymas illis, qui ſic plorarent, pro baptiſmo eſſe. Feria 6. Sabbatho, Dominicis, & feſtis diebus ad lectiones 12. duo Pſalteria & 300. Salutationes Angelicas adjiciebat, Sabbatho autem mille; ſic & feſtis Deiparæ omnibus. Quin & per octavas quotidie mille Ave & Septies Pſalterium Dominæ noſtræ. Eam cum matre ad priſtinum profeſſionis locum Deipara & S. Joannes redire juſsêre, cui aliquando in vigiliis Dominæ ad legendas Lectiones divinitùs lumen miniſtrarunt. Monialem à Dœmone ſingulis noctibus per vim oppreſſam docuit Ave MARIA ut recitaret, & ab impuro impoſtore liberavit. Multis aliis præclarè geſtis migravit ad Dominum Anno 1195. Beatæ titulum habet apud Bucelinum.

Bucelin. in Menolog. ad 18. Maij.

DIE XIX. MAII.

S. GEBHARDUS ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imper. à quo post 6. gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, magni avi hodiernorum Archiducum.	Ludovicus Rex Germaniæ	Lotharius I. Imperator,
	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ermingardis Uxor Ragneri, Ducis Lotharingiæ.
	Arnulphus Imperator.	
	Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, qui fuit atavus Radepotonis Comitis.
	Henricus I. Auceps Imperator.	
	Hadwigis Uxor Burchardi Ducis Sueviæ.	
	Diethburga Uxor Hugobaldi Comitis de Dillingen.	

Henning. P. 1. Germ. fol. 3.

S. Udalricus Episcopus Augustanus.	Burchardus Comes qui Helffenstcinam condidit.
	Adalbero vel Reginbaldus Comes ab Helffenstein, & post duos vel tres gradus
	Chaldoldus Comes ab Helffenstein, Uxor Attala Styra.
	S. GEBHARDUS Archiepiscopus Salisburgensis.

Acta Synoptica.

Rader. To. 2. Bav. 8. fol. 213.

Hund. in Metropol. Cat. Archiep. Salisb.

Chron. Reicherſp. Adelzreit. P. 1. l. 18.

DIsceptent alii, num GEBHARDUS potiùs ex Helfensteiniis, ut passim asseritur, an ex Truchsessiis, ut putat Raderus, ortum habuerit, utraque stirps eosdem respicit majores. Virtus illi prima nobilitas. Crescentes pueritiæ annos Musis initiavit, adolescentiam sacris cogitationibus: à teneris magna animo concipiens. Cum æqualibus sibi familiarissimis Altmanno & Adalberone peregrinatione suscepta, cùm fortè ad limpidum fontem consedissent, in sermonem de futuro cujusque statu (uti fit) delapsi sunt. Altmannus se

ſe Patavii Boiorum Pontificatum ſuſcepturum, & inde cœnobium conditurum; Adalbero ſubjecit, ſe velle Herbipolitanum Antiſtitem fieri, & domicilium pariter religioſis viris moliri. Tum GEBHARDUS: Ego verò Juvavienſis Pontifex creatus, S. Benedicti Sodalibus contubernium ponam. Hæc ab optimis adoleſcentibus per jocum & riſum prolata, cœlum rata voluit: & labentibus annis quiſque ſuam adeptus Infulam, ſuum quoque Cœnobium condidit: Altmannus Paſſavienſis Göttwicenſe, Adalbero Würtzburgenſis Lambacenſe, GEBHARDUS Admontenſe, cui cùm locum deligeret, & viarum difficultatem contemplaretur, mutus & ſurdus adſtitit, illa præfatus ſtupentibus cunctis, qui aderant: *Tuum eſt inchoare Antiſtes, Dei conſummare.* Nec plura antè vel pòſt locutus, donec à GEBHARDO jam tumulato ſupplex loquelam reciperet. Plura verò molitus, Parthenium Gurcenſe in Epiſcopatum erexit; contra prædones tres excitavit ac munivit arces, Salisburgenſem, Werffenſem, & Friſacenſem. Conſtantiſſimâ fide Sedi Apoſtolicæ adhærens, graviſſima ſuſtinuit ab Imperatore Hentico, & ſpontaneum exilium iniit novennio, ne Cæſaris acta, quæ Pontifex damnarat, probare cogeretur. Extincto, qui ejus loco intruſus erat, Bertholdo, ſummâ omnium gratulatione revocatus, adhuc biennio ſedit. Wernherus frater, Diethperga ſoror Reicherſpergenſe Cœnobium D. Auguſtini Sodalibus erexerunt, in quo etiam Wernerus, uxore ſepultâ, ſeipſum abdidit, & Dei conſecravit ſervitio. Ipſe porrò GEBHARDUS columen Germaniæ Anno 1088. maximorum laborum, conſtantiæ, patientiæ, exilii præmia in cœlo recepit 16. Cal. Quintil. Sanctum appellat Raderus.

DIE XX. MAII.

B. RATHARDUS ANDECENSIS PRESBYTER.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Hildebrandus Comes in Andechs.

N. Comes in Andechs. — Regarda, cujus maritus — Hildebrandus Dux Sueviæ.

Henn. P. 1. Germ. fol. 49.

N. Comes in Andechs. — B. Hildegardis, Uxor Caroli Magni Imperator.

Hatto Epiſcopus Auguſtanus. — B. RATHARDUS Presbyter, Andecenſis Comes. — Ludovicus Pius Imperator, à quo Carolingi & dein Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Rader. Bavar. ſanct. To. 1. f. 86.

MSS. Damaſian.

Henning. ſup. cit.

ANno octingenteſimo quinquageſimo, Imperante Ludovico Pio, natus eſt B. RATHARDUS ex nobiliſſima & ſanctiſſima Andecenſium Principum familia, ſacríſque ſacerdotii initiatus, hæredem bonis ſuis ex aſſe Chriſtum relicturus, à quo hæres olim æterni regni ſcriberetur, authore Hattone germano fratre, id ævi Pontifice Auguſtano, ad Damaſiam ædem S. Georgio Megalomartyri ſacram inſtituit, eámque S. Auguſtini Sodalibus, qui locum hodiéque colunt, adjuncto domicilio aſſignavit. Ipſe poſt exercitam in omni virtutis genere vitam, eodem loci defunctus, humili tectus cippo, ad extremum templi angulum humatus eſt: ſed virtus Sanctorum virorum cum cineribus ſepeliri non poteſt. Statim enim ad conditorium ejus accurrentibus ægris beneficia præſtita, & ſanctitas viri ſeſe, veluti ſolis ab aurora relucentis jubar, diffudit. Interim Norici Princeps Arnolphus cognomento malus, per omne Noricum & Vindeliciam ferro graſſatus, inter plures ſacras ædes etiam Damaſianam conjecit in rudera. Jacuit ſacra ædes longo tempore in ſitu & ſquallore, donec Udalricus quidam & Adelbertus Presbyteri animum adjecerunt, ad ædem reſtaurandam: quod dum moliuntur, incidunt in grande ſaxum, mirabundi quo caſu eo delatum eſſet. Tumulus erat B. RATHARDI, jam olim poſt everſum templum ignoratus. Attentant movere loco, ſed caſſo plurium operarum labore. Ergo Udalricus ad conſilium Numinis per preces & vota confugit, divináque re ſanctiſſimè peractâ redit ad molem ſaxi, ſolúsque jam ſine operis nullo negotio levat. Patet tumulus, in tumulo corpus decenter compoſitum, mirum fragrantiæ odorem ſpargens. Attonitus eo ſpectaculo Udalricus, iterum ad preces convertitur, & per viſum nocturnum diſcit B. RATHARDI exuvias illic repoſitas, veneratione publicâ proſequendas. Adrepsêre inde ægri, & inter hos captus omnibus propè membris, ac diſtortis pedum cruribus, qui

ad

ad Paſchales ferias, emendato corporis vitio, ſanus erectúſque domum revertit. Hartwicus inde Præſul Cœnobii ſacra lipſana ex angulo in templi medium proferens, honoratiore loco repoſuit. Ædem inſtauratam Anſelmus Havelburgenſis Antiſtes, bonâ Auguſtani Pontificis Walteri veniâ, Anno 1104. conſecravit 6. Idus Sextil. Poſt quatuor ferè ſecula, animadverſo fatiſcentium parietum vitio, nova ædes è fundamentis extructa, RATHARDIQUE cineres honeſto Sarcophago clauſi, altari medio impoſiti, ubi hodiéque ab accolis religiosè coluntur.

DIE XXI. MAII.

S. ITISBERGA MONIALIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & Habſpurgici.

S. ITISBURGA Monialis.

Acta Synoptica.

Trith. To. 1. SS. Ord. Bened.

Joan. Molan.

Arnold. Wion.

Bucelin. in Menolog.

Haræ. in vita.

ARenſes in Arteſia tabulæ teſtantur, inter cœteras Pipini Regis ſoboles fuiſſe etiam ITISBERGAM, quæ avitæ majorum gloriæ non immemor, glorioſa contemptrix vanæ gloriæ, veram gloriam in ſupremi Regis Regum ſervitute collocans, ſacrum vitæ Religioſæ rigorem præ deliciis amplexa, delicatas manus extendit ad fortia, & demiſſione ipsâ omni Regum Majeſtate evaſit ſublimior. Facta Monialis æterni Regis dignam ſe reddidit amplexibus, à quo quanti fieret, crebrâ miraculorum atteſtatione mundo innotuit, circa annum 780. cœlo illata. Monialem fuiſſe vult Bucelinus, ſed Haræus ex Arienſis Eccleſiæ monimentis id non colligit. Reliquiæ ejus Anno 1221. die 20. Junij translatæ ſunt Bergas S. Winoci, quæ ibidem (dolendum) noſtro ſeculo Anno 1558. per bella Gallorum perierunt, ut ait Haræus.

DIE XXII. MAII.

B. EBERHARDUS ALTENAENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi, Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Sophia Uxor Godefridi I. Ducis Brabantiæ.

Godefridus II. Dux Brabantiæ.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

Seinara Uxor Henrici Com. Geldriæ.

N - - - - - filia, cujus maritus —— Engelbertus Comes de Monte.

Lotharius I. Imperator, à quo poſt tres gradus Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, qui fuit abavus Radepotonis.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Conradus Comes Altevæ.

Adolphus III. Comes Altevæ.

B. EBERHARDUS Altenaënſis.

Acta Synoptica.

EBERHARDUS Comes Altenaënſis & Bergenſis (quo ex genere Cliviæ Duces oriundi ſunt) prælio, quod inter Brabantiæ & Limburgi Duces interceſſerat, ſeſe immiſcens, reverſus inde caſtrum ſuum Ackenſe, ſuper ſtrage & cæde partium, quamvis manu propriâ neminem ipſe interemiſſet, tantoperè doluit, ut pœnitentiæ ſtudio, peccatum expiaturus, mutato habitu omnia

Bucelin. Menol. ad 20. Martii. Henſchen. ad cand. in prætermiſſ. Chryſoſt. Henriq.

Joan. Molanus. Gelen. in SS. Agripp. Nordthoff. apud Stangefol. Circ. Weſtphal. lib. 2. fol. 221. Theod. Rhay. in animab. illuſtr. Cliviæ.

omnia ſua deſerens, intempeſtæ noctis ſilentio, clam domeſticis fugam arripuerit, & primùm quidem Romam contendens, Apoſtolorum limina viſitarit, inde Compoſtellam delatus, veniam delictorum petierit. Reverſus per Galliam apud Rurimundam ſubſtitit, & ſuæ nobilitatis oblitus, Chriſti amore incognitus in villa quadam Monaſterii ſervire ac greges porcorum paſcere voluerit. Quod cùm aliquot annis egregia cum animi demiſſione egiſſet, à tranſeuntibus illac fortuitò famulis quondam ſuis agnitus è cicatrice, quam in facie habebat, quamvis Gallico ſermone Teutonicos eludere pararet, ſimulans ignorantiam linguæ Germanicæ, & à loci Abbate ſeriò interrogatus, cùm vitæ ſuæ rationem ei reddidiſſet, remiſſus in patriam, ope Adolphi fratris, qui ipſi in Comitatu ſucceſſerat, Altenburgenſe Cœnobium, mox etiam alterum in Monte S. Georgii, ſumptibus Zizzonis & Gislæ cognatorum Thuringiæ Comitum condidit, & huic præeſſe juſſus, egregiâ vitæ ſanctitate locum initiavit, & conſecravit, in Baſilica ejus loci, quam Deiparæ unicæ Tutelari ſuæ conſecraverat, ſepultus. Titulum Beati ei attribuunt Henriquez, Gelenius, Theodorus Rhay, Bucelinus. Originem ejus majorum refert Levoldus de Northoff ad Urſinos Romanos, quorum duos fratres Roma cum Ottone III. qui Altenam caſtrum in Germania Inferiore condiderunt, ab eo deinceps nominati, quibus extinctis hæres unica filia, fortè proneptis B. EBERHARDI ex fratre, Wilhelmo Juliacenſi nupta, Comitatum Altenæ, & Montium dotalem attulit. Ad 20. Martii ejus natalem refert Bucelinus; ſed eſt ſolùm dies translationis, ut notat Henſchenius.

DIE XXIII. MAII.

B. UDALRICUS EPISCOPUS LAUSANENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Godefridus Dux Sueviæ.

|

Houchingus Dux Sueviæ.

|

Nebus Dux Sueviæ.

|

Imma Uxor Hildebrandi Comitis Sueviæ, secundùm alios Regarda.

B. Hildegardis Imp. Uxor Caroli M. — B. UDALRICUS Episcopus Lausanensis. — B. Geroldus Marchio Orientalis.

Alios Nexus vide in S. Hildegarde die 30. April. & B. Gerolda 1. Sept.

Acta Synoptica.

NAtus est UDALRICUS ex Hildeprando Andecensi (ut placet Radero) vel Sueviæ Duce aut Comite, ut alii tradunt, matre Regarda, quæ marito suo tres proles felices genuit. UDALRICUS primâ ætate imbutus literis, Clericali adscriptus militiæ, Lausanæ Episcopus fuit, à Carolo Magno affine suo, & pluribus insuper auctus honoribus, quibus tamen post obitum Hildegardis Imperatricis, ob nescio quam offensam, privatus fuit. Ferebat vir pius æquo animo disgustum Caroli; sed DEUS, in cujus manu cor Regis est, non passus est diu UDALRICUM contemni. Scurra aut Morio quidam præsente Carolo exclamavit: *Jam* UDALRICUS *mortua sorore sua Hildegarde, honores perdidit in Oriente & Occidente.* Quæ verba ita penetrarunt cor Caroli, ut illacrymatus omnes illicò honores UDALRICO restituerit. Ulteriora ejus acta exspectanda sunt ab aliis: Beatum vocat Raderus, diem ejus natalem non assignat.

Rader. Bavar. S. To. 2. f. 52. Stumpff. lib. 8. Sangall. Annal. Brusch. in stem. Hildegard. Imp. Molan. in Natal. SS. Belgii.

DIE XXIV. MAII.

S. GUNDRADA VIRGO.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

|

Arnoaldus Dux Moſellanus.

|

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

|

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ. Uxor S. Begga hæres Brabantiæ.

|

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

|

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum. — Bernardus Dux.

|

Carolus Magnus Imperator, à quo cæteri Carolingi, & Habſpurgici.

S. Adelardus. S. GUNDRADA. S. Bernarius. Theodrada Monialis.

Acta Synoptica.

Paſchas. Radbert. in Vita S. Adelardi cap. 10. Gebhard. in vita ejuſd. cap. 5. ap. Boll. To. 1. Jan. f. 114.

EAudem GUNDRADÆ complectens Paſchaſius Radbertus, eam fratribus parem pronuntiat. *Sexu, ſoror* GUNDRADA *nomine, diſpar; ſed virtutibus procul dubio compar: ſiquidem virgo familiarior Regi, nobilium nobiliſſima, quæ inter Venereos Palatii ardores, & juvenum venuſtates, etiam inter mulcentia deliciarum, & inter omnia libidinis blandimenta, ſola meruit (ut credimus) reportare pudicitiæ palmam; & potuit (ut dicitur) carnis ſpurcitias illæſo calle tranſire.* Gerardus Abbas ſcriptor Vitæ S. Adelardi poſterior Radberto: *Quibus* (nempe fratribus S. Adelardo & Waloni) *ſancta Virgo* GUNDRADA *hærens ex latere, diſpar quidem erat ſexu, ſed non diſpar ſanctitate, quæ ſola inter Venereos palatii flores ignem juventutis meruit evadere.* In aula proinde Cæſarea, unà cum fratribus educata GUNDRADA, parem etiam cum fratribus fortunam ſubiit, quando ſcilicet mortuo Carolo Magno habenas Imperii tractare cœpit filius Ludovicus, quem mox ſuſurronum turba circumveniens, eò induxit

duxit, ut optimum quemque & parenti quondam chariſſimum ex aula relegaret. Adelardus ad Heri Aquitaniæ inſulam deportatus, Walo Corbeienſi Monaſterio incluſus, GUNDRADA *Pictavos dirigitur, apud dignam digna, ſanctam ſcilicet Radegundem ancillatura.* Sed animadverſo tandem malevolorum molimine, Imperator Adelardum ad aulam revocavit, ejusque conſilio cœteros exules priſtino honori reſtituit. Nec plura hactenus de GUNDRADA reperi.

DIE XXV. MAII.

S. ALDHELMUS EPISCOPUS SCHIREBURNENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Ethelburga Uxor S. Edwini Regis.
      - Eanfleda Uxor S. Oswii Regis.
        - Alfridus Rex Nordthumbrorum. Uxor — S. Cuthburga, Kentenus Rex Saxonum Occidentalium.
          - S. ALDHELMUS Epiſcopus.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellanorum, à quo Carolingi & Habſpurgici.
- Kenredus Rex Saxonum Occidentalium.

Acta Synoptica.

Ven. Beda in hiſt. Anglo. Bucelin. Menol. Malmesburiens. ap. Bolland. To. 1. Feb. fol. 914.

NIhil minus, quàm de aulæ illecebris cogitavit ALDHELMUS, Regiâ ortus ſtirpe, cùm adoleſcens literis diligentem navans operam Græcè & Latinè doctus, in variis ità excelluit ſcientiis, ut Magiſtros ſuperare videretur. Ad Malmesburienſe Cœnobium ſe deinde conferens, Aſcetam induit, ob vitæ probitatem & ingenii eminentiam paulò poſt Abbas deſignatus, magna cum laude præfuit. Inter plurima ejus præclarè & prodigiosè geſta, non nimimum eſt, quòd à Sergio Papa Romam evocatus, ob egregiam Sanctimoniæ & doctrinæ famam, periclitantem tunc ſupremi Paſtoris famam vindicaverit, adjurato recens nato infante, qui malignorum rumoribus Sergio imputabatur, ut verum parentem ediceret, quo à cordibus fidelium graviſſimum ſcandalum depulſum eſt. Ut verò benignus in alios, ſic in ſe rigidus fuit. Summâ hyeme humorotenus deſcendens in puteum, totas illic noctes durabat, donec Pſalterium orando abſolveret. Factus demum Schireburnenſis Eccleſiæ Pontifex, non de ipſa ſolùm, ſed de univerſa Repub.

publ. Chriſtiana præclarè meruit, libro præſertim illo, quem jubente Synodo Anglicanâ, Britonum graviſſimos errores feliciſſimè confutando ſcripſit. Obiit vir Sanctiſſimus Virginitatis & Deiparæ cultor ferventiſſimus Anno 709. relictis pluribus egregiis ingenii monimentis, in quibus ut ait Beda, fuit *& ſermone nitidus, & ſcripturarum tam liberalium, quàm Eccleſiaſticarum eruditione mirandus.*

DIE XXVI. MAII.

B. HENRICUS ARCHIEPISCOPUS RHEMENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Chifflet. in Vindic. Hisp. pag. 94. Piespord. in Stem. Austriac.

Ad mentem Chifletii.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Gisla Uxor Eberhardi Ducis Foroiulienſis.

Berengarius Rex Italiæ.

Willa Uxor Adelberti Marchionis Eporediæ.

Berengarius II. Rex Italiæ.

Adelbertus Dux Langobard. & Rex Italiæ.

Otto Gulielmus Comes Burgundiæ.

Reinaldus I. Comes Burgundiæ.

Wilhelmus Comes Burgundiæ.

Raymundus Comes Galliciæ frater Callixti Papæ II.

Alphonſus VII. Rex Hiſpaniæ.

Ferdinandus II. Rex Legionis.

Conſtantia, cujus maritus

Ad mentem Pieſpordii.

Ottobertus Comes Habſpurgicus.

Beatrix Habſpurgica, Uxor Childebrandi Ducis Moſellani.

Theodoricus Gubernator Saxoniæ.

Robertus I. Comes Andium.

Robertus II. Comes Andium.

Hugo Magnus Comes Pariſiorum.

Hugo Capetus Rex Franciæ.

Robertus Pius Rex Franciæ.

Henricus I. Rex Franciæ.

Philippus I. Rex Franciæ.

Ludovicus Craſſus Rex Franciæ.

Ludovicus Pius Rex Franciæ.

B. HENRICUS Epiſcopus Rhemenſis.

Acta Synoptica.

HENRICUS Ludovici VI. inter Reges Franciæ, aliàs I. inter Capetinos filius, Ludovici VII. dicti Junioris frater, Monachum primò in Claravalle profeſſus, inde ad Bellovacenſem Epiſcopatum aſſumptus eſt, quo inſigniter adminiſtrato Archiepiſcopalem Rhemenſis Eccleſiæ Infulam meruit. Celebratur ut vir eximiâ ſanctitate conſpicuus, in Martyrologio Ciſtertienſi hac ipſa die 26. Maij. Benedictini verò, ut teſtatur Bucelinus, ejus natalem reponunt ad 15. Novembris, juxtà Calendaria Pariſienſe, & Rhemenſe. Plura de ejus ſanctitate ac cultu alii ſuppeditabunt.

Henning. P. 2. Germ. fol. 28.

Bucelin. in Menologio Benedicti.

Eâdem

Eâdem DIE XXVI. MAII.

B. GODO MONACHUS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani.

|

Arnoaldus Dux Moſellanus.

|

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

Walchiſus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ, Uxor S. Begga hæres Brabantiæ,

|

S. Wandregiſilus Abbas. N. Uxor N.

|

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi, & dein Habſpurgici.

|

B. GODO Monachus.

Acta Synoptica.

Martyrol. Gallic. Carol. Sauſſay. Bucelin. Menol. Benedict.

NObiliſſimâ editus ſtirpe GODO (ut ait Bucelinus) S. Wandregiſili nepos, Pipini Ducis conſobrinus, & Comes Palatinus, cùm ex Ephebis exceſſiſſet, & in ſpem maximam adoleſceret, ſancti patrui ſui monitu condito Fontanellæ Cœnobio, illic profeſſus Monachum, mirabili vitæ rigore & ſanctitate emicuit; & annuente deinceps Wandregiſilo, in locum, qui Augia dicitur, ſecedens, ſolitariæ quoque vitæ ſtudia coluit, magnis à morte prodigiis illuſtratus. Ad hanc diem ejus obitum repoſuit Bucelinus.

DIE XXVII. MAII.

S. BRUNO EPISCOPUS HERBIPOLENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Bruno senior Comes Querfurtensis, demum Monasticen professus, Obiit Anno 1008.

S. Bruno Asceta Magdeburgensis, dein Episcopus Russiæ, & Martyr.

Gebhardus Comes Querfurtensis, Uxor Sophia Comitissa Mansfeldica.

Mathildis Uxor Conradi Ducis Carinthiæ, qui Ottonibus & Henricis Imp. consanguineus fuit, hi verò etiam Habspurgicis.

Burchardus Pius Comes Querfurtensis, Uxor - - - Comitissa Haldeslevensis.

S. BRUNO Episcopus Herbipolensis.

Gebhardus Comes Querfurtensis. Uxor Hedwigis Burggravia Norimbergensis.

Lotharius Saxo Imperator.

Gertrudis Querfurtensis Uxor

I. Henrici Superbi Ducis Bavariæ. II. Henrici Ducis Austriæ, filii S. Leopoldi.

Henricus Leo Dux Saxoniæ Elector.

Leopoldus Victoriosus Dux Austriæ.

Henricus Palatinus Rheni.

Leopoldus Glorioſus Dux Austriæ.

Gertrudis Uxor Ottonis Ducis Bavar.

Henricus Medlingensis Dux Austræ.

Ludovicus Severus Dux Bavariæ. Uxor Mechtildis filia Rudolphi I. Imperatoris Habspurgici.

Gertrudis Uxor Hermanni Marchionis Badensis.

Agnes Uxor Meinhardi Principis Tyrolensis.

Elisabetha Uxor Alberti I. Imperatoris Habspurgici, à quo hodierni Archiduces.

Acta Synoptica.

ELectus Anno 1033. summo consensu totius Cleri BRUNO Episcopus Herbipolensis, illicò animum adjecit ad construendam novam S. Chiliani Ecclesiam, quam magnificentissimis ædificiis exornavit; alias quoque totius Episcopatus reparans, omne suum patrimonium in divina insumpsit. Conradum Imperatorem secutus in Italiam, ob id ente eo & oppugnante Mediolanum, accidit in ipso festo S. Pentecostes, ut cùm BRUNO celebraret in castris, oriretur horribilis tempestas, quæ omnes summo metu percelluit, ut

Gualter. de Episc. in Chron. Chronico. f. 980.

Bucelin. P. 1. Germ. fol. 36.

Henning. P. 1. Germ. fol. 38.

Bolland. To. 2. Feb. fol. 798. a.

extremum judicii diem adeſſe arbitrarentur. Multi quippe militum fulminibus deſuper ruentibus exanimati, multi in rabiem & inſaniam acti, ſolus BRUNO immotus Miſſam peregit, & mox Imperatorem adiens, viſum ſibi ad altare S. Ambroſium edixit, gravia valetudini & ſaluti Imperatoris minitantem, niſi obſidionem ſolveret. Paruit ille, raptis tamen ad ſupplicium præcipuis rebellionis authoribus. Reverſus ad Eccleſiam ſuam BRUNO, magnis eam iterum donariis auxit, ſolicitus magis de domo DEI, quàm de ſua. Rurſum verò Anno 1045. Henricum Nigrum Imperatorem comitatus in Pannoniam, è regione Ipſii in caſtro Pöſenboigo, cùm ad cœnandum Imperator & Principes conveniſſent, inopinato eventu ruinoſum ejuſdem arcis cœnaculum concidit. Imperator apprehensâ feneſtrâ ſingulari DEI protectione evaſit incolumis, cœteri qui aderant omnes oppeſſi, plerique è veſtigio exſpirarunt. BRUNO quaſſatis membris ſeptem diebus ſupervixit, quibus animæ expiandæ, & cœlo demerendo inſumptis, piiſſimè debitum naturæ perſolvit. Revectus Herbipolim ſummo cum luctu, & dolore ſuorum, in ſummæ Baſilicæ crypta depoſitus eſt cum hoc Epitaphio:

Anno Domini MXLV. Sexta Calendarum Junii, Obiit B. BRUNO *Epiſcopus, fundator hujus Eccleſiæ.*

Sancti eum titulo exornant Gualterus, & alii in Catalogis Epiſcoporum Herbipolenſium.

DIE XXVIII. MAII.

S. GULIELMUS GELLONENSIS DUX AQUITANIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum:

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio per pronepotem Sigebertum deducit Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.
|
Arnoaldus Dux Mosellanus.
|
S. Arnulphus Dux Mosellanus.
|
B. Ansegisus Dux Mosellanus & Brabantiæ.
|
Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.
|
Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Aldana Uxor Theodorici Comitis, & Consulis.
|
S. GULIELMUS Gellonensis Dux Aquitaniæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo cæteri Carolingi & Habspurgici.

Nexus II. ad mentem Chiffletii.

Arnaldus de Bellanda.
|
Nemericus Comes Narbonensis. Uxor Aldana.

S. GULIELMUS Gellonensis.

Ermingardis, cujus maritus —

Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator.
|
Ludovicus Pius Imperator.

Acta Synoptica.

NObilissimis natus parentibus Theodorico Comite & Aldana matre GULIELMUS, & liberalibus institutus disciplinis, Aulam Caroli Magni secutus Regi & Proceribus acceptus fuit, ut & Consulis & Ducis Aquitaniæ titulos adeptus, in rebus bellicis primæ cohortis principatum sortiretur. Commissa illi Legatio contra Theobaldum Regem, & Hispanos, & Agarenos. Acriter Septimaniam ingressus Rhodanum transivit, Arausicam urbem obsedit, & fugatis invasoribus eripuit. Deinde cum Barbaris transmarinis & vicinis Agarenis sæpius confligens triumphavit, Saracenos perdomuit, Imperium Christianum dilatavit. Quæ cùm omnia DEO accepta referret, in territorio Lutevensi in valle Gellonis honori Salvatoris & duodecim Apostolorum Monasterium condidit, Monachos cum Abbate illic constituit: quibus tandem & ipse

Orderic. Vital. lib. 6. hist. Eccles.

Bucelin. in Menol. ad 28. Maii.

Bolland. To. 2. Feb. sup. cit.

Carol. Stengel. in vita.

relictâ seculari militiâ Anno 806. adscribi voluit, die Apostolorum Petri & Pauli Monachus factus, de Consule coquus, de Duce Magno servus, ligna collo deferens, amphoram aquæ bajulans, ut loquitur Ordericus Vitalis. Totas ibi noctes divinorum contemplationi, & orationis studio impendebat, centies interdiu, centies noctu genua flectens, non pro suis tantùm sed pro omnium peccatorum delictis DEUM deprecari solitus. Clibanum ardentem aliquando scapulari suo purgans, in nullo læsus est. Magnis demum meritis & virtutibus conspicuus, velut lucidissimum patientiæ ac demissionis speculum, syderibus empyreis accenseri dignus Anno 810. felieiter exspiravit, à morte non minùs effulgens, cùm in ejus transitu campanæ circumquaque omnes, nemine pulsante, seipsis sonuêre. Confunduntur à quibusdam hujus Acta cum S. Gulielmi Magni etiam Ducis Aquitaniæ, & alterius Gulielmi Anachoretæ actis, ut benè observavit Henschenius, qui amitinum Caroli Magni appellat. Dies ei sacra hæc ipsa 28. Maij.

DIE XXIX. MAII.

B. DIETHLANDUS ABBAS EINSIDLENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator.
Ermingarda Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Hunfridus Comes Habspurgicus.	Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Ludovicus IV. Rex.
Gunthramus I. Comes Habspurgicus.	Henricus Auceps Imperator.	Carolus Dux Lotharingiæ.
Landolus, qui & Betzo, Comes Habspurgicus.	Henricus Dux Bavariæ.	Ermingardis Uxor Alberti Namurcensis Comitis.
Radepoto Comes Habspurgicus.	Luitgardis Uxor Burchardi II. Ducis Sueviæ.	Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.
	B. DIETHLANDUS Abbas.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri ad hodiernos Archiduces.

Acta Synoptica.

BUrchardo II. Suevorum Duce & Luitgarde (quam Lazius S. Udalrici Augustani sororem fuisse ex aliorum mente asserit) filiâ Henrici Ducis Bavariæ natus, ad pietatem animum applicans, in Cœnobio Einsidlensi Helvetiæ, cui parentem suum summoperè affectum & munificum viderat, Ascetam acturus se inclusit Anno 938. Ibi inter cæteros statim virtute ac prudentia eminere visus, post obitum primi Abbatis B. Eberhardi, fratrum votis Abbas secundus esse promeruit Anno 58. Demum cùm quinquennio laudabi-

Bucelin. in Chronol. Maria. fol. 88. & 94.

Laz. Migrat. lib. 8. f. 487.

Bucel. in Menol. Indice, & in Añal. Ordin. & in Conſtant. Chron. fol. 183.

dabiliter præfuiſſet, quietis & ſupremæ ætatis ſanctiùs exigendæ ſtudio præſulatu ſe abdicavit; nec multò pòſt eximiâ ſanctitate & meritis conſpicuus mortalitatem exuit Anno 936. tranſactæ Religioſæ vitæ 25. Plura alii ſuggerent. Diem ejus natalem hic reponimus, pridie Bucelinus, apud quem Beati titulo honoratur, & alibi à DIETHLANDO ſcriptum Commentarium eruditum in Epiſtolas D. Pauli commemorat.

DIE XXX. MAII.

S. FERDINANDUS III. REX HISPANIÆ.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Aſcendentium.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Gisla Uxor S. Everardi Ducis Forojulienſis.

Berengarius I. Rex Italiæ.

Willa Uxor Adelberti Marchionis Eporediæ.

Berengarius II. Rex Italiæ.

Otto Gulielmus Comes Burgundiæ.

Reinaldus I. Comes Burgundiæ.

Wilhelmus Comes Burgundiæ.

Raymundus Comes Galliciæ.

Alphonſus VII. Rex Hiſpaniæ.

Ferdinandus II. Rex Legionis.

Alphonſus IX. Rex Legionis.

S. FERDINANDUS III. Rex Hiſpaniæ.

Deſcendentium.

S. Ferdinandus III. Rex Hiſpaniæ.

Alphonſus X. Rex Caſtellæ.

Sancius IV. Rex Caſtellæ.

Ferdinandus IV. Rex Caſtellæ.

Alphonſus XI. Rex Caſtellæ.

Henricus II. Rex Caſtellæ.

Joannes I. Rex Caſtellæ.

Henricus III. Rex Caſtellæ.

Joannes II. Rex Caſtellæ.

Iſabella Uxor Ferdinandi Regis Aragoniæ.

Joanna Hiſpaniarum hæres, Uxor Philippi Archiducis Auſtriæ.

Carolus V. Imperator Auſtriacus.

Philippus II. Rex Hiſpaniarum.

Philippus III. Rex Hiſpaniarum.

Philippus IV. Rex Hiſpaniarum.

Carolus Rex Hiſpaniarum.

Acta Synoptica.

Henſchē. To. 2. Aprīl. f. 393. Roderic. Tolet. in Hiſt. Hiſp.

CAtholicæ Religionis Atlas, & fidei propagator FERDINANDUS, multa cum Saracenis bella geſſit in Hiſpania, magnâ tunc ſui parte ab impiis Chriſti oſoribus occupatâ. Et quia ſapienter ſecum expendebat, Chriſtianorum bella non curribus aut equis tantùm, aut vario telorum generi, ſed divino vel maximè Numini debere inniti, ſanctum Dei famulum Petrum Gonzalez ex ordine Prædicatorum ſibi aſſiſtere voluit, cujus precibus, & ſalubri conſilio juvaretur. Quantum ille orationibus ſuis, & habitis ad militem Concionibus præſtiterit, oſtendit eventus. Nam Anno 1230. junctis viribus cum Alphonſo Patre, ingenti prælio Mauros vicit, occupatis aliquot munitiſſimis urbibus. Defuncto dein Patre, Regna Legionis & Caſtellæ conjungens, iterum Anno 1232. Cordubam expugnavit Maurorum ſedem, & Anno 1248. Hiſpalim. Quæ inter pacis etiam ſtudia non negligens, Palentinam Academiam ante annos 30. fundatam ab Alphonſo Rege, ipſe Salmanticam tranſtulit, dictus Princeps *fortis, felix, & ſanctus.* Ac demum Anno 1252. ſanctiſſimè obiit, relicto hærede regni ſucceſſore Alphonſo X. ſapiente, inſigni Philoſopho & Mathematico, multis hiſtoricis celebrato. Colitur hac die 30. Maij. Plura de eo ſuggerent Rodericus Toletanus, Vaſæus, alii.

DIE XXXI. MAII.

B. MECTTILDIS VIRGO ABBATISSA DIESSENSIS & OETTELSTETTENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Ex mente Henningis.

Luitfridus Comes Habſpurgicus.

|

Ebrentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurenſis.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

S. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

|

Richolita Uxor Chunonis Comitis Oeningani.

|

Chunegundis Uxor Friderici Comitis Andecenſis.

|

Leopoldus Comes Andecenſis.

|

Arnoldus Comes Andecenſis.

|

Bertholdus I. Comes Andecenſis,

|

Bertholdus II. Comes Andecenſis.

|

B. MECHTILDIS Virgo Abbatiſſa.

Alium nexum ex Carolingis vide in B. Raſſone die 17. Junii.

Acta Synoptica.

TAm teſtata fuit virtus hujus Virginis (Raderum legis) ut ne fama quidem auderet de ea mentiri, quod magno teſte Ambroſio decus maximum eſt, quo commendatur Virgo. Quam ergo te memorem Virgo, quam innocentia fecit homine majorem? Nihil erat, te nobiliſſimo Bertholdo, ex Illuſtriſſima Andecenſium Comitum familia oriundam? Nihil Principum & Imperatorum propinquam? nihil quod mirari ſolet orbis, tibi mirum vel expetendum, quæ ſub ipſos infantiæ annos jam cœlum animo concepiſti, nihil-

Rader. To. 1. Bavar. ſanctæ fol. 128. Brunner. in Faſtis. Bucelin. Chronol. Mariana, & in Menol. ad 6. Julii.

nihilque mente niſi divinum & cœleſte complexa es. Quinquennis Deo dedicata, mox vini, carnis, lecti, omniúmque ſuavioris vitæ commodorum uſu abſtinuiſti, ibique tantùm invita liquorem vitis guſtaſti, cùm aqua ipſa occultâ vi Numinis in vini laticem tertiùm migravit. Felix Damaſium, cui tanta contigit Antiſtita; felices Virgines, quæ tali paruerunt Magiſtræ: impiæ quæ hujus imperium & Magiſterium vel contempſerunt, vel neglexerunt, cui Dœmones ipſi obſequi ſunt coacti, quos ex humanis corporibus pulſos procul ejecit. Morbi profligati Sanctam clamitarunt, cùm ad illius vocem à languentibus receſſerunt. Quid miramur illam futurorum conſciam fuiſſe, quæ omnium ſeculorum conditorem ſemper in pectore, & Virgineo corpore circumferebat? præſertim cùm tanta ejus fuerit religio, ut unius dicti causâ, quod inane & profanum Virgini videbatur, magnam vim lacrymarum profunderet, inediâ multorum dierum & pervigiliis expiaret. Nec illud ſupra fidem, in ultimis verſanti, voce viribúsque deſectæ à cœlitibus cœleſtem agnum in cibum ac viaticum allatum, quando cum illis mox corpore expedita in cœlum evolavit. Capilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengenſem, cùm dotem Monaſterio impetraſſet, partem redituum devovit ſanctioribus panibus pinſendis, qui ſacrificantium uſui cederent. Plura apud Caniſium leges. Diem natalem ad 29. Martii refert Brunnerus: Florarium MS. ad 30. Januarii: Bucelinus ad 6. Julii: Raderus ad 26. Februarii; ſed Bollandus certò ſibi conſtare ait, quòd ſit 31. Maij. Deceſſit verò, ut Bucelinus habet, Anno 1160. vel, ut Chronicon Andecenſe, 1154.

Engelhard. Abb. Lanchaim. in Vita.

Henric. Caniſ. To. 5. antiq. lection.

Chron. Andecen.

Nadaſi Año Sanct. ad 6. Julii.

Finis Menſis Maij in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

AN-

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
JUNIUS.
Sive
MAXIMILIANUS I. PRUDENS,
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

MErcurio quondam ſacer fuit hic menſis apud Romanos: meliùs nunc ſit MAXIMILIANO, qui Occidentem Orienti conjunxit, Caduceator & ipſe Pacificus utriuſque ſolis Domûs. A juventute dictum Junium exiſtimant, à Junone pronuba alii, alii à Junio Bruto libertatis Romanæ authore. Sanè MAXIMILIANUS & juvenis per connubia latè diffudit Auſtriam, & libertatem peperit Germaniæ jam adultus. Repetamus ergo, quod olim luſimus.

MAXIMILIANUS I. PRUDENS,

Magni Parentis filius Maximus.
Menſuram nominis implevit factis.
Dicerem,
Niſi cœlitùs nomenclaturam accepiſſet,
Velut pretioſum unionem in tempeſtate conceptum,
Nomen à Maximiano traxiſſe,
Quo quantùm ætate poſterior, tantùm prior fuit
Rerum geſtarum magnitudine:
Potiori jure, quàm ille Herculei cognomento donandus.
Dicerem,
Simplici nomine non debuiſſe notari,
Qui Fortunam Auſtriacam geminavit;
Junxiſſe Fabii Maximi & Paulli Æmilii magna nomina:
Sed horum juncta decora,
Umbra tantùm fuerint Herculis Auſtriaci,
Qui ſcivit in ipſo ætatis diluculo
Agere fortia, & *Pati*,
PER TOT DISCRIMINA RERUM.
Reptare per rupes, eluctari ad confragoſa præcipitia,

Symbol. Maximil.

Quid erat niſi ad ſummum felicitatis apicem
Auſtriacam provehere Majeſtatem ?
Stetit
Ubi omnis ambitio caderet:
Miſerandum ſuis ſpectaculum,
Niſi ſpectaculo Euchariſtici ferculi ſervaretur.
Stetit
In ſcopulo adoleſcens Gigas,
Cœlum pietate expugnans, qui erat adultus
Urbes expugnaturus, & regna.
Habet hoc ſibi congenitum
Auſtriaca Prudentia.
Iiſdem ſervat artibus Imperia, quibus peperit.
Orbem Euchariſticum adorat,
Et novos ſibi *Orbes* efficit tributarios.
Patronam MARIAM deligit,
Et ultra maria regnorum ſuorum
Columnas erigit.
MAXIMILIANUM quid vetat dicere MARIANUM ?
Quotidiano in pileo MARIÆ geſtavit iconem,
Nunquam magis liber, quàm ita ſervus.
Tam profuſis donariis MARIÆ amorem teſtatus eſt,
Ut etiamnum Hallis devotus
In argentea flectat ſtatua,
In aurea floreat roſa.
Lipſ. in Diva Hallenſi.
Agnoſco Auſtriacum ingenium!
Voluiſti MAXIMILIANE Tuam Pietatem Manere
Sub Roſa.
Actum egiſti.
Non latent, quæ auro radiant.
Adhuc extant Tuæ virtutis veſtigia,
Etiam poſtquam es ſepultus in calce.

Hecatombæa ſacra *Junio* menſe peragebantur à Græcis, quibus centum victimæ Leonum immolabantur. Meruit magna MAXIMILIANI anima Hecatombæa Elogia, cui tot hoſtium centuriæ ad pedes procubuerunt; ſed nullus calamus pareſt, MAXIMILIANI Elogiis: his proinde ſubſtituamus Sanctorum Synoptica.

CALEN-

CALENDIS JUNII.

B. SIGRADA VIDUA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.
- Chilpericus Rex Suessionum.
  - Clotharius II. Rex Francorum.
    - Dagobertus Magnus Rex.
      - Clodoveus II. Rex.
        - Theodemirus Rex. Uxor — Clothildis, quæ & Bathildis.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certâ serie Carolingi & Habspurgici.
  - N - - - Comes Pontivensis. Uxor S. Sigrada.
    - N. Soror S. Leodegarii, Uxor N - - -
    - S. Leodegarius.

Acta Synoptica.

DE Sancta Vidua SIGRADA id unum hactenus ad nostram venit notitiam, quod ex Epistola consolatoria filii S. Leodegarii conjici potest. Vidua marito, & amissis omnibus bonis temporalibus, in Cœnobium se recepit DEO servitura. Interim Ebroini majoris domus Regii Palatii crudelitas in Episcopos sævire cœpit. Hos inter comprehensus S. Leodegarius, & frater ejus Guayrenus; hic palo alligatus & lapidibus obrutus; ille oculis orbatus, & præcisis labiis, quin & linguâ excisâ, quam fertur prodigiosè recepisse, non multò post gladio feriundus. Commota fuisse hujusmodi nuntio materna viscera solus dubitet, qui exuerit hominem. Mœstam proinde consolaturus Leodegarius, Epistolam postremam ei direxit, ex quâ paucula libamus. *Dominæ & Sanctissimæ Genitrici* SIGRADÆ, *quæ anteà per cognationem carnis, modò per conjunctionem spiritus facta es vera mater. &c. O Domina, quantum gaudium oportet te habere in Domino, nec lingua effari, nec pagina valet continere: dereliquisti quod derelinquendum erat, adepta es, quod desideravit anima tua: exaudivit Dominus orationem tuam, & vidit lacrymas tuas &c. & quod paululum videbatur impedire ad capiendam æternam beatitudinem, truncavit à te, ut soluta à vinculo familiarium & libera ab omni compede mundi hujus, vaces & vivas Domino. &c. O felix mors, quæ vitam tribuit, felix amissio rerum, quæ divitias restituet sempiternas, felix tristitia quæ gaudium affert Angelorum. &c Jesus Christus misertus est tui, qui devotionem spiritualem, & custodiam sanctæ disciplinæ, & contemptum mundi tibi habere concessit, & pignora uteri tui de ærumna hujus seculi, & de errore præsentis vitæ eripuit, & dedit spem vitæ æternæ*

S. Leodegar. Ep. in Epist. ad matr. ap. Phil. Labbe To. 1. Biblioth. fol. 777.

iis, quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo. &c. O bona Domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit &c. Audi & auſculta: pro obſequio famularum dedit tibi omnes fratres ſanctos, qui quotidie pro te orant, pro ſervitio ancillarum dedit tibi ſorores ſanctas, quarum conſortio frueris, pro labore præſentis vitæ quietem in congregatione Monaſterii, pro amiſſione rerum ſcripturam ſanctam divinam, & meditationem ſanctam, & orationem aſſiduam, pro amiſſione parentum habes, eſt tibi ſoror, eſt tibi filia: tu itaque ei viciſſitudinem redde, quia ut certus ſum in Chriſto Jeſu, eſt nobis cor unum & anima una. Hæc & plura ſanctus filius ſanctæ matri, de quà ſuppeditent alii plura, & diem ejus natalem certum requirant.

DIE II. JUNII.

S. BASINUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

|

B. Arnoaldus Dux Mosellanus.

|

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

|

S. Clodulphus Dux Mosellanus.

B. Ansegisus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo cæteri deinde Carolingi, & ex his Habspurgici.

Gonza Uxor Gerwini Austrasiæ Ducis.

|

S. Luithwinus, Archiep. Trevirens.

S. BASINUS Archiep. Trevir. secundùm alios filius B. Arnoaldi.

Acta Synoptica.

BAsi videbatur eguisse Trevirensis cathedra, cùm BASINUS, qui nihil magis quàm honores fugiebat, è Monasterio extractus, in quo latere optabat, Gregorii Papæ II. imperio illi impositus est. Paruit supremo capiti, & caput Cleri existens compati scivit cæteris membris, memor Episcopum, licet caput sit corporis, non tamen esse totum corpus, nec sine mysterio dictum ab Apostolo: *Alter alterius onera portate.* Familiaris D. Willibrordo spem illi fecerat Epternacensi in agro condendi Cœnobii, quam mors intercidit, sed nepos ejus successor explevit: quem conjugali innexum vinculo, & Aulæ sequacem non destitit lucrari DEO, & è mundi pedicis extrahere; quod tandem obtinuit, & DEO gratias agens, non alium, quàm hunc sibi successorem designare voluit. Paucis in Basini elogio multa exprimit vitæ author: BASINUS *creatus Antistes ostendit mox in opere, quod vox ejus sonat in nomine. Etenim Basim & murum ascendens ex adverso se posuit pro domo Israël. Neque amicam ab ipsis infantiæ crepundiis disciplinam monasticam, tametsi pastoralis curæ sarcinâ premeretur, neglexit. Cæteris quidem aforis Pontificali excellentiâ præfuit, profuit sibi ab intus Monachali exercitio.* Sanè qui sic ambidexter est, in eo siniſtrum quæras nihil.

Nizyo Abb. Mediolacen. in ejus vita. Bolland. Sac. ad 4. Martii. Bucelin. Menol. Gualter. Chron. Chronico. de Episc. fol. 1449. Brouver. lib. 7. Annal. Trevir. Malen. in Epito. Franc. Rosiet. To. 3. hist. c. 49. Arnold. in Wion. in Martyrol. Menard. Dorgan. & alii.

hil. Ita vivendo ſemper ſibi ſimilis vivendi, finem fecit in bona ſenectute, & ſepultus in æde S. Maximini, quam heu! dum iſta ſcribo, barbara crudelitas Gallorum conjecit in rudera, & quod olim Ethnici, & pagani, quod poſtmodum hæretici & ſacrarum reliquiarum hoſtes intactum reliquerant, hoc disjecerunt Chriſtiani, & qui nuncupari volunt Chriſtianiſſimi! O tempora! O mores! Exſurge Domine, vindica cineres Sanctorum tuorum. Obiit Anno 697. die 4. Martii, & ea die refertur in Martyrologiis: nos in hanc diem ex cauſa ſuprà inſinuata reſervavimus. Sanctos colere nullo non die laudabile eſt.

Eâdem

Eâdem DIE II. JUNII.

S. RATHRUDA VIRGO SANCTIMONIALIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator.
- Ludovicus Pius Imperator.
  - Carolus Calvus Imperator.
    - Ludovicus Balbus, Rex & Imp.
      - Carolus Simplex Rex.
        - Ludovicus IV. Transmarinus Rex.
          - Carolus Dux Lotharingiæ.
            - Ermingardis Uxor Alberti Comitis Namurcensis.
              - Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii Ducis Lotharing.
                - Itha, cujus maritus ——
  - Lotharius Imperator.
    - Ermingardis cujus maritus — Ragnerus Magnus Dux Lotharingiæ.

Symphoriana Uxor Lamberti Ducis Mosellani.
- Loherus Dux Mosellanus. Uxor — Terentia.
  - Fridericus Dux Mosellanus.
    - Sadigerus Justus Dux Mosellanus.
      - Ragnerus Magnus Dux Lotharingiæ.
        - Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.
          - Luitfridus Comes Habspurgicus.
            - Hunifridus Comes Habspurgicus.
              - Guntramus II. Comes Habspurgicus.
                - Betzo Comes Habspurgicus.
                  - Radepoto Comes Habspurgicus.

Pemo Dux Forojulienſis.

Aristulphus Rex Langobardorum.
- Terentia.

Rachis Rex Langobardorum.
- B. RATHRUDA Monialis.

Acta Synoptica.

Leo Ostiens. M. Ant. Scipio. Arnold. Wion. Bucelin. Menol. ad 2. Junii. Henn. P. 1. Germ. fol. 184.

RATHRUDA aliis etiam Petruda nominata Rachisii celeberrimi Langobardorum in Italia Regis filia, opibus pollens, ætate florens, fortunâ præstans, formâ elegans, postquam intellexit patrem Regem multis victoriis clarum, omnibus perituris rebus sponte relictis Monachum in Casinensi Cœnobio induisse, nec cuiquam nubere, nec in patria remanere voluit.

luit. Verùm patrem, matrémque Thesiam Casinum consequuta, quid. quid secum contulerat facultatum, partim in egenos erogavit, partim Ecclesiis distribuit. Permittente autem S. Petronace Casinensis Archisterii Abbate, Monasterium Virginum Plumbariolæ, haud procul Casino dissitum, una cum matre propriis sumptibus construxit, ubi sub Regulari disciplina degens, in sancto proposito vitam finiunt. De anno obitus, etsi non ità constet, certum tamen Anno 750. summa omnium cum admiratione sacro velo ornatam.

Diem ejus natalem in 2. Junii reposuit Bucelinus,
Sanctam appellans.

Eâdem DIE II. JUNII.

S. MORANDUS ABBAS CONFESSOR.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Quibus natus sit parentibus S. MORANDUS, divinare non possum, cùm vitæ Anthor hæc solùm de iis prodat: *Beatus Morandus ex Galliæ partibus, nobilissimis est ortus natalibus. Parentes ejus inter potentum catervas Primates præclari, tam in Religione Christiana, quàm rerum temporalium opulentiâ pleniùs fuerant locupletati.* Ita ex Ambrasiano exemplari D. Lambecius. Apud Andream verò Quercetanum in Bibliotheca Cluniacensi pro illis verbis *Galliæ partibus*, habetur Germaniæ partibus: & hoc videtur esse magis syncerum, quia narratur adductus à parentibus Wormatiam ad discendas sacras literas. Lambecii argumentum quo movetur, ut credat fuisse Gallum, me non convincit: quià, inquit, callebat sermonem Gallicum, & ideò fratribus fuit datus pro interprete, ut in vita refertur; sed multi nati Germani benè callent linguam Gallicam, ut possint interpretes agere. Paulus de Stokherau, qui Anno 1482. ejus vitam descripsit, inter alia notavit; eum fuisse *ex illustri Principum Austriæ Genealogia progenitum.* Hoc D. Lambecius putat intelligendum secundùm communem opinionem Trithemii & Lazii, quæ Habspurgicos à Francorum veterum Regibus deducit. Verùm quia S. Morandus coævus fuit S. Bernardo Clarævallensi, eique supervixit Anno 1153. quo tempore jam stirps Francorum Regum veterum exaruerat, faciliùs credam fuisse revera Habspurgicum, licet parentes fileantur. Et cùm pro consanguineo Austriæ Principum jam olim sub Friderico IV. Imperatore Viennæ sit habitus, meritò nobis hoc loco reponitur, quamcunque demum habeat Genealogiam.

Lambec. Biblioth. Cæs. lib. 2. c. 8. fol. 889.

Andr. Quercet. in Bibl. Cluniac. ap. eund.

Paulus de Stokherau in Legenda S. Morandi. initio.

Acta Synoptica.

Primos infantiæ annos vix egressus MORANDUS, Deo ceu novus Samuel à parentibus consecratur Wormatiæ in æde summa, ubi cum literis pietatem hausit proficiens de virtute in virtutem, donec ad gradum sacerdotii conscenderet. Tum verò altiora animo concipiens, Compostellam ad D. Jacobi peregrinus abire constituit. Fortè ex itinere Cluniacum digressus, & S. Hugonis familiari alloquio captus, sub ejusdem Magisterio perfectionis viam addiscere, ut primùm è peregrinatione reverteretur, decrevit. Id quod non multò pòst factum, & Morandus ex sacerdote Monachus tantum illicò progressum fecit in via virtutis, ut nemini secundus haberetur. In Arverniam subinde missus, manifestis divinæ gratiæ donis & signis cœpit claresccre, ut sanctitatis ejus fama etiam longè dissitos ad benedictionem petendam allicc-

Anon. author Legendæ S. Morandi coævus ap. Paulum de Stokherau, & Pet. Lambec. Bibl. Cæsar. lib. 2. cap. 8. fol. 898.

ret. Translatus in Sundgoviam ad novi Cœnobii coloniam, non minore ſtudio divinis ſe impendit ſervitiis, cùm generis humani hoſtis ejus invidus profectui, miris eum modis exagitare aggreſſus eſt; verùm triumphali Crucis ſigno ſæpius fugatus, tandem etiam ex energumenorum corporibus ad Morandi imperia migrare compulſus eſt. Nulla fuit ægritudo, quam vir Dei aut precibus, aut manuum impoſitione non curaret. Talibus ornamentis animæ dives, & longo confectus ſenio, tandem corporis ſolutus ergaſtulo cœlos petiit. Ad exequias totius Diœceſeos Religioſi concurrentes, in media Baſilica ſumma cum reverentia ejus ſacra lipſana condiderunt, ubi Deo placuit novis ſignis ſervi ſui ſanctitatem manifeſtare. Nam & contracti membrorum integritatem, & claudi pedum uſum, & Dœmoniaci animi malaciam, & quietem illic conſecuti ſunt. Poſt plures annos incendio abſumptâ Eccleſiâ, & denuò reſtauratâ, translatæ ſunt Sancti reliquiæ, & ipsâ translationis horâ duo cœciviſum, tres claudi greſſum ejus patrocinio receperunt. Obiit poſt annum 1153. cùm S. Bernardo Claræ vallenſi Epitaphium ſcripſerit. Vixit in Religione annis circiter quinquaginta, quia receptus à S. Hugone Abbate, cujus obitus ad annum 1109. refertur. Dies ejus Natalis Cluniaci die 30. Junii celebratur, Viennæ olim ſecundâ hujus menſis, quâ & nos eum repoſuimus.

DIE III. JUNII.

S. CLOTHILDIS REGINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodoveus Rex Francorum primus Chriſtianus. Uxor S. CLOTHILDIS.

|

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Duces Brabantiæ, Carolingi, & Habſpurgici indubitatâ ſerie deducuntur.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos per pronepotem Sigebertum Exulem.

Acta Synoptica.

Gregor. Turon. lib. 2. c. 29. & ſeqq.

Jo. Bapt. Maſc. in Encom. SS. Bucelin. in Menol.

TAceſſant cœteri vetuſtiores majores Domus Habſpurgo-Auſtriacæ, Sancta origo decet ſanctam familiam. Nihil hic ſibi Trojani arrogent, nihil Julii. Felicis arboris radix in Clodoveo Chriſtiano, & CLOTHILDE ſancta feliciſſimè ſolidatur. Clodoveus primus ex Francorum Regibus purpuratis, Chriſtianæ fidei, quam latè propagaturi erant Habſpurgo-Auſtriaci, factus eſt candidatus. *Dux fœmina facti.* Oppoſita hæc fuit primigeniæ Protoparentis omnium conjugi, quia conſilium dedit viro ineundæ vitæ, illa incurrendæ mortis. Nempè familiaris hæc non fuit angui ſtygio, quæ angues & colubros calcavit in idolis. Miſerum nunc non eſſet humanum genus, ſi talem auctor ejus conjugem fuiſſet ſortitus. Excepit tunc nuptiales tædas mortalium cinis, & thalamos tumulus. Clodoveo facem accendit Hymenæus ceu Prometheus, quâ luteum cor animavit ad vitam, & diduxit oculos, ut ſolem viderent. Felix mulier, quæ marito ſimul vitam dedit & poſteris, melior hæc Pyrrhâ, ille Deucalione; dum enim Idolorum ſaxa poſt tergum abjiciunt, ſaxeis populis vitam inſpirant. CLOTHILDIS, quæ nullum non lapidem moverat, ut maritum Chriſto adduceret; dein etiam imitata Amphionem, lapides ſuavi ſuæ eloquentiæ cantu in templa & aras coëgit, ipſa demum tumulato marito facta ceu lapis angularis in Cœnobio S. Martini Turonis, ubi ſanctiſſimè exactâ vitâ ad civitatem illam translata eſt, cujus muri ſunt *omnis lapis pretioſus.*

Obiit Anno 554. miraculis multis illuſtrata.

DIE IV. JUNII.

B. MARGARITA BRABANTA V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imp.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitiſſa Namurcen. Uxor Alberti I.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri Habſpurgici ad hodiernos.

Sophia Uxor Godefridi I. Ducis Brabantiæ.

Godefridus II. Dux Brabantiæ. Uxor — Luitgardis.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

Henricus Probus Dux Brabantiæ.

Henricus Magnanimus Dux Brabantiæ. Uxor — Maria Uxor Henrici Magnanimi.

B. MARGARITA Brabantia V. Abbatiſſa.

Agnes Uxor Friderici I. Ducis Sueviæ.

Fridericus II. Dux Sueviæ.

Fridericus I. Imperator.

Philippus Imperator.

Acta

Acta Synoptica.

FUit moribus & omni virtutem genere abinfantia cultiſſima, divinorum autem amore, & terrenorum contemptu longè illuſtrior: repudiato Illuſtriſſimorum Principum conjugio Regum Regis cum Magdalena pedes exambiit, prompta currere viam mandatorum DEI, & in condito à fratre ſuo Valleducenſi Virginio Monaſticen amplexa, inſigni animi demiſſione deliciarum & commodorum omnium corporis contemptrix admirationi omnibus fuit. Tandem egregiis à Numine nobilitata miraculis & ſanctitate inſignis, curſum præſentis vitæ feliciter complevit, cujus feſtiva memoria quotannis in eodem Cœnobio celebratur. Claruit circà annum 1260.

Bucelin. Menol. Adrian. Barland. Thomas Cantipræ-tan. Rubertus Miræus. Henning. P. 1. Germ. fol. 124.

DIE

DIE V. JUNII.

B. BONIFACIUS EPISCOPUS MOGUNTINUS M.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Dux Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo certâ ſerie Carolingi & Habſpurgici.

Adelbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga filia S. Annæ Regis.

Lotharius Rex Cantiorum. - - - - - - ex Regio Anglorum ſanguine.

S. Richardus Rex. Uxor — — Bonna. S. BONIFACIUS Ep. M.

Acta Synoptica.

Nicol. Setar. in vita. Chriſtop. Brouver. in Syder. Andreas. Brunner. in Faſtis. Gualter. in Epiſc. Mogunt. fol. 749. & 971. Stangefol. Circ. Weſtphal. lib. 2. fol. 51.

BONIFACIO & hoc & Apoſtoli nomen Germania peperit, cùm Winfridus olim vocaretur. Monaſticen puer amplexus eſt, multum adverſante patre, donec immiſſo divinitùs morbo pertinacia ejus eſt domita. Sacris initiatus Friſones Chriſtianâ diſciplinâ imbuendos, Pontificum deinde juſſu Germaniam univerſam excolendam ſuſcepit, adoleſcentulis etiam in partem pii operis adſcitis. In Boica S. Sturmionem, Treviris Gregorium ſibi junxit quatuordecim annorum adoleſcentulum, cùm Anagnoſten in triclinio peritè agenti aures dediſſet: capto enim egregiæ indolis experimento unius congreſſus ſuavitate ad ſui eum imitationem attraxit, ut palam dictitaret, ſuis ſe pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, ſi equi copiam avari amici negaſſent. Bonifacii labores, & arduum 55. annorum à ſacerdotio ad Martyrium uſque actorum curſum quis explicet? in tanta ſæpè neceſſarii victus inopia, ut cœlo commeatum ei ſubmitti avium miniſterio fuerit neceſſe. Friſonibus Chriſto nuper additis diem dixerat, qua ſacro chariſmate frontes inungeret: ij ex diſcipulis latrones facti optimè de ſe meritum

tum cum 51. ſociis peremerunt. Irruenti in ſe Barbaro Evangelii codicem BONIFACIUS objecit, qui etſi diſciſſus eſt, negant tamen ullam literulam eâ plagâ vitiatam. Omnia ipſius facta dictáque admiranda ſunt: illud ſæpè ſæpiùs repetitum noſtra ætas multò verius, quàm Bonifaciana audiat: Olim ſacerdotes aureos cum ligneis calicibus fuiſſe; nunc aureos eſſe calices, ſed ligneos ſacerdotes. Paſſus eſt Anno 755. cujus ſacrum corpus primùm ſibi Trajectenſes vindicarunt, ſed repetentibus armatâ etiam manu primum ſuum Archiepiſcopum Moguntinis, BONIFACIUS B. Otperto per noctem viſus, in ſuum Fuldenſe Cœnobium deportari voluit.

DIE VI. JUNII.

S. MEINWERCUS EPISCOPUS PADERBORNENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.
|
Ludovicus Pius Imperator.

- Carolus Calvus Imperator.
  - Ludovicus Balbus Imperator.
    - Carolus Simplex Rex.
      - Ludovicus IV. Rex.
        - Carolus Dux Lotharingiæ.
          - Ermingardis Uxor Alberti Namureenſis.
            - Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.
              - Itha Uxor Radepotonis Habſpurgici, à quo cœteri.
- Ludovicus Rex Germaniæ.
  - Carolomannus Rex Bavariæ.
    - Arnulphus Imperator.
      - Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ
        - Henricus Auceps Imperator Uxor — Mechtildis. S. MEINWERCUS

Walpertus Dux Saxoniæ, Angriæ, & Weſtphaliæ.

- Theodorus Comes Ringelheimenſis.
  - Immodus Comes Ringelheimenſis.

Hanc geneſim putat eſſe ſinceram Brouverus, qui addit matrem S. MEINWERCI Adelam fuiſſe cognatam S. Henrico II. Imperatori. Alij verò ex Comitibus Geldriæ ortum putant S. MEINWERCUM, & fuiſſe nepotem S. Adelheydis Vilicenſis ex fratre. De hac egimus 5. Februarij, ubi Nexus videri poteſt.

Acta Synoptica.

Brover. in Sideric. fol. 20. & 55. Bolland. & Henſch. To. 2. Apri. fol. 563. Stangefolius lib. 3. fol. 229. & 234. Theodor. Rhay. in anim. illuſtr. Gualter. fol. 1066. in Epiſcop.

NOndum ætate adoleverat MEINWERCUS, minor natu inter proles Imadi Comitis, jam adultus videri potuit virtutibus. Liberalibus diſciplinis Halberſtadij, dein Hildeshemij excultus, ad Clerum Halberſtadienſem tranſijt Canonicus primùm ejus Eccleſiæ, amatus æquè & honoratus ab omnibus, Præpoſito imprimis, quem ſibi innatâ morum ſuavitate devinxit. Non diu tamen eâ quiete frui licuit, jam à cognato Imperatore Ottone III. ſacello aulico præeſſe juſſus, mox Cæſaris æquè ac Procerum animos occupavit, gravitatem modeſtiâ, zelum affabilitate attemperans, aulici ignarus opificij, quo per oppreſſionem veritatis dominatur dolus, & ad lychnum elaborantur fumi, quibus ſynceritas obfuſcatur. Extincto ſub hæc Ottoni ad Imperij tractandos faſces ſuffectus Henricus ſanctus, cui (ut vitæ Author loquitur) MEINWERCUS *tam carnis propinquitate, quàm vitæ ſynceritate jam dudum notiſſimus, de caro fo carissimus; factusque eſt ei in negotijs publicis & privatis Comes.*

Una

Una utriusque mens augere divinum cultum, oratoria, templa, aras, Cœnobia erigere, inſtaurare, dotare. Unde nihil deliberandum erat Henrico, cui Paderbornenſem Eccleſiam vacantem concrederet: Adſtanti MEINWERCO cùm deceſſoris mens nuntiaretur: Accipe, ajebat Henricus, Chirothecam porrigens: quærit MEINWERCUS, quid accipiam? at ille: Epiſcopatum Paderbornenſem. Mox MEINWERCUS: Ex ijs, quæ largâ manu liberale cœlum in me congeſſit, opulentiorem Epiſcopatum poſſum condere. Et hæc cauſa, ſubjicit Henricus, cur te illi deſtinem Eccleſiæ, quæ indiget reſtauratore. Cujus matrem in terra dotaveris, ejus in cœlo te hæredem futurum ne dubita. Benè habet, hilari voce reponit MEINWERCUS, placet conditio, pareo, non ſuſceturus honorem niſi hoc ritulo oneroſo: ut mirum ſit, ab uno MEINWERCO tot erigi ac dotari potuiſſe Eccleſias, Cœnobia, loca ſacra, quot ab eo condita ac dotata narrantur. Cathedralem ſuam à fundamentis erexit ſeptennio, & ampliſſimis dotavit reditibus. Monaſterium S. Benedicti Paderbornæ, Collegium duodecim Canonicorum extra eandem urbem, Monaſterium in monte ad Erfordiam, & plura alia ipſi debent ſuam originem. Cùm ita ſolicitè pro cultu divino ampliando per annos 27. invigilat, annis & meritis plenus obit in die Pentecoſtes Anno 1036. eâ ipsâ horâ, quâ creditur Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Obitum ejus eàdem horâ per revelationem didicit S. Godehardus Hildeſienſis Epiſcopus, & oblato ſacrificio deprædicavit ut Sanctum, ſtatuítque deinceps, quoad viveret, imitatione MEINWERCI non amplius albo pane veſci. Sed minimè nobis hoc loco prætereunda ſunt, quæ inter Henricum ſanctum Imperatorem, & MEINWERCUM jucundæ animi relaxationes interceſſere, quibus alter alterius virtutem exercuit. Conſtituerat aliquando Henricus in Curia Epiſcopali balneo uti: juſſit proinde, curaret Præſul ne quid ad lavandum deeſſet. MEINWERCUS tempore utendum ratus, occaſionem hanc toti ſuæ Eccleſiæ egeníſque pariter quæſtuoſam hoc ſancto ſtratagemate arripuit. Tenuiſſimis agnellorum pelliculis Cæſari talarem ſyntheſin muſtelarum jugulis per limbos circumductis confici curat, quam Imperatori benè lauto per ambitioſum ſervitium ſubridens injicit. Splendidam veſtem primâ fronte Cæſar admiratus, mox peregrinas commiſſuras, pinguiáque aſſumenta ſentiens, vultu ſeveriore aſſumpto, ejusmodi paſtoritiam veſtem, inurbanum Præſulem, non Cæſarem decere aſſeruit. MEINWERCUS verò urbanè reponit: Eam veſtem totius Imperii paſtori Cæſari belliſſimè convenire; ſimúlque exaggeratè commemorat, quantam illa veſtis ovilibus ſuis cladem intuliſſet: nec deſtitit antequàm regali curte, ſeu villa inſigni, bono egenorum & Eccleſiæ veſtem illam Imperator redimeret. Alio tempore Henricus patrio recepto more Nativitatis Dominicæ pervigilio poculum MEINWERCO miſit, generoſiſſimo plenum vino; ſolicitè miniſtrum monens, craterem ut referret: quo imperata faciente, donum MEINWERCUS commendat, & latorem honeſtis colloquiis, ac vario officiorum genere eousque detinet, donec advocati artifices (latiſſimâ jam cuppâ) poculum ad modum calicis formaſſent, Imperatoris ipſius, ut donantis nomine, baſi inciſo. Cæſar intellectâ ſtrophâ probavit eludentis induſtriam, nihilominùs ex compoſito craterem repetiit, Epiſcopum monens, de proprio non alieno & raptu liberalem eſſe. Manè tamen in primo ejus noctis ſacro, conthorali Chunegunda ſocia aræ craterem imponit, Epiſcopo Eccleſiæ

Gaſp. Bruſch. Arnold. Wion. Bruna. lib. 9. rer. Boic. Henning. Germ. P. 2. f. 374.

& ſibi de dono tam pretioſo applaudente. Et cùm piis iſtis ſtratagematibus (Palatinis ac inprimis Imperatrice MEINWERCI zelo faventibus) non ſemel ad aras exornandas petita cimelia retineret: imò rari pretii pallium Auguſtale (gratis ſæpè petitum) clàm ſurripuiſſet, ac Cæſari id repoſcenti reſpondiſſet: non videri æquum Chriſtum Cæſare pauperiorem eſſe, neque jam uſu ſuo ſacrata poſſe reverti; Henricus ſancto ejus dolo & ingenio delectatus, pariter cum eodem ſanctis jocis luſit. Adverterat Imperator, non ſemel Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ curis ac ſpiritu raptum, aliquoties tam in ſermone, quàm in publici officii recitatione barbariſmos committere, ut proinde ipſum ſcienter neſcium, & ſapienter indoctum diceret: idcircò clàm Author Sacellano fuit, ut in collecta defunctorum (ubi pro *famulis & famulabus* oratur) priorem ſyllabam ex Miſſali eraderet. Obtemperat Sacellanus, & dum pro parentibus Imperatoris faceret MEINWERCUS, non literam quæ occidit, ſed ſpiritum qui vivificat attendens, ut ſcriptum reperit, legit: *animabus mulorum mularumque tuarum*: aſt actutum errorem agnoſcens, repetitis verbis quæ malè protulerat, correxit raſurâ non animadverſâ. Sacro abſoluto & Pontifici ad menſam vocato Imperator inſultans: *Ego*, inquit, *patri meo & matri, non mulis atque mulabus meis Miſſam celebrandam rogavi.* At MEINWERCUS: *Per Matrem*, ait, *Domini, tu more ſolito iterùm illuſiſti mihi, & non quoquo modo, verùm in Dei noſtri ſervitio, cujus ipſe vindex eſt & judex. Namque ſibi factum non pertranſibit inultum.* Quo zelo mox Canonicis in Capitulum Principalis Eccleſiæ congregatis, Capellanum Imperatoris, hujus rei Authorem, duriſſimè verberibus caſtigari juſſit, ut qui ex pelle vitulina ſeu pergameno ſcripta eraſerat, pellem ſuam virgis benè conſcriptam Imperatori offerret: quo malo ſuo edoctus Sacellanus, ipſe quidem, ſed minimè Imperator à jocis deſtitit. Ad menſam aliquando ſedenti per anguſtam laquearis rimulam tenuem philyram ſeu membranam auro inſcriptam demitti MEINWERCO jubet Henricus, quâ monebatur diſponere domui ſuæ, veluti quinta pòſt die moriturus. Et cùm in horto, cubiculo, variiſque per domum Epiſcopalem locis, paſſim Dei nutu (ut opinabatur) ſparſas ejusdem ſchedas argumenti reperiret, extremis viribus mundum poſthabens, ad decretoriam illam horam, continuis jejuniis, vigiliis, aliisque corporis caſtigationibus ſe comparabat: & cum arcis confractis quidquid auri, argenti, ſupellectilis, eſculenti ac poculenti reliquum erat, opésque mox deſerturus, prodigâ (ut ſolebat) manu inter egenos, ſolâ ſandapilâ retentâ largè ſparſiſſet, in crypta ſtrato cilicio, conſcientiâ priùs per exhomologeſin purgatâ, pronus jacens inter continuos gemitus, ſuſpiria & lacrymas in amaritudine animæ ſuæ anteactæ vitæ noxas deflebat: ſic in quintam diem conſcientiæ Deóque vacans, cùm nihil languoris præter latrantem fame ſtomachum ſentiret, doli quid latere ratus, primis tenebris è lecto ſe proripit, & dum jejuniis ferè enectum corpus reficere cogitat, algidum focum, culinam vacuam, & à pauperibus devoratam ſenſit, ut ditiſſimo Comiti, munificentiſſimo Fundatori, pauperrimo Epiſcopo ex alieno vivendum fuerit. Poſtridie cùm Eccleſiam ingreſſo certatim omnes de vita, ſingulari Dei beneficio prorogata, & inter reliquos Henricus Cæſar cum Palatinis fabulæ conſciis congratulatum accurrerent, non ſuum, ſed in Epiſcopo illatum Eccleſiæ & Deo vilipendium moleſtiſſimè accipiens, omnes hujus ſtrophæ authores fulmine excommunicationis ictos, è templo exeſſe juſſit, donec crimen in Chriſtum Domini admiſſum agnoſcerent.

Percu-

Perculit hoc inopinatum fulmen Palatinos, atque inprimis Auguſtum & Auguſtam fabulæ præcipuos authores, templóque reverentiali timore egreſſi, erratorum veniam (magnis Aulæ miniſtris non ſemel miſſis) rogant, quibus MEINWERCUS nil concedendum exiſtimavit, niſi in cinere, cilicio, excalceatíque ad templi Abdinghofenſis fores ſalutari exemplo pœnitentiam agentes, ſua arbitria acciperent. Quod dum in tanto faſtigio collocatæ illuſtres animæ demiſsè faciunt, neſcias ſanè, an his de humili obedientia, an MEINWERCO de conſtantia in defendenda Eccleſia potiùs gratulêre. Habet in Imperatore vir cordatus quod admiretur, in Imperatrice & fœmina quod imitetur: in MEINWERCO denique omnis Clerus & fidelis anima quod veneretur. Sanè cavillis excipiant id Chriſtianum facinus, hoc noſtro palliato, callidóque ſeculo, quo Politicismus mundum inambulat, Pſeudopolitici ut volunt, rideant auream prioris ſeculi innocentiam, quâ ſecundùm faciem ſanctorum, ſancti cum Deo & inter ſeſe jucundè agebant: deliria inquam illi ſua (quibus nulla Eccleſiæ reverentia eſt) delirent; candorem tamen ſanctorum illorum gratiſſima poſteritas, omnis orbis Chriſtianus loquetur, eorúmque nomina perennabunt. Hæc de MEINWERCO, cujus natalem conſignant Bollandus, Rhay, Broverus & alii die 5. Junii, nos una die ſubſequimur.

DIE VII. JUNII.

B. RITZA CONFLUENTINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

B. RITZA Confluentina.

Acta Synoptica.

IGnota Geneographis nomina ſenſim prodeunt ex vetuſtis Chartophylaciis, quibus abrogare fidem, ut notat Bollandus, *iniquum eſſet, ne dicam ſacrilegum.* Egent, quos hactenus legimus, Geneſeon collectores magno ſubſidio, quod in tanta hiſtoricorum, ex quibus Geneſes eruuntur, multitudine ne unus quidem præſtiterit. Singuli ſingularum Provinciarum, imò ſinguli paucarum familiarum majores inveſtigare deberent, & ſymbolum conferre in unum opus, quod pluribus deſerviret. Quis priori ætate inter Caroli Magni ſorores numeravit Gertrudem Carleburgenſem, Itisbergam, Efficiam Monialem? quis meminit Hadelogæ Caroli Martelli filiæ? hæ noſtro ſeculo prodeunt redivivæ ex monimentis variarum Eccleſiarum, ex fundationibus nondum vulgatis. His accenſetur B. RITZA filia Ludovici Pii, quam prodiderunt S. Caſtoris monimenta, ex quibus colligitur, quòd fundos & prædia circa Confluentiam habuerit. Bollandi verba pro ejus elogio, donec plura inveniamus, ſufficiant: *Harum quoque neptis* (nempe ſororum Caroli Magni) *ex Ludovico Pio* B. RITZÆ *ſcriptoribus incognitæ, ad Confluentiam domos ac fundos extitiſſe, teſtantur Eccleſiæ S. Caſtoris monimenta, ubi ſepulta miraculis & cultu piorum claret.*

Bolland. To. 1. Jan. fol. 838.

Eadem

Eadem DIE VII. JUNII.

B. AGNES PRINCEPS BOHEMIÆ, MONIALIS ORD. S. BENED.

Habspurgo - Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.
& cœteri sæpius relati.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Namurcensis

Uxor I. Chunonis Comitis Rhynfeldensis.

Uxor II. Gerardi Alsatii Ducis Lotharingiæ.

Chuno II. Comes Rhynfeldensis.

Rudolphus Rhynfeldensis Imper.

Mechtildis Uxor Ernesti Strenui, Marchionis Austriæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Austr.

S. Leopoldus Marchio Austr.

B. M. Gertrudis Uxor Uladislai II. Regis Bohemiæ.

Premislaus Ottocarus Rex Bohemiæ.

B. AGNES Monialis S. Bened.

Wenceslaus Ottocarus Rex.

Ottocarus Premislaus Rex.

Wenceslaus Rex. Uxor

Itha Uxor Radepotonis Com. Habspurg.

Wernerus I. Comes Habspurgicus.

Otto Comes Habspurgicus.

Wernerus II. Comes Habspurgicus.

Wernerus III. Comes Habspurgicus.

Adalbertus I. Comes Habspurgicus.

Rudolphus Comes Habspurgicus.

Albertus Comes Habspurgicus.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Gutta Habspurgica.

Alios Nexus, vide 5. Augusti in B. M. Gertrude Regina, & 12. Augusti in B. M. Wladislao Marchione Moraviæ, & alibi.

Acta Synoptica.

Balbin. rer. Bohem. Epit lib. 3. c. 10. & 13. Ex Archiv. S. Georgij Prag

NAta eſt AGNES Uladislao Patre Bohemiæ Rege, Matre Gertrude Auſtriacâ ſancti Leopoldi filiâ, ab hac ſugere, ab illo diſcere potuit pietatem. Sanè & Mater Gertrudis à mariti obitu vitam in Parthenone ſanctiſſimè traduxit, & parens Uladislaus poſt fundata ac dotata plura Cœnobia, *nihil jam ſibi propè Princeps optimus* (verba ſunt Balbini) *reliquum ad ſummam virtutem fecerat, omne pietatis genus aggredi, omnes numeros implere cupiebat.* Talibus formata exemplis AGNES, ſacro velo ſuſcepto in Parthenone Doxanenſi inter Virgines Præmonſtratenſes fundatione materna Dei ſervitiis ſe totam dedit. Inde poſt annos aliquot, volente Patre ac Premislao fratre, translata Pragam ad Virginium S. Georgii, Antiſtitam egit, & ſanctè deceſſit. Ubi in Calendario ejus memoria his verbis conſignata eſt: *Die 7. Junij obiit piæ & beatæ memoriæ* AGNES *Abbatiſſa, reſtauratrix Eccleſiæ S. Georgij Pragæ, Congregationis noſtræ ſoror profeſſa.* Beatæ titulo eam honorat Balbinus, neque hactenus plura de eâ reperi.

DIE

DIE VIII. JUNII.

S. CLODULPHUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellanorum.

B. Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus Dux, à quo Carolingi & Habſpurgici.

S. CLODULPHUS Dux Moſellanus, & demum Eremita.

Acta Synoptica.

AN poſt matrimonii vincula ad Infulas evocatus ſit CLODULPHUS, ut nonnulli ſcribunt, an cœlibem ſemper vitam duxerit, non decerno. Licuiſſe filio quod patri, & plurimis ſanctis, non ambigo. Pater ex marito Epiſcopus, & quidem ſanctus, filium alterum ſi ſtirpis propagatorem non habuit, ſanctum habuit, hic Metenſi ornatus Infulâ ſumma cum vigilantia annis ferè undecim gregem pavit, etiam miraculis clarus. Volunt eum Metis ad Cathedram Trevirenſem vocatum, & vetuſtiores Catalogi cum cœteris adnumerant; recens Maſenius eum inde excludit. Ego quod pro indubitato affirmem, non habeo. Gualterius eum à Milone excluſum affirmat, quod ſanè accidere potuit. Illud nobis ſatis eſt, quòd Sanctis adnumeratus numerum augeat Sanctorum Habſpurgo-Auſtriacorum. Errat verò Bucelinus, qui eum obiiſſe ſcribit Anno 973. nec etiam Henningi credo ſtatuenti obitum Anno 718. cùm Arnulphus Pater obiiſſe ſcribatur 641. Fortè obiit, ut habet Texera, Anno 686. Plures ei filios ante Epiſcopatum ſuſceptos paſſim tribuunt Geneographi, S. Baſinum, Gonzam S. Luitwini Archiepiſcopi matrem, Martinum Moſellanum, & alios, de quibus diſputare hic ſuperfluum eſſet. Theodorus Rhay hoc eum ornat elogio: Ex Moſellano Principe Epiſcopus, ex Epiſcopo Eremicola, qui turbas & temporalium negotia fugiens, ſylvâ plurimis annis abditus, vigiliis item & orationibus cœleſtique meditationi vacans, vitam Angelicam vixit: in quo Spiritus Sanctus mirabiliter requieſcens, varia mortalibus beneficia piè petentibus ſub ipſius patrocinio clementer oſtendit.

Bucelin. in Menolog. Gualterus in Epiſc. Trevir. Franc. Roſier. Bolland. To. 1. Febr. fol. 233. Texera in Exeg. fol. 50. Gelen. Theodo. Rhay in anim. illuſt. ad 8. Junii.

DIE IX. JUNII.

B. EMMA REGINA ANGLIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.		Lotharius I. Imperator.
Ludovicus Balbus Imperator.	Juditha Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.	Ermingardis Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.
Carolus Simplex Rex.	Balduinus II. Calvus Comes Fland.	Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.
Ludovicus Transmarinus Rex.	Elfleda Uxor Edgari Pacifici Regis Angliæ.	
Carolus Dux Lotharingiæ, proavus Ithæ nuptæ Radepotoni Comiti Habſpurgico, à quo cæteri ad hodiernos Archi-Duces.	Ethelredus Rex Angliæ, Uxor I. B. EMMA Mater S. Eduardi Regis Confeſſoris.	S. Eduardus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

Bolland. ad 5. Jan. fol. 291. c. Florent. Wigorn. Wilhel. Malmesbu. Polydor. Virgil. Nicol. Harpsfeld. Ranulph. Ceſtrenſ. lib. 6. c. 23.

REgno admotus adoleſcens Rex Eduardus eo Matrem in honore habuit, quo decet Filium; ſed ut eſt ambitio ſemper conſortis impatiens, Goduvinus Comes Cantiæ, deturbare illum de gradu dignitatis aggreſſus eſt, *veritus ne plus apud Eduardum pium ac Religioſum Regem, Matris ſanctiſſimæ prudentiſſimæque conſilia, quàm ſuæ valerent verſutiæ.* Impulit ergo Regem occultis ſuggeſtionibus, ut Matri, quidquid in auro, argento, gemmis, aliisque rebus pretioſum habebat, ex improviſo eriperet. Factum id non ſine calumnia; & imputatione violatæ pudicitiæ. In crimen vocatus Alſuvinus Wintonienſis Epiſcopus proximâ illi cognatione junctus, cujus præſentiâ conſilióque EMMA viduitatis moleſtias ſolabatur. Relegata igitur in Werwellenſe Monaſterium, patienter injuriam tulit, datis ad Epiſcopos, in quibus confidebat, literis, teſtata plus ſe de Præſulis Wintonienſis ignominia, quàm ſuâ torqueri injuriâ, paratam crimen ordolio diluere. Erat verò Ordolium purgationis genus olim uſitatum per ferrum candens. Compatientibus cæteris ſolus obſiſtebat Robertus Cantuarienſis, qui partibus Goduvini Comitis adhærebat, auſus inſuper aliis criminibus ſanctam onerare Reginam. *Si tamen*, ajebat ille, *pro ſe ipſa novem paſſus, & pro Epiſcopo quinque paſſus*

paſſus continuos ſuper novem ignitos vomeres nudis pedibus & plenis veſtigiis illæſa tranſierit, ab impetitione iſta evadat abſoluta. Nihil renuit Regina, præfigitur examini locus, quo Rex cum Epiſcopis & proceribus conveniunt. EMMA præcedenti nocte ad ſepulchrum S. Swithini Wintonienſis divinum exorans auxilium confortatur. Die & horâ conſtitutâ, peractis ſolitis cæremonijs Regina educitur velatis oculis, media inter duos Epiſcopos, plebeiâ veſte eáque ad genua usque adducta, tibiis & pedibus nudis, calcat illæſa ignitos vomeres, populo interea de rei eventu ſolicito, & inter lacrymas opem S. Swithini implorante, in cujus Eccleſia examen hoc peragebatur. Cúmque jam extra Eccleſiam deducta eſſet Regina, quærit ex Epiſcopis ſe deducentibus: *Quando ad vomeres perveniemus?* At illi perfuſi lacrymis, jam felici innocentiæ teſtimonio calcatos eſſe, reſponderunt. Accurrit Rex filius ingemiſcens, veniam deprecatur, & Matri ablata omnia reſtituit. Cui illa: Naturales & materni ſtimuli facilè à me veniam extorquent: ſed tu fili vide, quomodo Alfuvino Epiſcopo ſatisfacias. Accerſitur ille, deprecatur Rex, & ultroneè præſentibus Epiſcopis ac Matri dorſum denudat, ab iisque ipſis virgis cædi in expiationem nimiæ ſuæ credulitatis impetrat. Qua ratione deinceps EMMA ſuam exegerit vitam, non reperio. Niſi quòd ſecundis nuptiis juncta ſit Canuto Regi Daniæ. Sanctam fœminam appellat Malmesburienſis, quæ theſauros ſuos in Ornamenta Eccleſiarum impendit. Sanctiſſimam & prudentiſſimam nominat Bollandus. An autem cultu aliquo Eccleſiaſtico honoretur, me latet. Meruit hîc locum innocentia divinitùs vindicata.

DIE X. JUNII.

S. MARGARITA REGINA SCOTIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Carolus Calvus Imperator.

Lotharius I. Imp. avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico.

Judita Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

Ludovicus Balbus Imp. à quo poſt V. gradus Itha Lotharingica Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

|

Elfleda Uxor Eadgari Regis Angliæ.

|

Ethelredus Rex Angliæ, Uxor B. EMMA.

|

Edmundus Ferreum latus, Rex Angliæ

|

Eduardus Ethelingus Rex Angliæ.

S. Æadgarus. S. MARGARITA Regina Scotiæ.

Acta Synoptica.

CApe has è MARGARITÆ Scotorum Reginæ muliebri mundo gemmas, nulli ſexui, nulli ætati indecores. Malcolino Regi nupta, omniúmque titulorum particeps, nullum cupidiùs quàm Matris pauperum affectavit, meruítque non in ſuo tantum regno, quod liberalitatem ejus non cepit, quemadmodum neque dies in pietatis opera ei ſufficit. Singulis noctibus matutinum, quem vocant, curſum de SS. Triade, tum de Cruce, denique de Virgine Deipara abſolvit. Annexuit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria; Quid poſt hoc penſum ſomno relictum eſt? quem tamen ne tam quidem admiſit, priusquam ſex pauperum pedes abluiſſet. Diem ſic auſpicata eſt. Novem infantulos, quos à ſuis neglectos matribus educabat pro ſuis, nutricularum occupato officio, paſcebat cibos ori ingerens, & quidem genibus nixa, ut reverentiùs haberi non poſſent, ſi vel cœlo lapſi fuiſſent. Trecentis aliis, ſed adultioribus, partito cum Rege miniſterio cibum inferebat. Tum repetitæ preces, utique penetraturæ cœlum, cùm tot pauperum apprecationibus ſublevarentur. Iidem publicè prodeuntem ſtipabant catervatim, vile ſatellitium, ſed ad ſuperos profecturis percommodum. In cujus itineris procinctu cùm ſemper ſtetiſſet, edocta tandem divinitùs eſt, quando migrandum eſſet. Mortua toto vultu erubuit. Senſiſſe plauſus diceres, quibus tam rara virtus in cœlo recepta eſt.

And. Brunner in faſtis. Surius in vita. Boll. To. 1. Jan. fol. 294. & To. 2. Jan. fol. 241.

DIE

DIE XI. JUNII.

S. EADBERTUS REX NORDHANYMBRORUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adelbertha Uxor Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.
      - Uxor —— S. Eanfleda.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Ida Rex Nordhanymbrorum.

- Oga R.
- Ethalricus Rex.
  - Aldhelmus.
  - Ethelfrid. R.
    - Egwaldus R.
    - S. Oſurus R.
      - Lethewaldus Rex.
        - Cuthwinus R. Nordhum.
          - Cutha Rex Nordhumbr.
            - Kenredus Rex Nordhumb.
              - S. EADBERTUS Rex Nordhumbriæ.
            - S. Ceolulphus Rex.

Acta Synoptica.

EAdbertus Rex, aliis EADBERTUS, ceſſione S. Ceolulphi patrui regnum adeptus, cùm id annis viginti ſumma cum dignitate ac felicitate adminiſtraſſet, pertæſus mundi Oſonulpho filio ſceptrum tradidit, ac Lindisfarnenſe ingreſſus Cœnobium, Monaſticen amplexus eſt, patrui prædeceſſoris exemplo. Ibi bonorum operum ſtudiis ad vitæ finem perſeverans, egregiâ ſanctitate illuſtrior, quàm diademate enituit, cœleſte regnum pro terreno adeptus, & ſanctis adſcriptus. Claruit Anno 758.

Bucelin. Menol. ad 20. Auguſt. Bolland. To. 1. Jan. fo. 1082. & To. 3. Mar. f. 442. Polyd. Virg. hiſt. Angl. Hugo Menard. & alii.

Eadem DIE XI. JUNII.

B. M. AGNES AUSTRIACA REGINA HUNGARIÆ.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Albertus I. Imperator.

|

B. M. AGNES, Uxor Andreæ III. Regis Hungariæ.

Acta Synoptica.

AGNES ſanguine Auſtriæ Dux, felicitate Regina Hungariæ, virtute ſanctimonialis. Hæc à prima juventute in precibus aſſidua, æquales ætate canis moribus antecedens, vanitates mundi peroſa, choreas & ſpectacula ſemper declinare ſolita, cùm ad nubiles annos perveniſſet, Andreæ Veneto (ſic dicto, quòd matre Veneta natus eſſet) uxor data eſt, cui quinque ſolùm annis convixit. Eo brevi tempore Regiam aulam ſapientiæ domum fecit; in qua veluti Lycæo profeſſa eſt *Timorem Domini.* Nam uti loquitur ferè coævus hiſtoricus: *Andream Regem docuit timere Deum*, ſicut *ipſa timorata & Deo devota fuit.* Defuncto marito, tota ſe divinis rebus ac orationibus addixit, pro anima conjugis exorans, & aliquando eam vocem audiit (eodem hiſtorico referente) *Beata hora in qua nata es: nam tuis precibus jam iter perveniendi ad Deum patefactum eſt.* Ut primùm defuncti Mariti corpus tumulo illatum eſt, ac funebria perſoluta, ex Hungaria ſe recepit, & in Monaſterium Campi Regii cum Matre conceſſit, aſſumptâ etiam filiolâ, quam Andreas Rex ex priore conjuge ſuſceperat, Eliſabethâ. Ibi AGNES octo annis ſupra quadraginta induto ad nudam carnem cilicio, deſuper griſeo amicta veſtitu, jejuniis, eleemoſynis, ac operi manuum ſemper intenta, præſertim poſt obitum Matris ſuæ Cœnobii Fundatricis, ità ſe geſſit, ut eam omnes veluti ſpeculum ſanctæ vitæ ſpeciali amore proſequerentur. Tandem Anno 1364. ipſa die S. Apoſtoli Barnabæ veſpertinâ horâ placidiſſimè animam Deo reddidit, ætatis Anno 80. ut habet Gans, vel 84. ut vult Haſelbachius. AGNETEM hanc nimiæ in privignam ſeveritatis arguit Bucelinus, inductus authoritate ſcriptoris cujusdam minùs æqui, quòd illam ad Monaſticen adegerit, cùm fuiſſet fratri germano Henrico Duci Auſtriæ deſponſata; ſed alibi rurſum eam laudat, & extollit. Inter alia tradit, quòd dum Luitgarda prima Magiſtra & Fundatrix Monaſterii Wittikovu Ord. S. Franciſci Anno 1313. Königsfeldæ AGNETEM Reginam acceſſiſſet, ad menſam aſſidens prophetico Spiritu intuita Cœnobioli ſui incendium, inter uberes lacrymas in ea verba eruperit: *Jam jam ô Regina Cœnobium meum flammis abſumitur.* Cui AGNES: *& à me ſtatim excædificabitur.* Id reipſa præſtitit, cùm ſuum Königsfeldenſe plurimùm excoleret. Referimus eam inter heroides bonæ memoriæ, cùm alii ſileant de Beatæ titulo.

Thom. Ebendorff in Ms. hiſt. Auſtrica.

Gans in Gynæc.

Bucelin. in Conſt. Chr.

DIE

DIE XII. JUNII.

S. ADALBERO EPISCOPUS AUGUSTANUS,

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Hartmannus Comes à Dillingen & Werdea
circa Annum 890. Uxor Hildegardis.

Hugobaldus Comes à Dillingen & Werdea.	S. ADELBERO Episcopus Augustanus.
Uxor Thietburga Filia Burchardi Ducis Sueviæ.	
Lazius putat illam filiam S. Rudolphi Burgundiæ Regis.	
Hartmannus II. Comes Dillingano-Kiburgicus. Uxor Adelheidis filia Comitis Brigantiæ.	S. Udalricus Episcopus Augustanus.
Manegoldus Comes Kiburgicus, & Landgravius Alsatiæ, Obijt Anno 992.	
Manegoldus II. Comes Kiburgicus.	
Ulricus Comes Kiburgicus. Uxor Richensa Badensis filia Arnoldi.	
Hartmannus III. Com. Kiburgicus. floruit An. 1179.	
Ulricus II. Comes Kiburgicus.	

Wernerus Comes Kiburgicus. Uxor Anna Soror Bertholdi Ducis Zäringiæ.	Hartmannus IV. Comes Kiburgicus. Uxor Sabauda.	Hedwigis Kiburgica, Uxor Alberti Sapientis Comitis Habspurgici.
	Elisabetha Uxor Eberhardi Comitis Habspurgici.	Rudolphus I. Habspurgicus Imperator.

Alium nexum vide in S. Udalrico Episcopo, die 4. Julii.

Acta

Acta Synoptica.

Ermenri. Mon. Udaſchalc. Abb. in vit. Chron. Ellwang. Sigism. Meiſterlin. Gaſp. Bruſch. de Epiſc. Bucelin. Menol. ad 12. Junii. Henning. P. 1. Germ. fol. 299. Stengel. ad 4. Julii.

ILluſtre genus Dillingæ & Kyburgi Comitum à majoribus accepit ADALBERO, ſed longè illuſtrius reddidit ſuâ virtute. Monachum in celeberrimo Ellwangenſi Cœnobio profeſſus, ſumma cùm ingenii & doctrinæ, tum civilis prudentiæ laude vitæ ſanctitati incubuit. Verſanti apud Arnulphum Imperatorem ejúsque filium Ludovicum, tam præſtans rerum verborúmque fides fuit, ut rarò quidpiam majoris momenti eo inconſulto aggrederentur: fuítque meritò ab Ludovico Auguſto ſummo in honore habitus, cujus adoleſcentiæ ab Arnulpho Patre Cæſare præfectus, digniſſimas Imperio virtutes inſerere & quotidiano profectu cumulare non deſtitit. Abbas primùm ad Laurisheimenſe Monaſterium poſtulatus, poſt quinquennium ad ſui Ellwangenſis Cœnobii regimen, inde ad Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Inſulas extractus eſt. In Monaſterium S. Galli ob Aſcetarum merita propenſiſſimus amorem, ſuum frequenti munerum oblatione teſtatus, ex quo nepotem ſuum S. Udalricum virtute, & eruditione cultiſſimum recepit, & Camerarii honore auctum ad majus perfectionis ſtudium exhortationis verbo, & exemplo vitæ accendit. Obiit meritis plenus Anno 909. Secundùm alios 922. hac die 12. Junii, ſed alii natalem referunt ad 29. Aprilis, ad alii 4. Julii, plurimis à morte miraculis illuſtratus. Vitam ejus deſcripſerunt Ermenricus Monachus & Udaſchalcus Abbas.

DIE

DIE XIII. JUNII.

S. HUGO ABBAS NOVALICIENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

S. HUGO Abbas Novalicienſis.

Ludovicus Pius Imperator.

Drogo Epiſcopus Metenſis.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus IV. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitiſſa Namurci.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.

Itha Uxor Radepothonis Comitis Habſpurgici, à quo certè omnes Habſpurgici usque ad hodiernos.

Acta Synoptica.

DUos ex vago concubitu natos Carolo Hugones oſtendit Chiffletius, utrumque Abbatem: unus hic eſt, de quo agimus, alter Drogonis Metenſis Epiſcopi frater, ex Regina quadam natus, ſecularis, & conjugatus, cui plures Abbatias commendatas fuiſſe peſſimo ſeculi illius more, narrant paſſim Hiſtorici, & ex quo deducit Capeticos Reges idem Chiffletius. Porrò HUGO prior natus circa annum 760. à parente Carolo deductus in Italiam, cùm Ticino obſeſſo Romam contenderet Anno 773. adhuc puerulus commendatus eſt Frodoino Abbati Novalicienſi, ſub cujus diſciplina adolevit Monachum profeſſus, & demum poſt plures annos mortuo Amblulpho Abbate ſucceſſore Frodoini meruit in Abbatem ejus loci eligi. Quo in munere cùm cellas ad Novaljcienſe Cœnobium ſpectantes obiret, ſæpiùs in Franciam venit, funeri parentis interfuit, ac demùm conſedit in Cœnobio S. Medardi Confeſſoris, in quo cùm aliquot diebus fuiſſet moratus, ægritudine correptus, ipſis Idibus Junii exſpiravit, eo loci honorificè humatus, ubi multa per eum miracula Deus operari voluit. Sanctum etiam agnoſcit Bollandus, & inſcribitur Martylogio Gemmeticenſium, licet erient qui eum cum ſancto Hugone Rotomagenſi Epiſcopo confundunt.

Chifflet. Lumin. 8. ad Vindic. Chronic. Novalic. Bolland. To. 2. Jan. fol. 884. 6. & To. 1. April. f. 840. & 910.

Eadem DIE XIII. JUNII.

S. GERARDUS ASCETA FRATER S. BERNARDI.

Habſpurgo - Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Hanc vide in B. Nivardo die 7. Februarij ejus fratre, & B. Aleyde ejus matre die 4. Aprilis.

Acta Synoptica.

S.Bernar. ſerm.26. in Cantic. Chryſoſt. Henriq. To.1.SS. Ord. Bucelin. Menol.ad 13. Junii.

SEculi deliciis irretitum GERARDUM, cùm reliquis fratribus manus dantibus Bernardus lucrari non poſſet, prodigiosè evenit, ut & ipſe annueret: ſi quidem ab inimicis ſuis vulneratus, captus, & in carcerem ac compedes conjectus, ſuſpirare cœpit fratrum libertatem; adeò feliciter adverſa erudiunt. Literis ergò ad Bernardum datis, opem implorat, ultrò pollicetur, quæ priùs abnuiſſet. Ex hinc nocte quadam ſopore obrutus audit: *Hodie liberaberis.* Recordatus ſub veſperam ſequentis diei, compedes palpat, & pars ferri in manu diſſilit: ſtupet; ac mox reſumpto animo jam liber compedibus accedit oſtium ſubterraneæ domus, iterum ſeram & peſſulum tangit, quæ illicò inter manus ejus delabuntur, & oſtium apertum patet. Solutus ergo carcere, ac voti reus Ciſtertium contendit, religioſam auſpicatur vitam, quam Doctor ipſe mellifluus ſuſpiceret ac veneraretur. Ita quippe „ ipſemet de fratre ſcribit: Norunt contubernales, quàm mores ejus, & ſtudia „ non carnem ſaperent, ſed ferverent ſpiritu. Quis illo rigidior in cuſtodia diſ- „ ciplinæ? quis in caſtigando corpus ſuum diſtrictior? ſuſpenſior vel ſublimior in „ contemplando? ſubtilior in differendo? &c. parco tamen, quia caro mea, & „ frater eſt. Hoc tamen ſecurus addo, mihi utilis in omnibus, & præ omnibus „ fuit. Utilis in parvis & magnis, in privatis & publicis, foris & intus: qui non „ in maximis tantùm, ſed & in minimis maximus erat. Ex his facilè GERARDI magnitudinem, & merita æſtimes, ad quem nimirùm non minima portio meritorum magni Bernardi pertinere videatur. Mortuus eſt exultans, & jubilans. Cùm Viterbii exiſtens ægrotare cœpiſſet, DEO querebatur, quòd in aliena terra Bernardum fratrem deſerere cogeretur. Ejus precibus convaluit datis inducijs, dum Claramvallem reverſus, vocanti Numini paruit, morbi recidivâ extinctus, in cantando moriens, moriendo cantans, ut loquitur Barnardus; ab ipſo ſancto fratre tumulatus, & panegyricâ non tamen lugubri oratione laudatus.

DIE

DIE XIV. JUNII.

S. RUMBOLDUS ANLGLUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opino deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.
|
Adilbertha Uxor Ethelberti Regis Cantiorum.
|
Ethelburga Uxor S. Edwini Regis.
|
S. Eanfleda Uxor S. Oswij Regis Nordhumbrorum.
|
Alefridus Rex Northumbrorum.
|
S. RUMBOLDUS Princeps.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

FOEcundus olim Sanctorum ager Anglia, etiam RUMBOLDUM produxit, quem Regii sanguinis fuisse certum est. Aletrido patre suspicatur Henschenius. Obiit in pueritia, eúmque miraculis clarum, & sanctum deprædicant Buckingamienses. Nec plura de eo hactenus investigare potuimus. Supplebunt alii defectum, & assignabunt natalem certum. Hensch. To. 1. Mar. fol 441. lit. F.

Eâdem DIE XIV. JUNII.

B. M. HENRICUS PRAGENSIS EPISCOPUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Henricus I. Auceps Imperator: cujus majores à Carolo M. vide in B.M. Gertrude Regina ad 5. Auguſti.

Otto I. Imperator.
|
Otto II. Imperator.
|
Juditha Uxor Brzetislai Ducis Bohemiæ.
|
Wratislaus I. Rex Bohemiæ.
|
Wladislaus I. Dux Bohemiæ.
|
Wladislaus II. Rex Bohem. Uxor Gertrudis Auſtriac. — B. M. BRZETISLAUS, ſeu HENRICUS Epiſcopus Pragenſis.
|
Premislaus Ottocarus Rex Boh.
|
Wenceslaus Rex Bohemiæ.
|
Premislaus Ottocarus II. Rex Boh. — Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.
|
Wenceslaus II. Rex Bohemiæ. — Uxor ——— Gutta Habſpurgica.

Acta Synoptica.

Balbinus Epit. rer. Bohem lib. 3. c. 13. fol. 244. & 256.

Peſſina Mart. Moav. lib. 3. cap. 5.

Fugger in ſpec. hom.

VAlentino Epiſcopo Pragenſi extincto ſucceſſit BRZETISLAUS Dux Bohemiæ, frater Wladislai II. Regis (alii ex Henrico ejus fratre nepotem faciunt) appellatus à Germanis HENRICUS, ut eſt apud Joan. Jacobum Fugger, & Balbinum. Fuit priùs Præpoſitus Wiſſehradenſis, vir & morum gravitate, & vitæ ſanctimoniâ conſpicuus. Pariſiis altiores ſcientias didicerat. Multa à Friderico Bohemiæ Duce, & à Theobaldo Theobaldi fratris ſui filio, à quo minimè omnium debuerat, perpeſſus eſt, adeò ut lites ad Cæſarem pervenerint, ejúsque judicio finiri debuerint. Abeunte Conrado Bohemiæ Principe in Italiam, curam ipſe Bohemiæ ſuſcepit, quam optimè ab eo adminiſtratam, ſcriptores omnes conſentiunt. Armis illam ſæpè ab hoſtibus defendit: Moraviam cùm exercitu ingreſſus, caſtris omnibus vi

aut

aut deditione expugnatis, Bohemiæ adjunxit, famem graviſſimam prudentiâ & liberalitate ſuâ à patria depulit. Domum Epiſcopalem in minore Praga ad ripam fluminis condidit, Templum S. Viti, & S. Petri in Wiſſehrad ornavit, & demum poſt laudabile quinquennii regimen fatis conceſſit Anno 1196. Egræ, & in Doxanenſe Cœnobium devectus, ibi tumulum nactus eſt. Calendarium vetus ejus Cœnobij hæc de illo habet: *Die* 14. *Junii obijt Beatæ recordationis* HENRICUS *Pragenſis Epiſcopus, & noſtræ Congregationis Protector pijſſimus, omniumque ſpiritualium optimus defenſator, qui contulit noſtræ Eccleſiæ circuitum Kolovvez, & de tentorio ſuo ornamenta altarium auro texta.*

Beatum ſimpliciter appellat
Balbinus.

DIE XV. JUNII.

S. EADBURGA MONIALIS WINTONIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

S. Alfredus Rex Angliæ.

Ludovicus Balbus Rex, Caroli Magni pronepos.

Eduardus Rex Angliæ.

Edgiva, cujus maritus —— Carolus Simplex Rex.

Edmundus Rex Angliæ. Uxor S. Elgiva.

S. EADBURGA Monialis Wintonienſis.

Ludovicus Transmarinus Rex, à quo poſt tres gradus Itha Lotharingica Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, & cæteri Habſpurgici ad hodiernos.

Alium nexum vide in S. Eduardo Rege Martyre die 18. *Martij, qui fuit Edmundi Regis & S. Eadburgæ nepos.*

Acta Synoptica.

EADBURGA vix dum adoleſcentiæ annos ingreſſa, à parentibus DEO in Wintonienſi Cœnobio conſecrata eſt, ubi in paupertate & humilitate Chriſto ſponſo ſuo placere ſtuduit; eam paulò pòſt vitæ ſanctitatem conſecuta, ut planè Angelis adhuc inter mortales agens par videretur, & miraculorum nobilitate, ſplendore, ad Sponſum, quem totâ devotione dilexerat, emigraret ſub Annum 930. Sanctis adnumerata.

Osbertus in Contin. Bedæ.

Bucelin. Menolog. ad diem 15. Junii.

DIE

DIE XVI. JUNII.

B. POPPO ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum, Auſtriæ Marchio.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Bertæ, nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico.

Ludovicus Rex Germaniæ.

|

Carolomannus Rex Bavariæ.

|

Arnulphus Romanorum Imper.

|

Luitgardis Uxor Ottonis V. Ducis Saxoniæ.

|

Richarda Uxor Leopoldi I. Illuſtr. Marchionis Auſtriæ.

|

B. POPPO Archiepiſcopus Trevirenſis.

Carolus Imperator, à quo poſt ſex gradus Itha Uxor Radepotonis Comitis] Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos Archiduces.

Acta Synoptica.

VAcanti Trevirorum Eccleſiæ Henricus Sanctus Imperator POPPONEM Babenbergenſis Eccleſiæ Præpoſitum obtulit, Clerus admiſit, imò poſtulavit. Statim ille ſe Atlantem oſtendit, cùm pares oneri ſuppoſuit humeros. Romam profectus Pallium retulit, & diploma Apoſtolicum, quo æmulorum ora obturavit. Intentus Eccleſiæ ſuæ ordinandæ, cùm fortè Palatioli infra Treviros agens, veſtimenti genus, quo in ſacris uteretur, Virgini ejus Parthenonis contexendum tradidit, quæ veneficio uſa amatorio illud philtro ad Antiſtitem traducendum illevit. Qui ubi poſt ſumptam veſtem inſueto ſe libidinis æſtu rapi ſenſit, quem veſte remotâ ſimul deponeret, aliis experimenti gratiâ eandem exhibet, cùm pari illecebrâ traherentur, ad examen deducta res, compertúmque Medeæ ingenium, ac ſoluta Cœnobii diſciplina. Et illa quidem hoc ejecta contubernio, aliæ rigidioribus obſtrictæ vivendi legibus, candidum exindè in pullum vertere habitum juſſæ, cúmque detrectarent, abire loco, & in alia ſe conferre Monaſteria coactæ ſunt. Magnis deinde pro republica & Eccleſia ſua per annos triginta & unum fractus laboribus, Anno 1047. dum Metropolitanæ ædis fabricæ ædificandæ flagrante ſolis æſtu aſſiſtit, uſitatâ correptus febri, impar

Maſen. in Epit. Anal. Trevir. Gualter. Chron. Chronico. de Epiſc. f. 1456.

impar jam ex ſenio viribus, non vulgari ſanctitatis famâ occumbit. Memoria illius die obitus 16. Cal. Julii quotannis à Clero repetitur. Depoſitum corpus in S. Simeonis ab ipſo conſtructa ſacra æde, epitaphio verſibus præ vetuſtate attritis, è quibus adhuc legitur *ſpes gratiſſima Cleri*, & *Clara manens lux*, quod virtutum illius decus nullâ ætate obliterandum ſit. Liberalitas certè ipſius in omne genus hominum præcipuè ſacrorum per diverſas Eccleſias largitionibus profuſis cognita eſt. Ejúsque adhuc recens per totam Trevirenſem Diœceſim memoria. In pauperes ea fuit viri miſeratio, ut cùm in ſumma annonæ victúsque penuria, grex ad urbem revertenti obviam fieret, ac lamentabili voce inediæ aliquod remedium flagitaret, ísque æs omne præſens offerret, illi verò non pecuniam, ſed equos ad ſedandam famem poſtularent; tam ipſe quàm ejus exemplo Comites, equis deſilierent, eósque miſerabili eſurientium turbæ ad lanienam & paſtum repentè irruenti dimiſerint: Spectaculo, quo & POPPONIS humanitatem, & afflictorum id temporis hominum calamitatem poteris æſtimare. Apud Gualterum audit *Chriſti Confeſſor Sanctus.*

DIE

DIE XVII. JUNII.

B. RASSO ANDECENSIS COMES,

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ Habspurgicæ.	Ludovicus, Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imper.
	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Imperator, Tritavus Ithæ Habspurgicæ.
	Arnulphus Imperator.	
	Ratholdus vel Rapoldus Comes in Andechs, sive Damasianus sive Diessensis.	
	Ratholdus II. alijs Rapatho, Comes in Andechs.	
	B. RATHO vel RASSO Comes in Andechs.	

Acta Synoptica.

RASSO hodie, olim RATHO, Boijs Graff Rath/ex nobilissima stirpe Dynastarum Damasiæ seu Andecensium natus, sororem habuit Hattam S. Conradi Episcopi Constantiensis matrem, proavum Arnulphum Imperatorem. Factus tetrarcha Boiorum Orientalem curabat limitem, qui hodie Austria dicitur, vir ingens, & staturâ tam procerâ, ut communem hominis modum excederet, uti saxum ad modum corporis ejus factum ostendit. Hierosolymam adijsse fertur, & inde magnos rerum sacrarum thesauros attulisse. Dein ædem sacram Divis Apostolis Philippo & Jacobo ad Ambronem molitus, contubernium in S. Benedicti leges juratis adjecit, ipséque pars ejus familiæ factus, beato tandem fine quievit. Corpus in Mausolæo conditum hodiéque quotannis maximâ populi frequentiâ colitur, innumerisque votis, prodigijs, & anathematis celebratur. Tabulæ Damasianæ multos ei titulos congerunt, ubi hæc leguntur: *Anno gratiæ nongentesimo quinquagesimo quarto currente, & Ottone I. regnante, obijt XV. Cal. Julij* RAZZO *Comes Bavariæ superioris, qui, ut Chronica montis sancti Andechs testatur, his titulis functus est. Fuit namque non tantùm Comes, sed etiam hæreditario jure Comes Palatinus Rheni, Dux Meraniæ, Dux Burgundiæ, Dux Franconiæ, Dux Sueviæ, Dux Carinthiæ ac Comes de Görtz, Marchio Istriæ, & Dominus Castri de Andechs.* Sed hæc titulorum collectio videtur esse recentioris Authoris, qui divisa in eadem familia prædicata, & diversos concernentia ejusdem cognationis, in unum congessit, ut constare potest historiarum peritis. Beati titulum ei tribuit Adrianus Papa, in Bulla data Bertholdo Andecensi, & Ottoni Wolffhartshusano Comitibus Anno 1154. ut est apud Gewoldum, in qua eum nominat *Beatum* RAZZONEM *Comitem de Razzenberg.*

Radet. Bavar. sanct. To. 1. fol. 90.

Bucelin. Menol. ad 17. Junii.

Henning. P. 1. Germ. fol. 50.

Brunner. in Annal. Boic.

Carol. Stengel.

Wigul. Hund. &c.

Gewold. in Metr.

Hund. P. 1. Monast. f. 96.

Eâdem DIE XVII. JUNII.

B. THERESIA LUSITANA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Comitiſſa Namurci.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Juditha Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

Balduinus II. Calvus Comes Flandriæ.

Arnoldus Pulcher Comes Flandriæ.

Arnoldus per uxorem Comes Bononienſis.

Ragnerus Comes Bononienſis.

Guido Comes Bononienſis.

Euſtachius Oculatus Comes Bononienſis.

Euſtachius II. Comes Bononienſis.

Gulielmus Bullionæus Comes Bonon.

Henricus Comes Limburgi, Princeps Luſitaniæ.

Alphonſus I. Rex Luſitaniæ.

Sancius I. Rex Luſitaniæ.

B. THERESIA Uxor Alphonſi Regis Legionenſis.

Alios nexus vide ſupra in B. Sancia ſorore, die 13. Martij.

Acta

Acta Synoptica.

HERESIA, ſive TARASIA, Sancii I. Regis Portugalliæ filia, Alphonſi IX. Regis Legionis conſobrina & conjux, poſt ſuſceptos tres liberos, ob ſanguinis propinquitatem à Rege disjuncta, in Cœnobio Lorvarienſi Monaſticen amplexa, quod ampliſſimis adaugens reditibus ad arctiorem Ciſtertienſium reformationem adduxit. Exemplar autem humilium facta, ut virtutibus, ſic miraculis in vita & poſt mortem exſplenduit. Solo námque tactu claudos & contractos ſanitati reſtituit. Monialem graviſſimo laborantem morbo, & jam morti proximam amplectendo ſanavit. Similiter morituram infantem inter amplexus vitæ redonavit. Quin & aqua illa, quâ manus abluebat, febricitantibus remedium fuit. In pauperes mirè effuſa fuit & liberalis. Singulis noctibus matutinum, quem vocant, curſum de SS. Triade, tum de S. Cruce, ac demum de Virgine Deipara abſolvebat. Annexuit hiſce votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria. Mortem ſibi inſtare cognoſcens, ad templum deduci voluit, & in conſpectu Venerabilis Sacramenti, dulciſſimis verbis ſororibus valedicens, omnes amplexata, earúmque precibus ſe commendans, genua ipſa flexit, & gratiſſimum ſibi Canticum Magnificat decantari juſſit, & ad illum verſum: *Suſcepit Iſraël* &c. caput ſuper manus inclinans ſuaviſſimè exſpiravit. Sacrum ejus corpus poſt 300. & ampliùs annos effoſſum Anno 1617. incorruptum repertum eſt, veſtibus integris, niſi quòd extrema ora modicè calce obſoleverat. Calcei tam nitidi, veluti eâ primùm horâ conſuti, apparuerunt. Diem ei natalem aſſignat Bucelinus & Rhay decimam ſeptimam Junij: uterque Beatam appellat.

Vaſconcell. in Anacæphalæo. Theodo. Rhay in animab. Illuſt. Ægid. Gelen. Gabr. Buceli. in Menolog. ad 17. Junii Henriq. To. 1 S. Ord. Ciſt.

DIE XVIII. JUNII.

B. FERDINANDUS PRINCEPS LUSITANIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Joannes I. Rex Luſitaniæ, Cognomento Mirabilis, & Bonæ memoriæ.

Eduardus Rex Luſitaniæ. — B. FERDINANDUS Princeps Luſitaniæ.

Alphonſus V. Rex Luſitaniæ.

Eleonora Uxor Friderici III. Auſtriaci.

Ferdinandus Princeps Luſitaniæ. Uxor Leonora Amita, Eduardi Soror.

Maximilianus I. Auſtriacus Imperator, & cœteri Archi-Duces ad hodiernos.

Acta Synoptica.

Vaſconcel. in Anacæphal. Reg. Luſitan.

Bucelin. Menol. ad 17. Junii.

Ant. Balingh.

LIbrum ſcribat, qui FERDINANDI velit complecti encomium, tanta ſunt, quæ egit, tanta quæ paſſus, ut ſi in tempora incidiſſet anteriora, nullus dubito nomen Martyris meruiſſet. Innatum ab infantia DEI amorem, quem nullo unquam gravi piaculo fœdaſſe ipſi parùm fuit in grandia inclinato obſequia, magna nobis laudis materia, qui ſæpè labimur. Intaminatam caſtitatem usque adeò coluit, ut nunquam paſſus ſit ad ſe fœminas ſine arbitro accedere. Stupeſce novum Martem ſine Venere: quam ne irritaret, ejus irritamenta proſcripſit, ſuffimenta & epulas. Ad ægrotos Euchariſticum epulum deportantibus Curatis prælucere accenſo cereo, ipſi tanta voluptas, ut nullus Sponſus tam avidè Hymenæo tædas accendat. Jejuniorum obſervantia, orationis ſtudium excedunt modum in Principe, quæ ſi narrentur de plebeio, laborare poſſit ſcriptoris fides. Tribus hebdomadæ ſanctioris diebus noctu diúque affixus templo, vix panis cruſtulam fami ſedandæ abſumpſit. Statos jejuniorum dies quot hebdomadis ſibi duos delegerat, præter quindecim Divorum pervigilia, ferias Adventus & Quadrageſimæ, Sabbathum & vigilias Marianas, aliorúmque undecim Sanctorum, in quos peculiari ferebatur affectu. Dies penè totos orationi impendit, cœterùm ægros, pauperes, captivos, ſolari, recreare, juvare, inter primas curas habuit. Expeditione ſuſceptâ in Mauritaniam, anteſignanum militiæ vexillo appinxit S. Michaëlem Archangelum, ſolvens Olyſſipone in pervigilio Aſſumptæ Virginis Anno 1437. Ubi ne quid deeſſet ejus virtutibus examinandis in adverſitatis camino, ut quàm purum eſſet aurum agnoſceretur, adverſante belli fortunâ militi Luſitano, ſemet obſidem dedit pro patria, an victimam? Impoſitus, cùm Feſſum duceretur, ſtrigoſo equo, excalceato, attri-

tis

tis in ludibrium ephippiis, freno loris junceis circumligato; in carcerem detruſus, veſtibus ſuis ſpoliatus, compedibus ferreis vinctus, in horto ligonem & ſarculum tractare juſſus, barbaris oculis ſpectaculum fuit. Juſſus etiam ſtabulum verrere, & equorum retrimenta colligere: *Quod jubes*, inquiebat, *exequar; nec id mihi ſed tibi vertetur probro.* Inter hæc quaſi oblitus ſui miſerabatur commilitonum. Unde Maurum aliquando allocutus: in ſe omnes petijt congeri injurias, dum cœteris velut innoxijs parceretur. Diarium ejus victus erant duo atri panes absque ullo obſonio, talaris tunica & penula ex pullo villosóque panno, centonibus obſoletis, ubi atterebatur, conſarcinanda: humus pro lecto, pro ſtragulis eadem penula, pro culcitris duæ pelles arietinæ, pro pulvinari ex fœno manipulus. Libertatis ſpe præcisâ, nocturnum diurnúmque tempus orationibus impendit, utroque poplite in terram provolutus, ut callum obduxerint, ex quo non modicos perpeſſus eſt dolores. Morte acerbior erat hæc captivitas, quam tamen libenter ſe dixit tolerare bono patriæ, & optare tot malis ſuperſtitem poſſe compati alijs ſimilia paſſis, exſtimulare Chriſtianos Principes ad eam patriam occupandam, & Chriſti jugo ſubmittendam. Sexennium totum infelix, dicam an felix Princeps, in hac calamitatis officina exegit, & demum maturus cœlo, à Deipara, S. Michaële Archangelo, & Joanne Evangeliſta viſitatus, de imminente mortis hora edoctus eſt: Nam apparens Virgo in ſublimi throno conſpicua Angelorum ſtipata miniſterio, ante quam procidens ſupplicabundus Michaël, in hæc audiebatur erumpere: *Oro Domina, ut ſervum tuum, tibi mihique ſemper impensè devotum, tot malis exuas, & cœpijs noſtris adjungas.* Et eodem penè ſenſu Joannes Evangeliſta: *Ne tuum hunc aſſeclam Domina pluribus malis atteri patiaris: jam ad convivium nuptiarum agni invitetur, quando nullis unquam ſordibus veſtimenta inquinavit.* Annuit miſericordiæ mater, blandiſſimo vultu FERDINANDUM intuita, eâque ipſa luce, quæ erat 5. Junij, ad cœlos evocandum reſpondit. Unde advocato Sacerdoti, quem ſecum habuit, exhomologeſi peractâ, hilaritatis ſuæ causâ ſecreto enarratâ, inter pia ſuſpiria ad aſtantes verſus, illa poſtremùm elocutus: *Valete, & me ſinite in cœleſtem patriam commigrare.* Placidiſſimè ſpiritum Deo reddidit Anno 1443. Beatum nominat Bucelinus; plus aliquid heterodoxus Henninges: *Ob religionem Sanctus nominatus, & inter beatos numeratus eſt.*

DIE XIX. JUNII.

S. BONIFACIUS EPISCOPUS RUSSORUM MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.



Alium nexum vide in S. Adelheyde Imperatrice, & B. Mathilde Imperatrice 14. *Martij.*

Acta Synoptica.

B. Pet. Damiani in vita S. Romual. cap. 88. Inchof. ad ann. 998. Bucelin. Menol. ad 19. Junii.

BONIFACIUS Imperatoris Ottonis III. conſanguineus (ita nominatur ab Hiſtoricis) qui eum *animam* ſuam appellare ſolebat, aulam primis annis ſecutus, cùm fortè Romam veniſſet, conſpexit ibi Eccleſiam S. Bonifacij Martyris in colle Aventino, & exemplo ſui æquivoci provocatus, *Cur & ego*, inquit, *Martyr non efficiar?* Magis ac magis deinde compunctus, diſciplinæ S. Romualdi ſe commiſit, & ad perfectionem magno ſtudio contendit. Ut primùm autem Adelbertum Pragenſem Martyrio coronatum intellexit, moræ impatiens illud ipſum ſtadium decurrendum ſibi propoſuit. Mox

Romam

Romam abijt, ſummo Pontifici, ad prædicandum inter gentes Evangelium, ſe obtulit, quo ordinatus Archiepiſcopus, ad Ruſſos primùm abijt, jugiter in itinere pſallens, ad refectionem corporis medio ſolùm pane, & aquâ contentus, addens diebus feſtis aliquid de radicibus absque liquamine. *Cùm verò Ultramontanos peteret fines* (verba ſunt D. Petri Damiani) *equo quidem vehebatur, ſed nudis cruribus ſemper & plantis, adeò intolerabilem frigidiſſimæ regionis ſufferebat algorem, ut volens deſcendere, non pedem ab ſubhærente ferro disjungeret, niſi aqua calida ſubveniret.* In Ruſſia Principem convertit miraculo. Cùm enim ille ea conditione ſe Chriſto manus daturùm promitteret, ſi Bonifacius ignem illæſus tranſiret, ſpectante populo accenſam pyram luſtrali priùs aquâ & incenſo expiatam Pontificalibus indutus inſiliit, & omninò illæſus, ut ne pilus quidem adureretur, exivit. Quo prodigio Princeps attonitus non undis ſolùm baptismi luſtrari expetijt, ſed abdicato inſuper regno, ejus diſciplinæ ſe committere ſtatuit. Fratrem inſuper reſiſtentem, zelo fidei accenſus interemit; cùm verò alterum ſuperſtitem fratrem incaſſum urgeret BONIFACIUS, ab ejus ſatellitibus comprehenſus & gladio cæſus occubuit. Non tamen impunè. Nam Princeps cædis Author cum univerſis qui aderant, ſurduit illicò, obmutuit, & obriguit, ut velut lapides circa Martyris corpus viderentur conſiſtere. Accurrit frater Chriſtianus, & cum alijs fidelibus in preces incubuit, opem Dei expoſcens, ut rigore miraculoſo ſoluti ad veræ fidei dogma molleſcerent. Soluti tandem illi ſuâ pœnâ, facinus deteſtati, lacrymis veniam rogavere: quin & eo loci inſignem honori Martyris Baſilicam erexêre. Paſſus eſt circa annum 1000. de quo plura Inchofer, qui obſervat eodem tempore alium quoque BONIFACIUM in Boſſna & Ungaria Evangelij præconem, Martyrio affectum, & à quibusdam duos in unum confundi.

DIE

DIE XX. JUNII.

S. FLORENTINA V. ABBATISSA.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Severianus Præfectus Carthaginenſis.

Theodoſia Uxor Leovigildi Regis Viſegothorum.

S. FLORENTINA Virg. Abbatiſſa.

Ingunda, cujus maritus——S. Hermenigildus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

Prudent. Sandoval. in coment. de S. Leandro.

Chriſtop. Brouver. in Syderib.

Bucelin. Menol. ad 20. Jun.

Joan. Mariana lib. 6. cap. 1.

Joan. Vaſæus.

Conſtant. Cajet. martyrol. Rom.

AEmula fraternæ ſanctitatis FLORENTINA, patrem Severianum Ducem, avum Theodoricum Amalum Oſtrogothorum in Italia Regem habuit: fratres SS. Leandrum, Fulgentium, Iſidorum. A teneris annis Virginitatis voto ſe devinciens, Cœnobio agri Aſtrigitani ad Singilim fluvium jam tunc celebri ſe incluſit, tantóque probavit virtutum ſtudio, ut cœteris omnibus, quorum in Aſtigitano Parthenone tunc mille erant, præfici mereretur: imò ob celeberrimam tum ſanctitatis, cùm prudentiæ famam ejusdem inſtituti Monaſteriorum ſuprà quadraginta curam gereret. Mirum quantam Hiſpaniæ, imò Eccleſiæ univerſæ ſola hæc Regia Virgo facem ſanctitatis prætulerit, cujus exemplo, & verbo, uno eodémque tempore (vigente adhuc Ariana hæreſi) ſupra decem millia virginum convixerunt. Adamavit præcipuâ Religione & cultu SS. Dominicæ Incarnationis myſterium. Vitam produxit ultra ſeptuageſimum ætatis annum; & meritorum denique manipulis locuples migravit ad Dominum 12. Cal. Julij.

DIE

DIE XXI. JUNII.

B. ALOYSIUS GONZAGA SOC. JESU.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Albertus III. Comes Habspurgicus.

Elisabetha, alijs Agnes, Uxor Eitelfriderici Comitis Zollerani.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Fridericus Comes de Zollern, Burggravius Norimbergensis.

Agnes Uxor Alberti II. Ducis Saxoniæ.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Fridericus III. Burggravius Norimberg.

Elisabetha Uxor Obizonis VIII. Marchionis Estensis.

Ludovicus IV. Imperator Dux Bavariæ.

Joannes II. Burggravius Norimberg.

Alda Uxor Ludovici Gonzagæ Comitis Mantuæ.

Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ.

Fridericus IV. Burggravius Norimberg.

Franciscus Gonzaga Comes Mantuæ. Uxor Agnes filia Barnabovis Vice-Comitis Mediolanensis, soror Viridæ nuptæ Leopoldo Probo Archiduci Austr.

Joannes Dux Bavariæ, Uxor Catharina filia Meinardi II. Comitis Goritiæ.

Beatrix Ux. Albert. III. cum Trica Ducis. Aust.

Fridericus V. March. I. Brandenburgicus.

Joannes Alchimista Marchio Brandenburgicus.

Barbara Brandenburgica, cujus Maritus

Joannes Franciscus Marchio I. Mantuæ. Uxor B. Paula Malatesta.

Ernestus Dux Bavariæ Uxor Elisabeth filia Barnabonis Vice-Comitis.

Ludovicus Gonzaga Marchio II. Mantuæ.

Albertus III. Pius Dux Bavariæ.

Rndolphus Gonzaga Marchio Castilionensis: Uxor Catharina Pica.

Fridericus Gonzaga Marchio III. Mantuæ, cujus Uxor

Margareta Bavarica.

Ludovicus Gonzaga Marchio Castilionensis: Uxor Catharina Anguzzola.

Franciscus Marchio IV. Mantuæ. Uxor Isabella filia Herculis I. Estensis.

Ferrantes seu Ferdinandus Gonzaga Marchio Castilionen. Uxor Martha Tana.

Hercules S.R.Eccles. Cardin.

Fridericus Gonzaga Dux I. Mantuæ. Uxor Margareta Palæologa March. Montisferrati.

Ferdinandus Gonzaga Marchio, & sorores, cum posteris Ducibus Ariani.

Rudolphus Gonzaga Marchio.

B. ALOYSIUS GONZ. Soc. JESU.

Chriſternus Gonzag. Marchio Caſtilionen. Uxor Marcella Malaſpina, & poſteri.

Gulielmus Gonzaga Dux III. Mantuæ: Uxor Leonora filia Ferdinandi I. Imp.

Ludovicus Gonzaga Dux Nivernēſis. Ux. Henrietta de Nivers.

Franciſcus Gonzaga Dux II. Mantuæ. Uxor Catharina filia Ferdinandi I. Imperat. ſine prole.

Vincentius Gonzaga Dux IV. Mantuæ: Uxor Leonora Duciſſa Hetruriæ, filia Franciſci ex Joanna Auſtriaca filia Ferdinandi I. Imp.

Carolus I. Gonzaga Dux VI. Mantuæ Uxor Catharina Duciſſa Lotharingiæ. Hic ſucceſſit Franciſco V. ſine prole defuncto.

Franciſcus Gonzaga Dux V. Mantuæ. Uxor Margareta Duciſſa Sabaud.

Leonora Uxor Ferdinandi II. Imper.

Ludovicus obijt infans.

Maria Gonzaga hæres Mantuæ, cujus maritus.

Carolus Dux Niverſius, patri & ſocero præmortuus, nec uſus titulo Ducis Mantuæ.

Carolus III. Gonzaga Dux Mantuæ VII. Uxor Clara Iſabella filia Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Tyrolenſium Principis.

Leonora Uxor Ferdinandi III. Imper.

Carolus IV. Gonzaga Dux Mantuę VIII. vivat!

Acta Synoptica.

Virgil. Cepar. in vita. Andr. Brunn. in Faſt.

PArentes ALOYSIO fuerunt Ferdinandus Gonzaga Marchio, Gulielmi Ducis Mantuani agnatus, mater Martha Tana Santenina à Cherio; paterna hæreditas *Caſtilium*, cui tamen adoleſcens prætulit *Caſtum-Lilium*. Moriturus erat cùm naſceretur, niſi puerperæ matri Mater MARIA adſtitiſſet. Inter prima ejus verba JESUS & MARIA feruntur, boni ominis. Puerulus etiamnum in ſingulis ſcalarum gradibus ſcalam cœli MARIAM ſalutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunus dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentina Annuntiatæ titulo colit, florem Virginitatis conſecravit, ſemper dum vixit intactum, quia *Horto Concluſo* commiſerat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco, quamvis currenti ſponte corpuſculo admovebat, victûs vix unciam appendebat. Fœminarum & chorearum hoſtis, Impe-

Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aſpexit; precibus tam ubique addictus, ut loqui cum angelis dicerent, rectiùs Angelis dicturi. Ajebat frequenter : *Non videre ſe cur non mortales omnes religioni ſe manciparent.* Et certè Senis, cùm ad Sodales Marianos diceret, benè multis id perſuaſit. Ipſe cùm Aſſumptæ Virginis die audiviſſet è cœlo : *Societatem JESU ingredere:* poſt longas cum patre luctas, *Mariæ* JESUM junxit. Hunc quoties ſtuderet, in genua provolutus vocare, hunc ſub panis velo latitantem, ante & poſt ludum literarium ſalutare, ſacrificiis quinis ſenísve miniſter aſſiſtere; ad conſpectum hoſtiæ lacrymis manare : cùm verò eo epulo frueretur, inundare etiam. Itaque nullius noxæ gravioris ſibi conſcius, Angeli nomen meruit, ut terra cœlum dici poſſet, ſi plures ALOYSIOS haberet.

Eadem DIE XXI. JUNII.

B. M. WENCESLAUS II. REX BOHEMIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Dux Lotharingiæ, poſtremus Carolingorum.

|

Ermingardis Uxor Alberti I. Com. Namurcenſis.

|

Hadwidis Namurcenſis nupta

I. Chunoni Comiti Rhynfeldæ.	II. Gerardo Alſatio Duci Lotharingiæ.
Chuno Comes Rhynfeldæ.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.
Rudolphus Comes Rhynfeld. Imperat.	Wernerus I. Comes Habſpurgicus.
Mechtildis Uxor Erneſt ſtrenui Marchionis Auſtriæ.	Otto Comes Habſpurgicus.
Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.	Wernerus II. Comes Habſpurgicus.
S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.	Wernerus III. Comes Habſpurgicus.
B. M. Gertrudis Uxor Wladislai II. Regis Bohemiæ.	Adelbertus I. Comes Habſpurgicus.
Prezemislaus Ottocarus I. Rex Bohem.	Rudolphus Comes Habſpurgicus.
Wenceslaus I. Rex Bohemiæ.	Adelbertus II. Comes Habſpurgicus.
Przemislaus Ottocarus II. Rex Bohem.	Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.
B. M. WENCESLAUS II. Rex Boh. Uxor.	Gutta ſeu Juditha Habſpurgica.

Plures alios Nexus vide in B. Adelberto Archiepiſc. Salisburg. 7. Aprilis, B. Adela die 1. Febr. B. M. Gertrude Regina, die 5. Auguſti & alibi.

Acta

Acta Synoptica.

INter Reges Bohemiæ ſextus ordine WENCESLAUS hoc nomine II Ottocari à Rudolpho I. Imperatore perempti filius Anno 1283. die 24. Maij ætatis ſuæ anno duodecimo tutelæ exemptus, Bohemisque reſtitutus regnare cœpit. Gutta ſeu Jutta, quam alii Juditham, Balbinus Benignam interpretatur, Habſpurgica Rudolphi I. Cæſaris filia ei conjunx adducta eſt Pragam Anno 1286. Poſt hæc illicò honoribus cumulari cœpit WENCESLAUS, cùm Elector, Vicarius Imperij in Miſnia, quin & Miſniæ Dominus, Archi-Pincerna Imperii, Wratislaviæ Princeps nominatus eſt. Exclamat Neotericus ſcriptor Bohemus: *Tot honores, tot jura, tot Provincias in Ottocari occiſi filium congeſſit & ſtudioſè accumulavit Rudolphus I. Imperator Auſtriacus, ut in hoc beneficentiæ in Reges noſtros genere, omnes ante ſe Cæſares ſuperarit.* Quæ deinceps in regni ſui adminiſtratione, ſapienter, juſtè, & piè geſſit, quæ adverſa ſuſtinuit, latè idem Author proſequitur: nos quæ pietatem ejus & ſanctimoniam redolent, attingimus. Anno 1297. WENCESLAUS ab Archi-Epiſcopis Gerardo Moguntino, & Burchardo Magdeburgenſi Pragæ coronatus tantâ gloriâ, ut nihil illuſtrius ad eam diem Praga viderit. MS. Chronicon Viennenſe ita narrat: *Rex in Pentecoſte convenientibus Pragam triginta octo Principibus, & innumera hominum multitudine, ut omnes Praga non caperet, ſed cogerentur manere in tentoriis in campo, ſolenniter ab Archi-Epiſcopis & Epiſcopis coronatus eſt.* Addit ex Chronico Aulæ Regiæ Balbinus: *Ultra ducenta millia equitum numerata tradunt veteres, qui omnes paſcebantur in Regia.* Franciſcus verò Pragenſis ejus temporis ſcriptor deſcribit Palatium pro hoſpitibus inter montem Petrinum & ripam Moldavæ exſtructum mirâ arte, totum pretioſiſſimis periſtromatis veſtitum, adjungens: *Notarius pabuli pro certo retulit, quòd pro ſolis hoſpitibus & advenis pabulum de curte Regis dabatur pro equis, quorum numerus fuit centum millia, & nonaginta millia, & mille. Adhoc non computabatur pabulum, quod dabatur pluribus indigenis, & his qui inter quotidianam familiam ſervantur computati, in novo quoque foro per occultum meatum ſubterraneum fontes facti fuerant, de quibus vinum more fluminis, qui voluit hauriebat. Et Notarius coquinæ retulit, quod pro ovis pullorum expenſæ fuerant Marcæ gravis ponderis octingentæ &c.* Magni fuêre hi ſumptus, ſed prævaluit in WENCESLAO pietas, & altero mox à Coronatione die Cœnobium Zbraslavienſe opulentiſſimè fundavit. Primum lapidem poſuit Burchardus Magdeburgenſis Antiſtes, aureo nomine JESUS CHRISTUS notatum: cantatâ Miſſâ votivâ Rorate, & ſeptem Epiſcopi Alleluja cantarunt. Rex habitu Regio indutus ducentos quadraginta Barones & Equites militari Baltheo accinxit, eósque per Cœnobij aream deduxit. De his pluribus, Dubravius, Balbinus, Jo. Jac. Fugger, & alii. Quàm tenera eſſet WENCESLAO conſcientia, innotuit inſigni facto, quod verbis Franciſci Pragenſis referre libet: *Miles quidam animo conturbato expoſuit, coram Rege* WENCESLAO, *quod injuſtè patiebatur, allegat ſibi factam violentiam, poſtulans querimoniis dari ſibi Judicem ad Juſtitiam exequendam. Tunc Rex propriis intentus commodis cauſam querulantis non advertit,*

Chron. Aulæ Reg. Hiſt. Sedlecen. Pulkava in hiſt. Bohem. MS. Chr. Vienn. Balbinus Epitome rerum Boh. lib. 3. c. 16. Franc. Pragenſ. ap. hunc. Didac Leſquile de reb Auſtr. P. 4. Excurſu 1. &c. Æne. Sylv. in hiſt. Bohemica.

vertit, ſed à ſe mœſtum juſſit abire. At in brevi Rex revertens ad conſcientiam, ſeipſum introneè multum redarguit, & culpabilem reddidit. Et ſolus intrans in cubiculum clauſo oſtio candelam ardentem cruribus applicavit, & acriter ſe combuſſit, & ait: At caro ardeas, ne in futuro perpetuum ardorem ſuſtineas, & in quinque locis quaſi cauterium fecit, propter hujus peccati pœnitentiam & correctionem. Rara avis in terris tam amans æquitatis Princeps, tam pœnitens culpæ per inadvertentiam admiſſæ Sub finem ejus regiminis Kuthnenſes auri & argenti fodinæ inventæ ſunt. Sed dum aurum & argentum venis & rivis divitibus affluit, quaſi compenſationem aliquam & commutationem poſcente naturâ, *aureum & optimum Principem Regum gemmam, omnis boni Principatus exemplar* (ut eum vocat Balbinus) ferrea mors, quæ ſceptra ligonibus æquat, è ſolio detractum injecit in toſſam Anno 1305. die 21. Junii. Eberhardus in Annalibus hoc eum donat, Elogio: WENCESLAUS *Rex Bohemiæ, devotus ad Deum, & clemens ad clerum & populum, neminem opprimens, ſed per* 28. *annos* (rectiùs 24.) *Regnum ſuum juſtè regens, mortuus eſt, & ſepultus in Zbraslano Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis, quod ditiſſimè fundaverat.* Paſſim à ſcriptoribus ſanctus appellatur, eúmque ſcribunt Divorum numero adſcriptum. Bonfinius inter alios: *Admiranda vitæ ſanctitas in* WENCESLAO *fuit, quæ ſat hominibus explorata ſtatuam Pragæ in ſacrario ſibi comparavit.* Didacus de Lequile nuperus ſcriptor: *Commendatur* WENCESLAI *inſignis in Deum pietas, ob quam à multis inter ſanctos numeratus eſt.* Ut primùm morbo correptus fuit, ornatum omnem Regium, veſtésque ipſas inter egenos diſtribuit, capillos quoque de capite ſuo radi juſſit, tunicam de panno vili griſeo cum amplis manicis induit, & ſtratum ſuum eodem panno ſuperinduxit: affirmans, ſi convaleſceret, ſe valedicturum Regno, & inter Ciſtercienſes ſuos in Cœnobio Aulæ Regiæ habitaturum. In verba ſua plena Sapientiæ, Juſtitiæ, & Pietatis ſuper caput S. WENCESLAI M. filium jurare coëgit. Inter alia refert Balbinus: Moriturus vocatis fideliſſimis aulicorum, debita omnia ante mortem expunxit: conjugi quam relinquebat Eliſabethæ, viginti millia marcarum argenti numerari juſſit: omnem Sacelli Regii ornatum pretioſiſſimum, diverſis Eccleſiis donavit, plurimos pauperes paſci & veſtiri per ſuos juſſit: Miſſam ante ſe quotidie, quantumlibet æger eſſet, dici jubebat: in ſummis morbi cruciatibus ne verbum quidem impatientiæ ex eo auditum. Oleo ſacro inungi petiit, & cùm obtinuiſſet, ad ſuos converſus: *Fratres*, inquit, *congaudete, & mihi congratulamini, quòd tamdiu manum Domini, quæ contigit me, correptus, ſuſtinere merui. Ecce reſolutionis meæ tempus inſtat: nunc animæ meæ egredienti, orationibus veſtis ſubvenite, & vos Sacerdotes ad Miſſas legendas vos præparate.* Tum Paſſionem ſecundùm Matthæum legi juſſit, quam erectis in cœlum manibus, multo cum ſenſu pietatis audivit. Ad extremum valedicens omnibus, & in manus Domini ſpiritum ſuum commendans, ſuaviſſimâ facie relictâ, exceſſit è vita. Mira alia ſunt de viventis & morientis Regis ſanctitate apud Franciſcum Pragenſem. Memorabile quoque eſt illud, quod ex MSS. recitat Balbinus: Cùm Joannes Epiſcopus Brixinenſis mortem amici Regis lugeret, & lacrymis ſæpius proſequeretur, nocte concubia Rex Epiſcopo viſendum ſe præbuit, & quid ita lugeret quæſivit: cui ille, mortem ejus luctûs ſui cauſam eſſe, reſpondit. Tum

Rex

Rex increpare Episcopum aggressus: *An*, inquit, *in sacris literis nunquam legisti: Cùm te consumptum putaveris orieris ut Lucifer, & habebis fiduciam propositâ tibi spe, & defossus securus dormies: requiesces, & non erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi?* Deinde adjecit: *O te modicæ fidei, qui Sanctorum mortem infelicem, & miseram existimas!* & cum dicto evanuit. Episcopus etsi verba Regis altissimè in memoriam demisisset, ubi tamen in sacris libris ea verba reperiri possent, ad id temporis ignorabat; aperto igitur sacro Codice, invenit Jobi caput undecimum, ubi ea continentur, & liquido perfusus solatio cessavit deinceps lugere. Aliud quoque mirandum narratur: cùm enim vir quidam levissimus (latronem vocat historia Sedlecensis) Zbraslaviense templum ingressus esset, ut Mausolæum Regis videret, quædam indigna de Rege mortuo effutire cœpit. Cùm ecce statua Regis saxea super sepulchrum jacens, elatâ manu, grandem homini colapbum infregit, quo verbere etiam oculos impudentissimi latronis extinxit. Ita Sanctorum suorum honorem defendit Deus. Cùm de cultu ejus sacro, & legitimo Sancti titulo nobis non constet, contenti sumus eum appellare Beatæ memoriæ.

Eadem

Eâdem DIE XXI. JUNII.

B. M. ADELHEYDIS DUCISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator. — Lotharius I. Imperator, avus Berthæ Habspurg.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgund. — Carolus Dux Lotharingię, proavus Ithæ Habspurgicæ à quâ hodierni Archi-Duces.

B. M. ADELHEYDIS Uxor Hermanni Ducis Franconiæ, mater Conradi Salici Imp.

Acta Synoptica.

ELogium ADELHEYDIS brevibus Cuspiniani verbis complectimur: *Hermannus ex uxore* ADELHEYDE *ex Francia Orientali orta, genuit Conradum Franconiæ Ducem & Imperatorem, & Gebhardum Antistitem Ratisbonensem in Oeringau sepultum &c. Mulier admodum Religiosa, quæ duo in oppido Franconiæ Spalt collegia fundavit. S. Emerammi, & S. Nicolai ac B. Virginis, quod novum Collegium appellatur. In Oeringau Monasterio à se constructo sepulta, & in numerum Divorum relata.* Duo hic nobis elucidanda occurrunt: primum quod insinuat Bollandus ad diem 10. Februarii. *Quid si hæc cujus in nullis Fastis mentio extat, ideò à Cuspiniano credita in Divorum esse numero, quia extiterat non multò antè alia S.* ADELHEYDIS *Augusta Ottonis I. conjunx?* Dubium hoc resolvit lapis sepulchralis ADELHEYDIS descriptus à Crusio, teste ipsomet Bollando, ubi legitur: *Recondita sunt hic ossa Dominæ nostræ* ADELHEYDIS. *Hujus fundatrix templi jacet hic tumulata. Conradi Regis genitrix* ADELHEYDA *vocata, Anno M.CC.XLI.IV. Idus Februarij.* In medio verò lapidis inscriptum legitur: *Hic jacent ossa, olim suffossa hujus in Ecclesiæ locis, ut Reliquiæ.* Si sunt Reliquiæ, utique alicujus sancti, quo nomine ossa profana non solemus appellare. Alterum est, quomodo mater Conradi Salici nominetur ADELHEYDIS, cùm passim fuisse asseratur Gerbirga filia Conradi Regis Burgundiæ. Non fallit nos sepulchralis inscriptio, insuper Wippo contemporaneus Conradi

J. Cuspin. Cæs. mihi. fol. 329.

Bolland. To. 2. Feb. fol. 377.

Mart. Crusius P. 2. lib. 6. c. 8.

Mart. Mager. Advoc. Arma. cap. 5. num. 392. f. 150.

Wippo in Vita Conr. Salici.

Conradi Salici teſtatur, matrem Conradi fuiſſe ADELHEYDEM, unde cenſendi ſunt erraſſe qui Gerbirgam ſcripſerunt. Veroſimile autem eſt, quòd Conradus Burgundiæ Rex uni filiarum nomen amitæ D. ADELHEYDIS Ottoni I. nuptæ indiderit, potiùs quàm Gerbirgæ, præſertim cùm inter ipſius majores nulla reperiatur Gerbirga. Sed iterum difficultatem movet Wippo, qui ADELHEYDEM nec Conradi Burgundi filiam, nec Hermanno Sueviæ Duci nuptam ſcribit, ſed ADELHEYDEM Lotharingam Chunoni filio Ottonis Franconiæ Ducis elocatam. Utut hæc ſe habeant, in dubium vocari non poteſt geneſis Conradi Salici, quòd proavus vel abavus illius fuerit Conradus ſapiens Dux Franconiæ, cui nupta fuit Luitgardis filia Ottonis I. Imperatoris, nati ex avia Luitgarde filia Arnulphi Imperatoris. Notandum præterea, inſcriptionem lapidis ſepulchralis præmiſſam longo tempore poſt obitum ADELHEYDIS poſitam, ac proinde ex ea nec annum nec diem obitûs ADELHEYDIS certum aſſignari poſſe. Certum eſt, eam vixiſſe adhuc Anno 1037. quo Oringanum templum fundavit cum Gebhardo filio Epiſcopo Ratisbonenſi: ut habetur ex literis fundationis apud Magerum in Advocatia Armata, quæ incipiunt: *Gebhardus Dei gratia Ratisbonenſis Epiſcopus, matris meæ* ADELHEYDIS *juſtis petitionibus votisque pijs, & divinâ inſpiratione conceptis annuens deſiderijs &c.* ex quibus fortè etiam colligi poſſet, jam tunc mortuam fuiſſe ADELHEYDEM. Quis eam in Divorum numerum retulerit, ut ajebat Cuſpinianus, nondum legi.

DIE XXII. JUNII.

S. EBERHARDUS ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ Habſpurgicæ.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Bertholdus Comes Schyrenſis.

Babo I. Comes Schyrenſis.

Babo II. Comes Schyrenſis.

Erkanbertus Comes in Biburg & Stein.

Thiemo Comes in Biburg.

Henricus Comes à Biburg & Hilpoldſtein, Uxor Bertha Iſtriana.

Carolus Calvus Imper.

Ludovicus Balbus Imperator, Tritavus Ithæ Habſpurgicæ, à quo hodierni Archi-Duces.

S. EBERHARDUS Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

B. Bertha Biburgenſis.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. Rade. To. 1. Bav. ſanct. fol. 132. Henr. Caniſ. To. 2. & To. 6. Antiq. lect.

PIorum parentum non degener ſoboles EBERHARDUS, à teneris aſſuevit virtutum ſtudio. Cùm ædem ſacram Deiparæ Virgini parentes conſtruerent, mater religioſiſſima fœmina non erubuit humeros geſtandis ſaxis, & per duo millia paſſuum deportandis ſupponere, nudis inſuper pedibus incedens, quo facto magnum reliquarum fœminarum numerum ad æmulationem invitavit. Eadem matrona ad menſam ferè nihil præter legumina adhibebat, rarò carnem guſtabat, rariſſimè cœnabat, egentibus, dum eſſet quod largiretur, negabat nihil, & ut negare non poſſet, Deus opes liberaliter ſufficiebat. Ut ergò fortes creantur fortibus, ita ex piis & ſanctis progenitoribus, ſanctæ plerumque naſcuntur proles, virtute cum lacte & ſanguine

guine in poſteros defluente. EBERHARDUS literarum tyrocinium Babenbergæ poſuit, & hauſit feliciter optimas quasque diſciplinas. Adlectus in Canonicorum Collegium, majora illicò meditari cœpit ad ſanctitatem adminicula. Clam igitur omnibus ad Cœnobium S. Michaëlis confugit, ut Monachum profiteretur. Sed Præpoſitus majoris ædis cognito ejus conſilio ſtipatus Clericorum choro nobiliſſimum & Religioſiſſimum juvenem ex Monaſterio nolentem volentem extraxit, unáque cum Pædagogo in Gallias amandavit. Uſus eſt EBERHARDUS tempore, & in Galliis ingenium maximis literarum ornamentis, usúque ſimul & prudentiâ excoluit, ut reverſus Babenbergam etiam majores natu ſuâ percelleret authoritate. S. Ottho per id tempus Babenbergenſi Eccleſiæ Antiſtes præfuit, Prüfeningenſis Cœnobii conditor, à quo EBERHARDUS jam quadrageſimum agens annum, conſecutus eſt, ut vitam, quam invitus deſeruerat juvenis, poſtliminio auſpicaretur. Ingreſſus itaque aſceterium, inſignia mox dedit ſpecimina virtutis & pietatis, quibus & fratres ſuos ac ſorores impulit, ut & ipſi, ne quid fratri in cultu Numinis concederent, ſacris ædibus condendis animum applicarent. Novem omninò fratres numerabat, ſororem unicam Bertham. Quatuor horum ante parentes diem obierunt. Meginhardus Ratisbonæ ad vetus Sacellum Antiſtes, Ulricus & Gebhardus diviſis poſſeſſionibus Hilpoldtſteinium occuparunt; Conradus, Erbo, & Bertha Biburgum ex hæreditate ſortiti Ottonis Epiſcopi Babenbergenſis authoritate, Deo, Deique miniſtris deſtinarunt S. Benedicti inſtitutum profeſſis ſacram ædem, fœminis Parthenonem, egenis Xenodochium erexerunt. Primus eo loci Abbas deſignatus eſt EBERHARDUS, de quo agimus, rexit annis tredecim. Exin Conrado Pontifici Salisburgenſi cognato fatis functo ſuffectus Anno 1147. ſedit annis ſeptendecim, turbatiſſimis temporibus, quo Antiſtites Eccleſiarum cogebantur Antipapas adorare ab Imperatore ſchismatico. Solus tunc BERHARDUS cum Trevirenſi Præſule ſtetiſſe fertur pro legitimo Pontifice. Dedit opinor hoc cœleſte Numen EBERHARDO, ne à vero deflecteret, quòd ipſe omnes cogitationes ſuas ad vitæ innocentiam componeret, miſeros ubique omni ope, conſilio, auxilio præſens abſens juvaret, pauperum, ulceroſorum, elephantiacorum tuguria per ſe adiret, reviſeret, victûs & medicaminum ſubſidia præberet; ſordes, vomicas, ſaniem tabóque fluentes artus ipſe contrectaret. Refert Cæſarius, tacito licet nomine, de Salisburgenſi Epiſcopo, quæ omnino conveniunt EBERHARDO, quod ejus verbis repetere libet: Die quadam tuguriolum quoddam intrans, & leproſum ut ei viſum eſt, hominem in lecto decubantem reperiens, ſi aliquid vellet, exquiſivit. Cui cùm ille reſponderet: Corpus Chriſti deſidero; Epiſcopus feſtinus abijt, & attulit, oríque leproſi, qui valdè horridus videbatur, cum cautela quâ potuit, immiſit. Ille verò ad comprobandam Antiſtitis fidem, antequam maſticaſſet Euchariſtiam, nauſeam ſimulavit, & cum fœtidiſſimo vomitu, quod ſumpſerat, rejecit. Epiſcopus verò territus, manibus mento ejus ſuppoſitis, ejectas recepit immunditias, quas ſtatim in os mittens ſumpſit ob honorem Sacramenti. Poſteà cùm eundem leproſum viſitare vellet, & non inveniret, dictum eſt ei à circummanentibus

Chron. Salisb. Avent. lib. 6. Aſial. Chron. Reicherſp. Hund. in Metrop. Baron. ad a. 1162. &c.

nentibus, quòd multo tempore in eadem domuncula nullus habitaſſet leproſus. Et cognovit vir Deo plenus, tum ex teſtimonio referentium, tum ex gratiâ ex prædictâ ſumptione percepta, quia Chriſtus eſſet, qui multis modis electorum ſuorum conſtantiam probare conſuevit. Hæc Cæſarius. Plura admiranda refert de eo vitæ Author apud Caniſium. Inter alia & illud, EBERHARDUM, cùm Præfectum Cœnobii ageret, in Romano itinere, morbo depoſitam fœminam jumento ſuo impoſuiſſe, ipsúmque veluti miniſtrum per aſperrima viarum jugi Apennini pedibus ſecutum, donec transportatam & largâ ſtipe donatam dimiſit. Multa vivus, plurima mortuus, uſitatam rationem, modúmque naturæ excedentia effecit, quæ ſingulari libro vitæ Author proſequitur. Evocatus eſt ad cœleſte beatorum conſortium Cal. Julii (ut habet Raderus) Anno 1164. defletus ab omnibus præſertim egenis, in quos aurum, quod ſæpè alii Præſules in frænis & cœnis abſumunt, largiſſimè profundebat.

Eâdem

Eadem DIE XXIII. JUNII.

S. EDELTRUDIS, SEU ETHELDRITHA, SEU ETHELDREDA, REGINA VIRGO CONIUNX.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilberta Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francoum.

Ercombertus Rex Cantior. Uxor

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici.

S. Annas Rex Anglo-Orient. Uxor S. Hereswida.

S. Sexburga. S. ETHELDRITA.

Acta Synoptica.

MIraculum Virginis bis inductæ conjugali thalamo, & tamen intaminato ſponſi cœleſtis thalamo reſervatæ. EDELTRUDIS, quam alij ETHELDRITAM, alii ETHELDREDAM ſcribunt, S. Annæ Regis Anglorum Orientalium filia Tumberto primùm Auſtralium Girviorum Principi nupta, duodecim cum ipſo exegit annos, quaſi Angelico uſa conſortio, Virginitatis theſaurum conſervavit illæſum. Hoc fatis functo, Egfridus Northumbriæ Rex, S. Oswii filius, S. Elfledæ Virginis frater, ejus nuptias ambiit, & impetravit; ſed longè ampliùs ipſa ab Elfrido, ut cum Virgine caſtè vivens, tandem copiam faceret ſoli omnium Chriſto Regi ſe conſecrandi in Coldingenſi Cœnobio, ubi ſanctiſſimæ Ebbæ Abbatiſſæ Egfridi amitæ ſe ſubmiſit, è manibus S. Wilfridi Epiſcopi ſuſcepto ſacro velamine, Elgenſis poſtea facta Antiſtita dignè præfuit ſacris Virginibus, obſervantiſſima regulæ & piarum conſuetudinum. Nunquam laneis veſtibus indui voluit, non niſi ſemel in die cibum admittere ſolita. Finitis nocturnis precibus, ad ortum usque diei perſiſtebat in Eccleſia. Prophetico ſpiritu peſtilenti lue ſeſe morituram prædixit, quin & quinque ſorores eodem morbo rapiendas nominatim prænuntiavit. Prior ipſa peſte in maxilla tentata & collo, dicere audita eſt: Meritò in collo pondus languoris porto, in quo juvenculam memini me ſuperyacua monilium pondera portaſſe: & credo, quòd ideò me ſuprema pietas dolore colli gravari voluit, ut ſic abſolvat à reatu ſupervacuæ levitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis de collo rubor tumoris ardórque promineat.

Beda lib. 4. hiſt. Ang. c. 19. & 20. Harpfeldt. Bucelin. Menol. ad 23. Jan. Boll. 3. Feb. fol. 386.

Rapta ad Dominum mediâ ætate, inter ſorores, ut juſſerat, eo quo mortua eſt ordine ſepulta. Cùm autem ſororis juſſu S. Sexburgæ (quæ poſt nuptias Ercomberti Regis ſubſecuta fuit ad Cœnobium) lapis quæreretur aptus, in quo repoſita transferretur ETHELDRITA; repertus non ſine prodigio eſt candido marmore tumulus Virgini per omnia congruens, in quem dum ſacrum levatur corpus, undecimo jam poſt obitum anno incorruptum, cum integerrimis veſtimentis deprehenſum eſt; eo majore miraculo, quòd ingentis ex peſtilentiæ tumore cicatricis vix aliquod veſtigium apparuerit; accedentibus pluribus miraculis ex ſolo veſtimentorum attactu, quo varii morbi & Dœmones ex obſeſſis corporibus profligati ſunt, circa

Annum 680.

Eadem

Eâdem DIE XXIII. JUNII.

VEN: ANNA DUCISSA LIGNICENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurceuſis.

Uxor I.	Uxor II.
Chunonis Comitis Rhynfeldenſis.	Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
Chuno Comes Rhynfeldenſis.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo recta linea ad hodiernos Auſtriacos.
Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.	
Mechtildis Uxor Ernesti Strenui Marchionis Auſtriæ.	Agnes Uxor Bertholdi Comitis Habſpurgici Ducis Zäringiæ.
Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.	Conradus Habſpurgicus Dux Zäringiæ, & Succeſſores.
S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.	
Gertrudis Uxor Wladislai II. Regis Bohemiæ.	
Przemislaus Ottocarus Rex Bohemiæ.	
Ven: ANNA DUCISSA Lignicenſis.	Wenceslaus Rex Bohemiæ, avus Wenceslai, cui nupta Gutta Habſpurgica Rudolphi I. Imp. filia.

Plures

Plures alios Nexus vide in S. Leopoldo 15. *Novemb. in B. Adela* 1. *Februarij; in B. Alberto Archiep. Salisburg. die* 7. *Aprilis, & alibi.*

Acta Synoptica.

Balbin. Epito. Bohem. lib. 3. c. 16.

DE hujus Venerabilis Matronæ actis pauculas lineas ſuggerit recens Author, cùm ait : Obijt Anno 1265. die 23. Junii ANNA Przemislai Ottocari ejus nominis I. Bohemiæ Regis filia, Henrici Probi Lignicenſis Ducis conjunx, magni animi fœmina, & plurium filiorum mater, duorum Cœnobiorum Wratislaviæ, Hoſpitalis D. Matthiæ Crucigerorum, & B. Claræ Virginum fundatrix, in D. Hedwigis Sacello ad S. Claram ſepulta, miraculis traditur claruiſſe. Nec plura hactenus mihi occurrerunt : Unde cùm miraculis claruiſſe tradatur, Venerabilem appellavi, donec Beatæ titulus aliunde illi tribuatur.

DIE

DIE XXIV. JUNII.

S. LOYBRIGUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum,

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico,

Ludovicus Rex Germaniæ.
Carolomannus Rex Bavariæ.
Arnulphus Imperator.
Arnulphus I. Dux Bavariæ.
Arnulphus II. Dux Bavariæ,
Bertholdus Comes Schyrensis.
Babo I. Comes Schyrensis.
Babo II. Comes Schyrensis.
S. LOYBRIGUS.

CarolusCalvus Imperat.
Ludovicus Balbus Rex.
Carolus Simplex Rex.
Ludovicus Transmarinus Rex.
Carolus Dux Lotharingiæ.
Ermingarda Uxor Alberti Com. Namurcensis.
Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cœteri omnes.

Acta Synoptica.

BAbonis Schyrensis filius S. LOYBRIGUS, ob vitæ innocentiam, & prodigia in numerum cœlitum relatus, vixit Schwandorffii in prolixo milliario ad sextum ab Ratisbona lapidem humatus, & per omnem Germaniam cultus. Hæc Raderus, nec plura apud Henningem aut alios reperies. Rader. Bavar. sanct. To. 2. fol. 205. Avent. lib. 7. Henning. P. 1. Germ. fol. 220. Laz. Migt. lib. 7.

Eadem DIE XXIV. JUNII.

B. BERTHA MARCHETTENSIS ABBATISSA.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Dux Lotharingiæ, postremus Carolingorum.

|

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Albertus II. Comes Namurcensis.	Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii Ducis Lotharingiæ.
Albertus III. Comes Namurcensis.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.
Godefridus Comes Namurcensis.	Wernerus I. Comes Habspurgi.
Aleydis Uxor Balduini III. Comitis Hannoniæ.	Otto Comes Habspurgi.
Balduinus IV. Comes Hanoniæ.	Wernerus II. Comes Habspurgi.
Balduinus Comes Hanoniæ & Flandriæ, Imperator Constantinopolitanus.	Wernerus III. Comes Habspurgi, & reliqui ad hodiernos.
B. Joanna Princeps Flandriæ.	B. BERTHA Marchettensis Abbatissa, B. Joannæ proximè consanguinea.

Acta Synoptica.

Joan. Buzelin. lib. 1. Gallofland. Petr. Buz. Gabr. Bucel. Menol. 18. Julij. Arnold. Raissius. Chrysost. Henriq. To. 2. SS. Ord. Cist.

BERTHA de Marbais illustrissima fœmina, Joannæ Flandriæ Principi arctissimâ sanguinis necessitudine conjuncta, Moulenbasii primùm Toparcham maritum habuit. Eo vivis exempto, spretis mundi delitiis, & amplissimis quibus pollebat opibus, Aquirienſe ingressa Cœnobium, tantis paulò pòst in virtutum studio progressibus sublimis evasit, ut omnibus esset admirationi. Condito posteà ab Joanne Principe Marchettensi Cœnobio, eidem præfecta, insigni sanctitate cæteris præluxit, ab eximia imprimis animi demissione commendata. Decessit Anno 1247. incredibili sui relicto desiderio, posteà Anno 1619. Joannis Dauvini Namurcensis Episcopi mandato, in Beatarum & Venerabilium Diœceseos illius fœminarum numerum adlecta. Refertur à Gabriele Bucelino ut Beata ad diem 18. Julii.

DIE

DIE XXV. JUNII.

S. ADALBERTUS ARCHIDIACONUS TRAIECTENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
  - Alla Rex Northumbriæ.
    - Acca Uxor Ethelfridi Regis Deirorum.
      - S. Oswaldus Rex Deirorum.
        - Ethelwaldus Rex Deirorum.
          - S. ADALBERTUS Archidiaconus.
    - S. Elwinus R. Uxor — Ethelburga.
- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurgici.
  - Arnoaldus Dux Moſella.
    - S. Arnulphus Dux Moſellanus.
      - B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.
        - Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, proavus Caroli Magni Imperatoris.

Acta Synoptica.

MAgni Wilibrordi Epiſcopi diſcipulus S. ADALBERTUS, Trajectenſis Eccleſiæ factus Archidiaconus, mox Hollandiæ & Kenemariæ Apoſtolus, inſigni cum fructu in agro Dominico laboravit. Prophetico ſpiritu illuſtris fuit, & ſtupendis miraculis claruit. Diſceſſurus aliquando in patriam, & rogatus ab Eggone hoſpite, quandonam reducem exſpectare deberet, fragmen pomi, quod in manu tenebat oſtentans, quando, inquit, hæc pomi grana in virgulta excreverint. Res mira: per abſentiam Adalberti ortum in Domo incendium ſuſtulit cum cæteris pomi fragmen, ſed granis illæſis excrevêre inter cineres virgulta, quorum indicio admonitus Eggo, reducem exſpectavit ADELBERTUM. Mortuus eſt apud Egmondam, & digno cum honore reconditus. Anno 740. Eccleſia illi conſtructa, quam irrumpentes ſubinde barbari nunquam invenire potuerunt. Illic devotos ſibi multis donat beneficiis, morbos & ægritudines depellendo; ſed & contemptores ſeverè caſtigat. Hos inter quinque milites, qui ſcrinium, in quo ſacræ illius Reliquiæ aſſervabantur, temerè armis ſuis pulſaverant, graves ſenſerunt pœnas. Vulbrandus ſuo ſe enſe peremit: Arnoldus eodem loco à fratre ſuo peremptus: Sierus intra ſex menſes miſerabili morte deceſſit. Eilgerus ad extremam redactus egeſtatem ex nobili pauperrimus, oſtiatim mendicavit,

Monach. Mediolac. in vita Jo. Molan. Gualter. Chron. de Epiſc. fol. 1533.

cavit, & demùm vermibus in florenti ætate conſumptus eſt. Garbrandus omnium robuſtiſſimus, membris omnibus contractus fuit. Condidit in honorem ejus celebre Benedictini Ordinis Cœnobium Theodoricus Junior Hollandiæ Comes, expertus cum liberis ejus opem. Proceſſu temporis Petronella Florentii Comitis item Hollandiæ vidua, Advocatiæ titulo bonis Monachorum inhians, Capellanum quendam ſuum ſubornavit, ut pietatem ſimulans Monaſticen profiteretur, quo per fraudem in Abbatis munus intruſo Monaſterii rebus abuti cœpit, & alios aliósque ei ſufficiens, ſed intra Anni circulum tribus ejusmodi Pſeudo-Abbatibus inopinatâ morte extinctis conterrita, ſalubriora ſuſcepit conſilia, & libertate Monachis reſtituta, ſancti Tutelaris gratiam beneficiis ambire cœpit. Cùm primùm ſacra oſſa ADALBERTI elevarentur, fons mirè perſpicuus eo loci erupit, quem contra multa morborum genera ſalutarem plurimi experti ſunt. Diem ejus natalem hoc die refert Bucelinus, qui Monachum fuiſſe ſcribit, fortè quia ad ejus Eccleſiam longo intervallo à morte conditum eſt Monaſterium: cœteroquin Monachum Archidiaconum eſſe, eſt quid inſolitum.

DIE

DIE XXVI. JUNII.

B. ADELTRUDIS MATER S. BAVONIS CONFESSORIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

EX eo quod dicatur apud Othelboldum vetustum scriptorem Consobrinus S. Gertrudis Nivellensis, & à Bucelino fratruelis Carolomanni Principis, à Theodorico Abbate, qui ejus vitam scripsit, apud Haræum Francorum Principum genus, & Austrasiorum Ducum hæres, hanc puto esse genuinam S. Bavonis genesim.

Carolus Hasbanius Dux Brabantiæ.

- Carolomannus Dux Brabantiæ.
  - B. Pipinus de Landis. Dux Brabantiæ. — Uxor — Itta Aquitana.
    - S. Begga Uxor Ansegisi Ducis Mosellani.
      - Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, & cæteri Carolingi deinde Habspurgici.
    - S. Gertrudis Abbatissa Nivellensis.
  - Godinus Dux Aquitaniæ.
- N. Princeps Hasbaniæ.
  - B. ADELTRUDIS, cujus maritus — Aigulphus Princeps Hasbaniæ.
    - S. Allovinus cognomento Bavo.
      - S. Adeltrudis Virgo.
    - S. Adilia

Acta Synoptica.

VTrique huic cognatæ familiæ Pipini Landensis & S. Bavonis multum debet Ecclesia, multum illæ S. Amando Trajectensi Episcopo, cujus hortatu & sanctis moribus formatæ, & ad condenda Cœnobia impulsæ sunt. *Inter familias* (Henschenii verba sunt) *illustriores, quas arctiori vinculo ad virtutem excitatas Christo conjunxit S. Amandus, prima censeri potest S. Bavonis ditissimi apud Hasbanos Principis, cujus mater & filia, quibus idem dicitur nomen* ADELTRUDIS *fuisse, & soror Adilia habitæ sunt conspicienda sanctitate fœminæ. Altera fuit & ipsa nobilissima familia B. Pipini Ducis, qui apud Austrasios major domus palatio Dagoberti ejúsque filii Sigeberti præfuit. Hujus uxor S. Itta seu Iduberga, filiæque SS. Gertrudis & Begga, Ecclesiastico cultu honorantur.* Nec plura hactenus deprehendi de ADELTRUDE seniore. Othbold. in Epist. ad Otgui. Flandr. Com. apud Miræ Not. Belg. Hensch. To. 1. Feb. f. 827. & 835. Bucelin. in Menol.

DIE XXVII. JUNII.

B. ADELTRUDIS V. FILIA S. BAVONIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Eadem eſt quæ Matris & patris præcedenti die adducta.

Acta Synoptica.

Molan. in natal. SS. Bucelin. Menolog. Henſch. cit. ſup.

IUngitur Beatæ matri Beata filia ADELTRUDIS, quam etiam Agletrudem nonnulli ſcribunt. Hæc generoſiſſimo illecebrarum hujus mundi contemptu, & egregiâ vitæ ſanctitate celebris, claruiſſe putatur Anno 640. vel paulò tardiùs, cùm pater ejus S. Bavo ſecundùm calculum Henſchenii obierit Anno 857. non ut alii volunt 631. Refertur Agletrudis hac ipſa die in Martyrologiis Benedictinorum, apud Molanum & Bucelinum, aliósque.

Eadem

Eâdem DIE XXVII. JUNII.

S. LADISLAUS REX HUNGARIÆ.

Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator. — Lotharius I. Imperator, avus Berthæ Luithardo Comiti Habſpurgico nuptæ.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperat.

Sophia, cujus maritus Salomon Rex.

Toxis Dux Ungariæ.

Michaël. — Geyſa Dux.

Ladislaus Calvus. — S. Stephanus Rex.

Andreas I. Rex. — Bela I. Rex.

S. LADISLAUS R.

Giſela Uxor Henrici Rixoſi Ducis Bavariæ.

Uxor — Giſela Soror S. Henrici II. Imperat.

S. Emericus Princ.

Acta Synoptica.

LADISLAUM BELÆ I. Regis Ungariæ filium, imò Mariæ hic legis, ita totus ab hujus uberibus dum vixit pependit, ſed neque mortuus dimiſit. Vix alius Regum tot virtutibus aut purpuram ornavit, aut coronam diſtinxit, ut minùs mirer ſi legam aulam ejus ab Angelis frequentatam eſſe. Certè ipſe ab Angelo germanum ſuum vidit coronari, ſed & Angelum ſub cervi ſchemate ignitis cornibus locum vidit ſignare, quo promiſſam Matri magnæ ædem conderet. Eorundem cœlitum ope cùm in multis aliis pugnis, tum in duello contra patruum ſuum Salomonem victor evaſit. Dum enim hic crederet, cum ſolo LADISLAO rem ſibi eſſe, conſpexit ſub congreſſum contra duos præterea Angelos ſibi certandum, qui gladio jam jam Salomoni graves imminebant. Noluit igitur, etſi Hercules ſibi ipſi videretur, in tot tantósque pugnare, ſed abjecit arma, pacem coluit. Toties victor LADISLAUS coronam tamen ferre Ungariæ ſemper reſpuit, nobiliorem & immor-

And. Brunn. in Faſtis. Anton. Bonfin. in hiſt. Hung. Inchof. Annal. Hungal. Appar. fol. 22. Piſtor. Nidan. in Catal. Reg. Ungar.

immortalem ambiens, quam ut faciliùs obtineret, facere fortiter pro terra ſancta conſtituit. In ea proinde expeditione cùm Dux lectus eſſet omnium copiarum, ecce in ipſo belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò & currui impoſitus, ſine jumentorum hominúmque ope, in templum, quod ab eo Virgini conſtructum fuerat, non tam vehi quàm currere viſus eſt. Obſtupuit ad miraculum orbis; ſed cur miremur filium ad matrem ſuam procurrere? Obiit Anno 1095. tertio Cal. Auguſti. Sanctorum faſtis adſcriptus. Cùm hærede Regni ſucceſſore careret, Regni hæredem ſcripſit MARIAM, & ſupremæ voluntatis ſuæ atteſtationem eſſe voluit numiſma cudendum in perpetuum: quod hodiéque ita ſanctum Reges habent, ut altera exparte Deiparæ ſedentis ſole amictæ, alterâ Regis LADISLAI ſtantis imagine plerumque velint inſigniri nummos aureos, quos vulgo Hungaricos & Hungaros appellamus.

DIE

DIE XXVIII. JUNII.

B. NOTGERUS ABBAS SANGALLENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

CUm scetæ a sua soleant mutare nomina, difficile est eorum Genesim investigare. NOTGERUS Abbas scribitur fuisse nepos Ottonis I. Imperatoris, an ex aliquo filiorum vel filiarum, id nondum deprehendi. Verosimile est, fuisse filium Chunonis Comitis Oeningensis ad lacum Brigantinum ex Richolita filia Ottonis Imperatoris, cui copiosa proles erat, & nominantur filii Engelbertus, Lutholdus, Lupoldus, Conradus, Egbertus, quorum aliquis in Monasterio nomen mutaverit in nomen NOTGERI, ob memoriam alterius B. NOTGERI Balbuli de sanguine Carolorum sive Carolidarum, uti in ejus vita dicitur. Unde sic probabiliter dispono Genealogiam.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperat.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Lothatius Imperator.
Ludovicus Balbus Rex.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ermingardis Uxor Regneri Ducis Lothar.
Carolus Simplex Rex.	Arnulphus Imperator.	Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.
Ludovicus Transmarinus Rex.	Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Luitfridus I. Comes Habspurgicus.
Carolus Dux Lotharingiæ.	Henricus Auceps Imperator.	Hunifridus Comes Habspurgicus.
Ermingardis Uxor Alberti Comitis Namurcensis.	Otto I. Magnus Imperator.	Guntramus II. Comes Habspurgicus.
Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii.	Richolita Uxor Chunonis Com. Oeningensis.	Lancelinus Comes Habspurgicus.
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri.	B. NOTGERUS Abbas Sangallensis.	Radepotho Comes Habspurgicus.

Acta Synoptica.

Chron. Sangall. Mezler. Compend. rer. Sangall. Bucelin. Menol. Papebr. ad 6 Apr. f. 577

CONtemptu honorum & nobilitatis veram nobilitatem virtute aſſequutus NOTHERUS, B. Burchardo Abbati eo nomine charus fuit NOTGERUS, ut ſucceſſor eo dignior nullus æſtimaretur. Nunquam illo Antiſtite felicius viſum Sangallenſe Cœnobium. Doctrinam ſanctitati, moribus induſtriam Oeconomicam ſummâ cum laude conjunxit. Mortis ſuæ præſcius in pervigiliis Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum alterum præcipuum ſibi tutelarem delegerat dilexerátque, ſanus cùm adhuc eſſet, ſanis valedicens, opinione jam tunc omnium ſanctus, diem ſuum ſanctiſſimè obiit. Cui inter alios Sangallenſis civitas originem ſuam debet, vallis, muris, turribus, quæ patruus ejus cœperat, munita & exornata. Cùm eum aliquando Otto I. Imperator inviſere vellet, quæſiit: *Ubi eſſet, & an adhuc viveret dulcis ſuus nepos* NOTGERUS, *quem grandævum, & oculis caligantem oſculatus, apprehensâ comiter manu ipſe & filius Otto II. in clauſtrum deduxerunt.*

DIE

DIE XXIX. JUNII.

B. HEMMA COMITISSA.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator Romanorum.

Henricus IV. Imperator.

Bertha, vel Limpurgis, Uxor Marquardi Marchionis Carinthiæ, Fundatoris S. Lamberti in Styria.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Com. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

B. Richarda, Uxor Udalrici Comitis Eberspergensis.

B. HEMMA Uxor Wilhelmi Comitis à Zelsach & Friesach, fundatrix Præposituræ Gurcensis.

Marquardus Jun. Uxor Hademunda filia Udalrici Com. Eberstp.

Acta Synoptica.

HEMMA ex progenie Ducum Carinthiæ, primos annos in Gynæcæo Virginum S. Chunegundis Imperatricis exegit, nupta dein Wilhelmo Comiti de Zelsach & Friesach in Carinthia. Duo filii Wilhelmus & Hartwicus, quos genuerat, ad pietatis & prudentiæ normam exculti, aliquando fortè ad minerarum fossores digressi, plerosque vitæ profligatioris Hening. P. 1. Germ. Laz. Migrat. lib. 6. fol. 210. Rader. Bav. S. T. 2.

deprehendunt, cœteros inter unus violati thori crimine accuſatus, & furcæ appenſus crimen expiavit. Sed hujus neceſſarii & amici vindictam ſpirantes, egreſſos iterum ad luſtranda opera Comites fratres inopinatò arreptos fuſtibus immaniter trucidarunt. Sacris tunc fortè intererat HEMMA, quæ triſti nuntio lacrymis & luctui nonnihil indulſit, animo dein erecto chariſſimorum pignorum necem æquanimiter tulit. Wilhelmus maritus ſumptâ de homicidis vindictâ, HEMMÆ exemplo totus ad pietatem ſe convertit, & bonâ conjugis veniâ absque famulitio, tenui penulâ, ſcipione & perâ habitu peregrini inſtructus, ſacra Apoſtolorum limina inviſit, & remenſo in patriam itinere, extremum diem obijt in valle Lavantina, ſepultus in Gröbern Eccleſia, quam ipſe D. Laurentio M. ſtatuerat, hodiéque adhuc vulgo ob inculpatæ vitæ tenorem Sanctus audit, & Sanctorum Martyrologio eum adſcribit Ferrarius. Soluta conjugali vinculo HEMMA, hæredem ſcribit Deiparam: ejus honori Eccleſiam, & juxta duo domicilia, alterum Virginibus Deo ſacratis, alterum Canonicis Regularibus S. Auguſtini ſtatuit, locum ſortita prodigio. Statuam quippe Deiparæ plauſtro, bobus jugalibus ſine duce trahendo, imponit, ut ubi illi ſubſtitiſſent, illic fundationem auſpicaretur. Ferunt illic ſubſtitiſſe, ubi nunc in crypta ſubterranea Gurcenſi erecta eſt ara B. Virginis, ita firmos, ut nullis verberibus aut ſtimulis dimoveri poſſent. Cœptum opus proſecuta HEMMA, quotidie in occaſum ſole currente operas in vicino lapide (qui naturam ſuam oblitus, ut cera tractabilis formam ſedilis induit) palàm expoſitis loculis perſolvebat, facultatem faciens, ut quisque manu inſerta acciperet quod poſſet, nemo tamen ultra mercedem diurno labori reſpondentem quidquam extulit: quod idem de B. Plectrude Paſſavienſis Eccleſiæ fundatrice narratur. Structurâ perfectâ, in alterum domicilium viginti Canonici Regulares S. Auguſtini inducti ſunt. Balduinus Salisburgenſis Archiepiſcopus Anno 1040. ſacris ſolenniter operatus Eccleſiam dedicans, palàm ſpectante populo, HEMMÆ ſeptuaginta Virginibus ſtipatæ ſacrum velum impoſuit, & in alterum domicilium induxit, ubi annis aliquot ſanctè exactis, obiit die feſto SS. Petri & Pauli in crypta tumulo illata. Fama ejus ſanctitatis in hodiernum diem per populos vicinos viget, ad ejúsque ſepulchrum è remotiſſimis etiam locis peregrinationes inſtituuntur. Altare ſupra tumulum erectum eſt, in quo litatur, imago depicta cernitur cum radijs, ut Sanctorum ſolent. Canonizatio petita fuit 1461. à Paulo Papa II. qui delegavit proceſſum, & examen vitæ ac miraculorum, Gulielmo Oſtienſi, Bernardo Trevirenſi tit. S. Sabinæ, & Franciſco tit. S. Euſtachij S. R. E. Cardinalibus, à quibus ſubdelegati fuerunt Georgius Secovienſis, Sigismundus Labacenſis Epiſcopi, & Joannes S. Lamberti, Gerardus Victoriæ Abbates. Effectum impediverunt quæ ſubſecutæ ſunt Turcarum irruptiones, & Matthiæ Regis Ungariæ contra Auſtriam molimina. Erectæ nihilominùs ſunt ab antiquo B. HEMMÆ diverſæ ſacræ ædes. Landſpergæ Capella eſt ſub ejus patrocinio & titulo. In valle Junenſi templum juſtæ magnitudinis prope Eberndorffium eidem conſecratum. Miracula ad ejus tumulum & invocationem patrata, aſſervantur in peculiari libro apud Gurcenſes.

MSS. Gurcenſ. Reichard. in Brev. Hiſtor. Carin. Megiſer. in Annal. Henning. ſup. cit.

DIE

DIE XXX. JUNII.

B. ADILIA VIRGO ABBATISSA,

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Hanc vide paulò ſuprà die 26. Junij in B. Adeltrude ejus matre.

Acta Synoptica.

ADILIA matrem habuit B. Adeltrudem, fratrem S. Bavonem, neptem ex fratre alteram B. Adeltrudem: quorum imitata virtutes, in Cœnobio Virginum montis S. Martini velum ſacrum ſuſcepit, non multò pòſt digna habita, quæ cœteris imperaret. Rarum illud ejus munificentiæ & hoſpitalitatis exemplum, cùm hoſpitum, & peregrè adventantium occurſu, tanquam Chriſti præſentiâ delectaretur: adverteret tamen quosdam editioris loci aſcenſu abſterreri; relicto illo Cœnobio, aliud ad radicem montis, loco hoſpitum frequentiæ peropportuno condidit, quo nimirum ſuâ charitate plures peregrinos alliceret. Inſigne ejus ſanctitatis monimentum etiamnum celebratur fons limpidiſſimus ab ea nomen ſortitus, qui omnes magni Orpii ædes alluit, quo ipſa in hodiernam usque diem merita ſua univerſis teſtatiſſima facit. Reliquiæ ejus ſuperiore ſeculo Anno ſeptuageſimo primo reſeratæ, cœleſtem fragrantiam redoluere, recentiſſimis etiam miraculis plurimùm nobilitatæ. Refertur à Molano, Bucelino & aliis hac die ejus natalis.

Bucelin. Menol. ad diem 30. Jun. Molan. in nat. SS. Franc. Haræ. in vita ad 3. Junii.

Claruit circa annum Domini 670. Haræus Sanctam appellat.

Eadem DIE XXX. JUNII.

S. EHRENTRUDIS V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

QUo jure antea ad 27. Martij Habſpurgico-Auſtriacis adnumeravimus S. Rupertum Norici Apoſtolum, eodem ejus neptis (ſecundùm alios ſoror) S. EHRENTRUDIS nunc venit memoranda. Videatur ibi Genealogia.

Acta Synoptica.

Henric. Caniſ. To. 6. lect. Antiq.

Andr. Brunn. in Faſtis.

Matth. Rader. Bav. S. To. 1. fol. 42.

Baron. To. 7. Annal. Eccleſ. fin.

Hund. in Metro.

Velſer. lib. 4. rerum Boia.

Arnold. Wion.

Bucelin. Menol. ad 30. Jun.

ERat EHRENTRUDIS D. Ruperti Noricorum Apoſtoli neptis, non tam ſanguine, quàm virtute propinqua. Itaque Magiſterium in Deo devotas Virgines, jam tunc cùm in Francia adhuc ageret, exercuit. Sed uti in Rupertum virorum, ſic in EHRENTRUDEM mulierum virus effudit invidia, & è patrio ſolo cedere coëgit. Inter auxiliares proinde copias, quas fidei bono in Boicas terras induxit Rupertus, etiam hanc numeravit, & exædificato ad Juvaviam Deiparæ honori Parthenone, illic collocavit Virginem, Matrémque aliarum Virginum voluit eſſe: quod officium ſic illa implevit, ut non harum ſed pauperum omnium mater audiret, quibus tectum victúmque nunquam non præbuit. Pedes etiam eorum lavare, ulceráque velut gemmas gaudens tractare: ipſa menſæ accumbens non tam corpus cibo, quàm animum pijs de DEO colloquijs reficiebat; quo ut ſueretur, dici non poteſt, quàm abire è vita properarit. Tumulum ejus ingentia miracula coronarunt. Inter alia: Monachus in hæreditatem Divæ invaſerat, auſus partem ſalinarii montis ſibi aſſerere, & occupavit ille terram quam petijt, ſed ſubito fato loco & territorio extinctus. Aliam expertus eſt Henricus Sanctus Cæſar, qui morbo tentatus amuletum è collo ſuſpendit annulum aureum, reliquiis Virginis (gemmis utique pretioſis) gravem. Atque hunc cùm amiſiſſet ille, & ab infeſto morbo iterum oppugnaretur, præſentem iterùm medicinam ad tumbam EHRENTRUDIS reperit, ut qui ſe Henrico tunc debebat orbis, idem ipſum Henricum EHRENTRUDI deberet. Plura immortales ſunt Virginis hujus beneficia, quæ alii enarrent: cùm ab Elephantaſii morbo immedicabili multos purgat, aliis amiſſam videndi facultatem reſtituit, alios ex latronum inſidiis eripit, apoplecticos curat, medicis ipſis medicinam præſentem exhibet. Colitur pridie Cal. Julij.

Finis Menſis Junij in Anno Sancto Habſpurgico-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
JULIUS.
Sive
CAROLUS V. MAXIMUS.
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

NUlli æquiùs dicandus eſt Julius, quàm Auſtriaco Dictatori CAROLO Regum ac Imperatorum *Maximo*. Abſorbet hic omnem Julii Romani gloriam ſolo nomine, ſive pro *Julio* dixeris CAROLUM, ſive pro *Quintili* QUINTUM. Fuerit verò hic menſis in tutela Jovis Romanis: nos in ipſo CAROLO agnoſcimus fulminantem Jovem in hoſtes, placatum in ſubditos, cui repetimus quod pridem ſcripſimus Elogium.

CAROLUS V. AUGUSTUS,

Imperii Romani Prodigium!
Da rubricam Aſia, Africa, Europa,
Quam fudit Mars Auſtriacus,
Ut ſcribam Victoris nomen.
A *Philippo* exſpectari non debuit niſi *Alexander*;
Imò à *Philippo Catholico* melior
Alexandro, Julio, Auguſto, Pompejo,
Orbis domitor, terror Urbium.
Ad cujus pedes etiam procubuit
Ignotus Orbis Macedoni.
Sex ante illum Cæſarum effigies delineavit
Auſtriaca felicitas,
Pro ſeptimo laboravit, ut priorum faceret compendium:
Et verò fecit. Nam
CAROLUS CÆSARUM MAXIMUS.
Ita digitus Dei ſcripſit.
Religioſiſſimus Orthodoxæ fidei
In Orbe veteri propugnator,
In novo propagator,
Æſtate una plures, quàm alij ætate
Numeravit Victorias.
Bello Saxonico
Quadrageſimo die finem impoſuit;
In quo per annos quadraginta ſudaverat
CAROLUS MAGNUS.

Bello

Bello Germanico
Non omninò *ſepties ſeptem* diebus, ſeptem prælijs victor,
Germaniæ hoſtes *ſeptem* menſibus domuit.
Bello Africano
Reges octodecim, prælijs octodecim vicit;
Quorum unus
Septuaginta aureorum milliones intra dies *ſeptuaginta*
Pro libertate ſpondebat.
PLUS ULTRA
Coronas meruit Civicas & Murales
Decies octingentas:
Totidem navales:
Tot urbes cepit, tot naves.
Caſtella centies mille expugnavit.
Felix CAROLE!
Alii ſunt Fortunæ, Fortuna Tibi eſt ludus.
Nunquam exutus caſtris, acie victus nunquam.
Quadragies gloriosè Victor,
Prælijs magnis exantlatis
Septuaginta.
Ita nimirùm *ſeptenario omnis perfectionis* indice,
Quidquid propè fuit in CAROLO, ſignabatur.
Ipſum nomen Ter *ſeptem* literis incluſum.
CAROLUS QUINTUS MAXIMUS.
Solem aut Jovem cogita inter Planetas,
Cæſarum Auſtriacorum
SEPTIMUM.
Nunquam tamen major, quàm cùm ſeipſo minor,
Orbe triumphato, ſuimet victor,
Mortem didicit ante mortem,
Et inter poſtrema ſpolia numeravit
Captivam ſui libertatem;
Factus Dei libertus & Virginis
Ipsâ hæreſi laudatrice.
Inter dona Hallenſi Virgini piè ſuſpenſa
Statuam argenteam poſuit,
Baltheum appendit,
Suam Divæ militiam, & Victorias,
Aut conſecrans, aut referens acceptas.

Ego quoque hic meum ſuſpendo calamum, qui gloriæ magnitudine, & Majeſtate obtuſus, fruſtrà molitur, quod alii deſperarunt. Omnia habebunt ſecula, quod ſcribant de CAROLO, nulla aſſequentur. Nec illa quidem periodus apta ſit ejus laudibus, qua in orbem redeunt ſeculorum myriades. Infeliciter volant, ad tantos rerum apices humiles pennæ.

CA-

CALENDIS JULII.

S. REGINA VIDUA SANCTIMONIALIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, deinde Habſpurgici.

Bernardus Dux.
|
B. REGINA Uxor B. Aldeberti Comitis Auſtrovandiæ.
|
B. Ragemfredis Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Uit hæc REGINA nomine, Regina Regum proſapiâ & cognatione, Regina ſui victoriâ, Regina denique Regis Regum dotatione. Nupta primùm parentum, & Pipini Regis (cujus neptis erat) voluntate, Adelberto Comiti Auſtrovandiæ, ex quo decem filias ſuſcepit, raro exemplo omnes Deo dicatas. Condito autem in honorem Deiparentis unicæ tutelaris ſuæ, & D. Martini Cœnobio Dononienſi ad Scaldim, eodem ſe ſe poſt obitum Mariti concludens, ſub B. Ragemfredis filiæ ſuæ regimine vitam religioſiſſimè exegit, mater filiæ ſuæ obediens. Sepulta Dononii, ubi ſacrum ejus corpus in ſumma habetur veneratione. Sanctæ titulum ei tribuit Bucelinus. Buceſin. in Menol. ad 1. Jul. Henſch. To. 3. Apr. fol. 73.

Eâdem DIE I. JULII.

B. HENRICUS EPISCOPUS OLOMUCENSIS.

Acta Synoptica.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperat. à quo poſt 6. gradus Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo rectâ lineâ hodierni.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavar.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Othonis Ducis Saxoniæ.

Lotharius I. Imperator, à quo poſt duos gradus Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, qui fuit atavus Radepotonis rectâ lineâ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Imperator.

Otto II. Imperator.

Judith, cujus maritus

Hemma Uxor Boleslai Pij Ducis Bohemiæ.

Boleslaus III. Dux Bohemiæ.

Jaromirus Dux Bohemiæ.

Udalricus Dux Bohemiæ.

Bretislaus Dux Bohemiæ.

Uratislaus Rex I. Bohemiæ.

Uladislaus Princeps Bohem. cujus atnepos Wenceslaus fuit maritus Guttæ Habſpurgicæ, gener Rudolphi I. Imperatoris.

Otto Princeps Olomucenſis & Znoymenſis.

B. HENRICUS Zoick Epiſcopus Olomucenſis, quem alij filium Uratislai I. Regis, fratrem Uladislai Principis faciunt.

Acta Synoptica.

Bohusl. Balbin. Ep. rer. Bohe.

Auguſtin. Morac. Lupac. ap. Balbin.

Pulkava in hiſt. Bohem.

HENRICUS omnium ſcriptorum conſenſu Bohemiæ Princeps, Bretislai Ducis & Judithæ Saxonicæ nepos ex alterutro filiorum Uratislao vel Othone, apud vetuſtum ſcriptorem Bohemum hoc habet Elogium: HENRICUS *Epiſcopus Olomucenſis ſanctæ converſationis fuit, in conſilijs dandis prudentiſſimus, ut ejus opera demonſtrant. Eccleſiam S Wenceslai Olomucij, quam Principes ædificare cœperunt, gloriosè abſolvit, & cum facultate SS. Patris Innocentij à S. Petri Eccleſia ſeparavit Cathedralem Eccleſiam, eámque apud S. Wenceslaum conſtituit, condecorans auro aliísque pretioſiſſimis cimmeliis Hierolo-*

lymis

lymis quoque ſecum ſatis magnam partem ſanctiſſimæ Crucis attulit, & illi Eccleſiæ donavit. Idem ipſe HENRICUS cum Wladislao & ejus conjuge Gertrude fundarunt Cœnobium Strahovienſe in monte Strahovu, & appellarunt illum montem Syon, ob ſimilitudinem, quam habet ad montem Syon Hieroſolymis. Aliud itidem Cœnobium ejusdem Ordinis fundavit, quod Olivetanum appellavit, ob ſimilitudinem Montis Oliveti; ex quo Cœnobio poſteà Carolus IV. Cæſar & Rex Bohemiæ erexit Epiſcopatum per Clementem VI. &c. Hæc Pulkava apud Balbinum. Cœnobium verò iſtud fuit Lithomislij, ubi adhuc inſignis Eccleſia eſt, quam ante 40. annos me vidiſſe memini, ab eo tempore non dubito redditam ornatiorem. Strahovienſis verò fundationis pretium tulêre Principes etiam in hac vita. Conditum eſt Cœnobium Anno 1143. & mox Anno ſequenti Gertrudis Duciſſa (filia hæc fuit S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ) ejusdem haud dubiè cognati HENRICI uſa conſilio, Doxanenſe Virginium ejusdem inſtituti Norbertini, uti eſt Strahovienſe, fundavit. Placuiſſe hanc Principum pietatem Deo, ſubſequens Annus 1145. oſtendit. Nam in altari Aſſumptæ in cœlos Dei Matris in Eccleſia Pragenſi Beatiſſima Virgo Regio cultu *Redæ* Sacerdoti Regio, dum ſacra facit videndam ſe obtulit, cúmque à ſe Principes ſalutari juſſiſſet, ſimul locum Giloviæ in certa fodina deſcripſit, ubi ingens puriſſimi auri vis excreviſſet. Reperti tunc fuerunt *Redæ* indicio, quatuor & viginti auri probatiſſimi centenarij, ut nunc appellant. Sic pium cœlum liberale eſt, in piè liberales. Cœterùm HENRICUS cùm bis Hieroſolymam adijſſet, & ſemel Cruce ſuſceptâ in Pruſſiam duxiſſet exercitum, multósque partim armis, partim prædicatione ad Chriſtum adduxiſſet, pijſſimè obijt Anno 1151. Calendis Julij, ut habet Lupacius, & Aubertus Myræus. Verùm Auguſtinus Moravus habet annum 1157. & Weleslavinus Annum 1150. diem 25. Junij. Credo Balbino, qui ait: *Magnus hoc anno 1151. Cœnobiorum amator & pater è vivis abijt B. HENRICUS Zdik Olomucenſis Epiſcopus, Præſul vitæ ſanctimoniâ clarus, in Cœnobio Strahovienſi Pragæ ſepultus.* Præfuit Epiſcopatui annis 25. quia teſte Weleslavino ordinatus fuit Anno 1126. ut eſt in Notis apud Balbinum.

Balbinus in Epitome rer. Bohem. Lupacius, Hagekius, Dubravius, & alij apud Balbin.

DIE II. JULII.

S. OTTHO EPISCOPUS BAMBERGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo poſt 6. gradus Itha Uxor Radepotonis Habſpurgici.

Ludovicus Rex German.

Carolomannus Rex Bavar.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Richlindis Uxor Chunonis Comitis Oeningenſis.

Chunegundis Uxor Friderici Comitis ab Andechs.

Leopoldus Comes ab Andechs.

Arnoldus Comes ab Andechs.

Bertholdus I. Com. ab Andechs.

S. OTTO Epiſcopus Bamberg.

Lotharius Imperator, à quo poſt duos gradus Luitfridus Comes Habſpurgicus, ut ſup. 28. Junii.

Acta Synoptica.

Andr. Brunner. in Faſtis.

Joan. Gualter. de Epiſc. fol. 1099.

Henric Canif. in vita.

Chron. Pomer.

Carolus Stengel. in Faſt.

PRincipum Andecenſium familia non unum terris cœlitem intulit, quos inter OTTONEM Bertholdi Comitis & Sophiæ Duciſſæ in Amberana valle filium donavit Bambergæ. Natus Anno 1069. juvenis Aulam Cæſaream ſequutus, Henrici IV. Cancellarium, Henrici V. Sacellanum egit, à quo Bambergæ Anno 1102. datus Antiſtes, cùm annum ageret trigeſimum tertium. Præter Xenodochia, ſtructáque vel reparata templa quam plurima, monaſteria ædificavit viginti & unum: hominum Deo ſacratorum conſortio præcipuè delectatus, gaudebat his ſive ſacrificaturis, ſive ad menſam accubituris miniſtrare, & fercula oſculo condire. Zelo promovendi honoris divini in Pomeraniam movit, ſuperſtitionem expugnaturus. Multæ illi pugnæ fuêre, ſed victor etiam, cùm vapularet, abivit. Tandem pagana regio manus dedit, poſtquam OTTO verbis blandis & munuſculis

captos

captos duos adoleſcentulos, illi alios, hi alij iterum alios, & parentes denique ipſos ad ſacra noſtra induxerunt. Ita poſt OTTHONEM Apoſtolos Pomerania pueros habuit, quos, ubi ſacro fonte luſtrati ſunt, à profanorum ſocietate remotiſſimos voluit, ut neque jam luſus illis communis eſſet, quorum mores diſſimiles eſſe oportebat. Bambergam redux vitam reliquam egenorum ſubſidio porrò impendit, magno operæ pretio. Nam vidit non nemo in altiſſimo monte, ab omnis ætatis & ſexûs hominibus palatium OTTONI è ſolidis gemmis adornari. Quid igitur ſuperbia architectos toto orbe conquiris, ut cœlum tibi in terris ſtruas, quando obvios hos quotidie habes? ſi neſcis cæci ſunt, qui aream rectè deſignabunt: claudi ſunt, qui tam pulchra ſaxa convehent, manci debilésque rectè abſolvent, & in cœlum tam nobile educent ædificium. Præfuit OTTO Eccleſiæ ſuæ annis triginta ſeptem, propter ſingularem modeſtiæ, & humanitatis laudem dictus cognomento *Humilis*, propter zelum *Pomeranorum Apoſtolus*. Obiit Anno 1139. ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Elevatus è tumba, & in magnificum Mauſolæum depoſitus, Divorúmque adſcriptus Catalogo Anno 1189.

Bucelin. in Menol. Rad. Bavar. S. To. 1. 112. Andr. Ab. Babenberg. Crantz Saxon. lib. 6. c. 5. Surius To. 4. 2. Jul. Gretſer. in SS. Bambergenſ.

DIE III. JULII.

S. BERTHA VIDUA ABBATISSA BLANCHIACENSIS.

Ex majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Richimer Princeps ex Regio Francorum ſanguine. Uxor S. Gertrudis Hammaticenſis.

Buceli. P. 2. Gen. Germ.

Blond. in Gen. Franc.

Gerberta, quæ & Gerbirga & Blithildis, Uxor Ægæ vel Ægani majoris domûs ſub Dagoberto I. Rege.

S. Adalbaldus Dux Duacenus. Uxor S. Rictrudis, poſteà Abbatiſſa.	Erchinoaldus Clodovei II. Præfectus Palatio.	Sigebertus Comes Pontivenſis; Uxor S. BERTHA, quæ poſtea Abbatiſſa.

Erchinoaldus Clodovei II. Præfectus Palatio.

Leodiſius major Domus Regiæ.

Atticus vel Ethico Dux Alemanniæ & Alſatiæ. Uxor Berſuindes ſoror Bilthildis Reginæ.

Albericus Dux Alſatiæ.	Etho Comes Briſiacæ.
Luitfridus Dux Alſatiæ; Uxor Hiltrudis hæres Habſpurgi prioris ſtirpis, quæ prole carens adoptavit nepotem Ottobertum.	Albericus Comes Leberthallenſis.
	Ottobertus Comes, adoptatus ab Hiltrude, primus Comes Habſpurgi ſecundæ ſtirpis.

Acta Synoptica.

Bucel. in Menol. ad 4. Julii

Joa. Mol. in addit. Hugo Menardus. Arnold. Wion. Andr. Sylvius lib. 1. Synopſ. Franco. Merov. Boll. To. 1. Febr. fol. 296. in vita S. Adalb.

SIgefrido Principi, quem Clodovei Regis conſanguineum appellant acta, paris nobilitatis proſapiâ nobilis BERTHA juvenis nupſit, eique filias quinque peperit, Gertrudem, Deotilam, Geſam, Geſtam, & Emmam. Mortuo marito convenit affinem S. Rictrudem, (erant enim duorum fratrum viduæ) conjunctisque jejunio precibus, ſolicitè Dominum exoravit, ut ad famulatum ſuum opportuno loco Cœnobium conſtrui approbaret. Tertia jejunii nocte Blanciacum oppidum ſuper Thenam fluvium ipſi ab Angelo deſignatum, ubi conſtructo virginum Parthenone, ſeculum ejuravit, ſecúmque unà Gertrudem & Deotiliam filias Deo obtulit. Cùm verò Ruodgarius quidam inter Principes Regni ſpectatiſſimus Gertrudem filiam Deo jam dicatam importunè ambiret thori ſociam: BERTHA filiam ad templum

plum deducens, & coram toto cœtu ad cornu altaris applicans, patefactis oſtijs Ruodgarium ſic eſt alloquuta: *Ecce ſponſa Chriſti adeſt à Venerabilibus Epiſcopis velata, atque ad iſtud altare, Deo donata: ſi audes Domino auferre, aufer. Nos enim muliebris conditionis, virili manu tibi repugnare non valemus. Defenſor noſter Deus nos non derelinquet.* Quibus auditis ille timore ac iracundiâ plenus abſceſſit, & licet multa contra BERTHAM apud Regem moliretur, nihil tamen effecit, Numine protegente religioſam matrem, quæ deinceps inſigni miraculorum gloriâ claruit, eorum oſtenſione usque hodie celebris.

Natalis ejus eſt 4. Julii, nos præ-
venimus

DIE

DIE IV. JULII.

S. UDALRICVS EPISCOPVS AUGUSTANUS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperat. à quo poſt 6. gradus Itha Lotharingica Uxor Radepotonis Habſpurgici, magni avi hodiernorum Archi-Ducum.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Hedwigis Uxor Burchardi Ducis Sueviæ.

Diethburga, Uxor Hugobaldi Comitis de Dillingen.

S. UDALRICUS Epiſcopus Auguſtanus.

Lotharius I. Imperator.

Ermingardis Uxor Regneri Ducis Lothar.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, qui fuit atavus Radepotonis Comitis.

Alium nexum vide ſup. in S. Adalberone Epiſcopo Auguſtano die 12. *Junii.*

Acta Synoptica.

Jo. Bapt. Maſc. in Encom.

Andr. Brunn. in Faſtis.

Berno Abb. in vita. Chron. Weingart.

Carol. Stengel. in Faſt.

Georg. Stengel. in Judic. div.

SPectabilis fuit UDALRICUS adhuc parvus inter magna prodigia. Non enim crevit cibo, ſed fame. Cùm macies extenuaſſet infantem, unum inventum eſt remedium, quo pingueſceret, alimonia ſubtracta. Hoc ſcilicet oraculum acceperat mater de filio, ut ſi vitam vellet prorogare, vitale lac negaret. Quantum purus hic puer Sirenum accerſabitur illecebras, qui etiam materna reſpuit ubera? Præter matrem aliam quoque nutricem nactus, quæ illi pietatem inſtillavit. Wiborada hæc fuit ſanctiſſima Virgo, quæ leviculè fortè cinctum caſtiore de lino cingulo donavit, juſſitque primò liberioribus ſermonibus nec linguam dare nec aures: tum quos mundus

mundus ſocios dictitat, hoſtes duceret, mollem cupidinem cilicio abſterreret; ejus flammis ſub pectore graſſantibus, verbis Eccleſiæ *in adjutorium* Deum exciret, ſimul digito in focum immiſſo incendijs incendia opponeret, fœminas denique, vel ſe fœminâ authore fugeret. His monitis velut lacte virtus UDALRICI crevit ridentis irridentium coævorum turbam, qui cum ludibrio, ſed ſine mendacio jam tum ſanctum clamabant. Sed graviora teſtimonia Epiſcopo cœlum dedit, è quo manus delapſa ſacrificare cum UDALRICI manu eſt viſa. Fluvium nunc in perforata navi, nunc ſine illa ſiccus trajecit. Contra barbaros Auguſtam Vindelicorum obſidentes Imperatori præſentiâ ſuâ nobilem victoriam peperit. Virginis Auguſtanæ bona adverſus rapaces manus tutatus commilites cœlites habuit, qui variis pœnis in prædones pugnarunt. Innocenti nobili, quem zelotypus maritus ex ſola ſuſpicione in fruſta conciſum, captivæ ſuæ conjugi dabat edendum, poſt evolutum anni ſpatium caput è collo captivæ oblatum reſtitui, loqui, & innocentiam fateri juſſit, vitæque reddidit, pluribus deinceps victuro annis. Multa alia illuſtrem eum fecerunt miracula: faſſus tamen eſt, pœnas ſe Numini debere, quòd ſucceſſorem Nepotem, cœtera dignum, legiſſet. Proinde non nepotes, ſed pauperes fecit hæredes, in quos moriens etiam ſuppellectilem ſparſit. Sic nimirùm vaſa colligunt boni Pontifices in cœlum migraturi. Obiit Anno Chriſti 973. ætatis 83. in ſuo S. Afræ Cœnobio conditus, quod ab ipſo deinde appellationem meruit.

Burcelin. Menol. ad 4. Jul.

Gualter. de Epiſc. fol. 945.

Adelzreit. in Annal.

Boic. Piſtorius To. 3. f. 664.

Eadem DIE IV. JULII.

S. ELISABETHA REGINA PORTUGALLIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. à Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor Friderici Comitis ab Hohenſtauffen.

Fridericus Dux Sueviæ I.

Fridericus I. Imperator Barbaroſſa.

Henricus VI. Imperator.

Fridericus II. Imperator.

Manfredus Rex Neapolis.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico.

Carolus Dux Lotharingiæ, proavus Ithæ, nuptæ Radepotoni Comiti Habſpurgico.

Conſtan-

Conſtantia Uxor Petri III. Regis Aragoniæ.

S. ELISABETHA Regina Portugalliæ.

Nexus II. cum Auſtriacis.

Petrus Rex Aragoniæ.

S. ELISABETHA Regina Portugalliæ.

Jacobus II. Rex Aragoniæ.

Iſabell. cujus maritus — Fridericus II. Pulcher Imperator.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

Albertus I. Habſpurgicus Imperator.

Nexus III. cum ijsdem.

Dionyſius Rex Portugalliæ. Uxor S. ELISABETHA Aragonia.

Alphonſus IV. Rex Portugalliæ.

Petrus Rex Portugalliæ.

Ferdinandus Rex Portugalliæ.

Joannes I. Rex Portugalliæ.

Eduardus Rex Portugalliæ.

Eleonora Luſitana Uxor Friderici III. Imperatoris Auſtriaci.

Maximilianus I. Auſtriacus Imperator à quo omnes hodierni.

Acta Synoptica.

ELuceſcit ſæpè in pueritia, quid maturior ætas polliceatur. Vix nata ELISABETHA Princeps Aragoniæ pacem attulit regno, graviſſimis diſcordiis inter avum & patrem, ob natalis diei lætitiam, compoſitis. Creſcentis indolem miratus pater, affirmabat fore, ut una ELISABETH reliquas Aragoniorum Regum ſanguine prognatas fœminas excelleret. Sic cœleſtem ipſius vitam, contemptum ornamentorum, fugam voluptatum, jejunia, preces aſſiduas, charitatis opera veneratus, rerum ſuarum & regni felicitatem illius meritis referebat acceptam. Juncta Dionyſio Regi mediam ferè anni partem ſolo pane & aquâ tolerabat, quæ in quodam ejus morbo verſa eſt prodigiosè in vinum, cùm id à medicis præſcriptum bibere recu-

Lect. Breviar. Vaſconcell. in Anacæphalæo

recuſaſſet. Pecunias pauperibus deſtinatas, ut Regem laterent, hiberno tempore in vernas convertit roſas. Pauperis fœminæ ulcus horrendum exoſculata de repentè ſanavit. Virginem cœcam à nativitate illuminavit, multos alios ſo'o Crucis ſigno à morbis liberans. Multa illi monaſteria & templa ſuam debent, quà originem, quà fortunam. Defuncto marito religioſis D. Claræ veſtibus induta parentavit. Compoſtellam dein profecta, multis D. Jacobum donariis auxit; redux omnes facultates in pauperes, & pia loca exhauriens regio, quod ipſa condiderat, Virginum Cœnobio Conimbricæ ſe incluſit. Dum verò Regem filium & generum in concordiam revocatura Stremotium contendit, ex itinere in morbum incidens, ibidem à Virgine Deipara viſitata, diem obiit Anno 1336. die 4. Julii, quam multis celebrem miraculis Urbanus Octavus Anno 1625. Sanctorum Albo inſcripſit.

DIE.

DIE V. JULII.

S. WILHELMUS ABBAS HIRSCHAUGIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

FUit è Ducibus Bavariæ, seu Palatinis Schyrensibus ortus teste Bucelino; sed quibus in particulari parentibus, ignoratur. Fragmentum contemporaneorum appono.

Babo I. Comes Schyrensis, ab Arnulpho Imperatore & Carolingis descendens, floruit Anno 994.

|

Otto I. Comes Schyrensis Palatinus Bavariæ obijt Anno 1040. Uxor Tutta Com. Nassovia.

Eckhardus A. 1065. — Otto II. Palatinus Bavariæ, Uxor Hazyga Aragonia. — Ulricus Anno 1050. — Arnolph. A. 1042.

|

Otto III. Palatinus Bavariæ. Uxor Agnes Ducissa Lotharingiæ.

|

Otto IV. Palatinus Bavariæ. Uxor Helica Lengefeldensis.

|

Otto V. cognomento major de Wittelspach, Uxor Agnes à Wasserburg.

|

Ludovicus I. Dux Bavariæ, Comes Schyrensis & Wittelspachius. Uxor Ludmilla filia Primislai Regis Bohemiæ.

|

Otto Illustris Dux Bavariæ. Uxor Gertrudis Palatina Rheni.

|

Ludovicus Severus Dux Bavariæ. Uxor Mathildis Habspurgica, filia Rudolphi I. Imperatoris.

|

Ludovicus Dux Bavariæ Imperator hoc nomine IV.

|

S. WILHELMUS fuerit Ottonis I. Schyrensis vel frater, vel filius, vel nepos,

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 5. Julii. Trithem. Chron. Hirſchaug. mihi p. 78. & ſeqq. Carol. Stengel. MSS. diverſa Hirſaug. Monaſt.

MAgnæ animæ magnum elogium damus calamo Bucelini. WILHELMUS Illuſtriſſimo Boiorum Ducum natus ſanguine, Germaniam, imò terrarum orbem univerſum ſanctitatis admirabili ſplendore mirificè illuſtravit. Monachum primò in ſpectatiſſimo illo S. Emmerami Ratisbonenſi Cœnobio profeſſus, ob eximiam vitæ integritatem, & ſapientiæ laudem Abbas Hirſchaugienſis in Wirtenbergia Cœnobii poſtulatus, locum illum adeò feliciter reſtituit atque excoluit, ut ſtupente ad unius Monaſterii dignitatem ac celebritatem ſeptentrione univerſo, Eccleſiæ Præſulum, virorum ſanctitate atque eruditione præſtantiſſimorum promptuarium & emporium Hirſchaugia ſuſpiceretur: tanto hominum, & quidem potentiſſimorum Germaniæ Procerum Monaſticen ibi ambientium concurſu, ut Cœnobium ipſos minimè caperet, & WILHELMUS novum aliud propinquâ areâ, longè amplius exſtruere cogeretur. Eum maximi quique Principes tanti fecerunt, ut velut cœlo lapſum intuerentur, ejúsque gubernari arbitrio in votis haberent. Magnus ille Cantuarienſium Pontifex & Primas Angliæ Anſelmus, ut eum coram intueretur, non abhorruit difficultates longi itineris, ſed & aſſiduo literarum commercio familiaritatem contractam fovit. Poſtulatus in Abbatem Schaphuſani Cœnobii illud inſigniter juvit, & primævum Ordinis fervorem per Germaniam reſuſcitans, non de Ordine ſolùm benè meruit, ſed & de ſæculi filiis, quos tanto religionis ſtudio accendit, ut cùm matrimonii aliísque impedimentis irretiti ad monaſteria ſe non poſſent recipere, à WILHELMO certis legibus adſtricti, vitam religioſæ proximam in ſeculo ſuſciperent, abdicatâ etiam rerum proprietate ſub Monachorum obedientia victuri. Reduxit idem WILHELMUS jam penè extinctum in Germania liberalium artium amorem, dimiſſis ad varias partes in omni ſcientiarum genere peritos è ſuo Cœnobio Magiſtros, ut non immeritò, *literarum* per Germaniam *Inſtaurator* dici potuerit. Et licet ad ipſum tanquam Oraculum Delphicum undique concurreretur, adeò tamen de ſe ipſe humiliter ſenſit, ut ſimpliciſſimi cujusque hominis conſilium magni faceret. Fuit admirabili in omnes, præſertim pauperes, charitate, quorum duos aliquando S. Martini exemplo, contra frigoris inclementiam ſago, quo equitans utebatur, per medium diviſo protexit, & veſtijt. Quin ad bruta ipſa ejus ſe extendit commiſeratio, cujus illud inſigne argumentum eſt, cùm denſæ nives undique omnia contexiſſent, & aviculæ circumvolantes nihil alimenti invenirent, accito ad ſe Præpoſito querulâ voce: *Volatilia*, inquit, *frigore & fame pereunt, ſume manipulos avenæ, & defige circa ſepes, ut inveniant quo paſcantur.* Cùm autem præpoſitus granarii defeciſſe manipulos avenæ diceret: *Habésne*, inquit vir ſanctus, *ſiligineos manipulos ſeu triticeos?* quo annuente: *ergo*, ait, *illos vende, & eme avenarios.* Ita mox factum; dúmque craſtinâ præpoſitus granarii cum ſociis opus aggredi pararent, gratiâ domini benignitatem ſervi ſui remunerante, aſperitas remiſit, & emergens è nivibus ſolum, ſui copiam aviculis denuò fecit. Hoſpitalitatem ſanctiſſimè coluit, eámque etiam moriens ſuis commendavit. Ad ipſum aliquan-

aliquando cùm ſimul unà ſeptuaginta Monachi ex Haſungenſi Cœnobio, Moguntini Archiepiſcopi exagitatione pulſi, profugiſſent, tametſi eo & ſequenti anno ingens eſſet annonæ caritas, eos tamen gratulabundus ſuſcepit, Deo gratias agens, & ſolitam panis menſuram augeri voluit : imò ut ſuo more illi quietiùs viverent, Prioratum S. Gregorii Reichenbacenſem eis liberè conceſſit, & amantiſſimè obtulit. Honoravit illum Deus inſigni miraculorum gloriâ, quæ tamen pro virili occultans, fratrum orationibus tribuebat. Cùm plurimos in amentiam prolapſos, eorum ſortem miſeratus, ſuſcepiſſet, raro prodigio ſoſpites ac ſanos dimiſit. Pecuniarum defectum aliquando mirè ſupplevit, cùm ignotus homo accurrens, quod deerat offerret. Unde ad Fratres ſolicitos converſus : *Diſcite nil ulterius de multiplici Dei bonitate diffidere.* Aliàs etiam panes in fractione multiplicavit : frumento in pauperes penè omni erogato, cùm ad granarium mitteret inſpectum quid ſupereſſet, prodigiosâ abundantiâ repertum eſt augmentatum. Claudo ad pontem obvio ſcipionem eripiens, quaſi per jocum ab eo digreſſus, ut ad ſe curreret imperavit : cùm ille primò diffideret, *Certè*, inquit WILHELMUS, *ego hinc non recedam, niſi ad me venias.* Tum ille animatus accurrit, & incolumem ſe videns, ſancto viro gratias egit. Deiparam impenſiſſimo ſtudio coluit, cujus aliquando ope, deſperatus à medicis, cùm Romæ ageret mirè convaluit. In ejus etiam ſacello ſupremum decumbens ſacris interfuit myſteriis, ſacróque oleo inunctus, poſtridie carnis ſolutus ergaſtulo, collacrymantibus univerſis cœlos petijt, anno Chriſti 1091. die 4. Julii anno ætatis 65. regiminis 22. Funeri interfuêre duo Pontifices, quinque Abbates ; diebus quinque parentatum, & tumulus in templi medio illi poſitus eſt, cum hac epigraphe.

Anno milleſimo, nonageno primo, quarto nonas Julii, obijt Venerabilis pater & Dominus D. WILHELMUS *Abbas & Fundator hujus Cœnobii Hirſchaugienſis.*

Diem natalem, ſeu potiùs depoſitionis ejus, repoſuit Bucelinus ad 5. Julij, nos cum illo.

Eâdem

Eâdem DIE V. JULII.

VEN: MARGARITA AUSTRIACA MAXIMILIANI II. IMPERATORIS FILIA.

GENEALOGIA.

Maximilianus I. Imperator Auſtriacus.

|

Philippus I. Rex Hiſpaniæ.

|

Ferdinandus I. Imperator Auſtriacus.

|

Maximilianus II. Imperator Auſtriacus.

|

Ven: MARGARITA Archidux Auſtriæ Sanctimonialis.

Acta Synoptica.

Bucelin. in Chron. Marian. Wading. in Legat. Hiſpan. ſect. 4. Jo. Gans in Gynæc. Auſtriaco.

NE ſolus occidens parere videatur Margaritas, Orientalis Auſtria ſuas illi ſubmittit, neſcio an non majori gloriâ, quàm alias inde recipiat. MARGARITA Maximiliani II. Auſtriaci Imperatoris filia Anno 1567. nata, Madritum miſſa, virtutum omnium exemplar, Cœnobio Monialium ceu optato conchyli ſe includens, ſtatim oſtendit, quàm pretioſum munus Hiſpana Auſtria acceperit à Germana. Montem Serratum tranſiens, ante ſtatuam Deiparæ procidua, ut ſe ſponſam Chriſto conciliaret, annuente (res mira!) Deiparæ ſtatuâ, inardeſcens amore ſponſi, ſanctâ phlebotomiâ reſpiratura, cultello ſcriptorio pectus ſibi vulneravit, & inde manante ſanguine hæc ſcripſit: *Hoc ſanguine meo, de corde meo ſumpto, conſecro & dedico me tibi JESU in ſponſam, oróque humiliter, ut Virgo MARIA mediatrix mea eſſe dignetur; in cujus fidem hoc confirmo.* MARGARITA. Inter ſanctimoniales non ampliùs MARGARITA Archi-Dux, ſed MARGARITA à Cruce dici voluit, crucem jugiter portans, & ad portandum exemplo ſuo ſorores alliciens. Magno ſemper affectu Deiparam matrem coluit, unde pro definiendo myſterio Immaculatæ Conceptionis ſui officii & obligationis eſſe judicavit, ad Gregorium Papam XV. literas dare Anno 1621. quibus petiit determinari, quid tenendum & credendum ſit, *per quod ſcandalorum cauſæ tollentur* (ut ajebat) *& omnium ſumma & univerſalis erit exultatio. Hoc mecum deprecantur omnes hujus Religioſæ ædis piæ ſanctimoniales, quibus & mihi ut veſtra Beatitudo ſuam impartiri dignetur benedictionem, humiliter obſecramus.* Subſcripſit verò: *Oſculatur veſtræ Beatitudinis pedes, humilis & obediens filia, ſoror* MARGARITA *à Cruce.* Vixit in eo Cœnobio ab Anno 1584. quo annorum ſeptendecim juvencula ingreſſa fuerat, usque ad Annum 1633. quo ibidem die 5. Julij pijſſimè obijt, ætatis ſexageſimo ſexto.

DIE

DIE VI. JULII.

S. SEXBURGA REGINA

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus, Rex Parisiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
|
Eadwaldus Rex Cantiorum.
|
Ercombertus Rex Cantiorum, Uxor S. SEXBURGA filia S. Annæ Regis Anglorum Orientalium, & S. Hereswidæ. Sorores S. Sexburga, S. Ethelreda. S. Edelburga, S. Witburga, & frater S. Jurminus.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

QUod Galliæ olim S. Clothildis, hoc Angliæ fuit S. SEXBURGA, dum maritum Ercombertum impulit, ut toto regno Idololatriam proscriberet. Neque hoc contenta, effecit ut sub gravissimis mulctis quadragintadiale jejunium observaretur. Ipsa autem marito, velut altera Sara Abrahamo, Rebecca Isaaco, ita se exhibuit, ut potiora studia converteret ad servitium cœlestis Regis, matronis omnibus & Reginis singulare speculum & exemplar. Aulæ deliciis nunquam fracta, quo altiore sublimis solio, hoc demissior spontaneâ modestiâ. Egenorum tantam curam habuit, ut divitias suas illis communes faceret; usque adeò illis familiaris, ut in publico cum ijs conversari non erubesceret. Marito ad meliorem vitam translato, regnum & gloriam ejus glorioso fastu despiciens, in Cantiæ Insula Schepeia Cœnobium condidit, in quo Abbatissam egit, dein Elienſi se inclusit, sorori suæ Ethelredæ, seu Etheldritæ se subjiciens, tantâ alacritate, quâ priùs authoritate populos rexerat. Jussa tamen illi defunctæ in officio Antistitæ succedere, ita imperavit, quasi omnium ancilla esset. Sacrum velamen accepit à S. Theodoro Archi-Episcopo circa Annum 668. Ad Elienſe Cœnobium venit circa annum 680. quo filiam suam S. Ermenildam Schepeiæ Abbatissam substituit. Ipsa verò sanctissimè decurso vitæ suæ curriculo ad superos transijt (si fides Bucelino) Anno 703.

Bucelin. Menol. ad 6. Julii. Bolland. To. 1. Jan. fol. 627. To. 1. Feb. fol. 386. & To. 2. Feb. f. 657. Chron. Elienſe.

Eadem DIE VI. JULII.

B. ANGELA PRINCEPS BOHEMIÆ VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo- Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Dux Lotharingiæ, ultimus Carolingorum.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Namurcenſis Comitiſſa, Uxor

I. Chunonis Comitis Rhynfeldæ.

Chuno II. Comes Rhynfeldæ.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Mechtildis Uxor Erneſti Strenui Marchionis Auſtriæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.

S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.

Gertrudis Uxor Uladislai II. Regis Bohem.

B. ANGELA Princeps Bohemiæ, cum Sororibus.

II. Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

Wernerus I. Comes Habſpurgicus.

Otto Comes Habſpurgicus.

Wernerus II. Comes Habſpurgicus.

Wernerus III. Comes Habſpurgicus.

Adalbertus I. Comes Habſpurgicus.

Rudolphus I. Comes Habſpurgicus, avus Rudolphi I. Imperatoris.

Acta Synoptica.

EX Regibus Bohemiæ oriundam B. ANGELAM, ſub Carmeliticâ regula Monialem tradunt Authores hiſtoriæ Carmelitanæ, Poſſevinus, Delrico, & Hiſpani Hiſtorici. Balbinus per conjecturam putat fuiſſe filiam Uladislai II. cui ſubſcribere libuit, donec ejus geſta, & vitam nanciſcamur. Beatam appellat Balbinus. Ad 28. Feb. nonnulla Calendaria ejus natalem referunt: Bollandus verò reponit ad 6. Julij, ubi ejus vitam pollicetur.

Alegro in hiſt. Carm. Poſſen. Delrio, ap. Balbinum in Origin. Guttenſt. fol. 41.

DIE

DIE VII. JULII.

S. WILIBALDUS EPISCOPUS EYSTETTENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Charibertus Rex Parisiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo indubitatâ serie Carolingi & Habspurgici.
	Adelbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.	
	Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.	
	Earcombertus Rex Cantiorum. Uxor S. Sexburga.	
	Lotharius Rex Occidentalium Saxonum. Uxor N. Offæ Regis Soror.	
	S. Richardus Rex. Uxor Bonna vel Wunna, soror S. Bonifacii Episcopi.	
S. Wunibaldus Abbas.	S. WILIBALDUS Episcopus.	S. Walpurgis Abbatissa.

Acta Synoptica.

ANimæ cœlo natæ, eheu! exilium amamus, patriæ oblivisci mur. At non ita WILIBALDUS è Regia Anglorum stirpe (notum scriptorem legis) pulcherrimus flosculus. Vix enim mundum, séque adeò circumspexit, cùm illicò peregrinum agnovit: ideóque exire hinc quam ocyùs nec solus voluit, sed in laudatissimi facinoris societatem Wunebaldum fratrem, & Walpurgam sororem, quin Richardum etiam Regem parentem excivit. *Si nescis Pater, peregrini hic etiam Reges sumus; quin igitur is, quo SS. virorum per omnem orbem vestigia, atque adeò Christi te ducunt? Exi regno, nisi exis, scilicet efferere.* Ergo purpura penulæ, sceptrum baculo, corona galero cedit, atque ita digna Regibus Anglis expeditio Romani, inde Hierosolymam adornatur. Ultimùm ut hanc etiam suæ peregrinationem Cruces comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc oculos amittit. Recepit tamen

Andr. Brunn. in Fastis. Philipp. Eystetten in vita. Rader. in Bavar. S. Jacob. Gretser. de SS. Eystett. Henricus Canis. in Antiq. lect. Carolus Stengel. in Fastis.

Bucelin. Menolog. ad 7. Julij. Bruſch. de Epiſc. Germ. Wolffg. Selender in SS. Ratisb. Trith. lib. 3. de viris Illuſt. Ord. S. Bened.

men hos ad urbem ſanctam appulſus, vidítque deinceps tam benè, ut excœcatis tunc à gentilitiâ ſuperſtitione Germanis Dux à Gregorio Pontifice datus fuerit, quem quidem annis 36. egregiè præſtitit, & nobilem hodie Epiſcopatum Eyſtettenſem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps eſt, parentem è regno ſecum ad Deum abduxiſſe. Eant nunc deliri ſenes, querantur ultimo ætatis adminiculo orbari ſe ſe, ubi è mundo filius abit. Abeundo WILIBALDUS an non parenti ſcipio fuit? Obijt Anno 781. multis poſt mortem prodigiis, non jam peregrinus, ſed domeſticus.

Eadem

Eadem DIE VII. JULII.

S. ETHELBURGA ABBATISSA BRIGENSIS.

Habspurgo- Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Charibertus Rex Parisiorum, | Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo indubitata serie Carolingi, & ex his Habspurgici.
S. Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.	Eadwaldus Rex Cantiorum Uxor Emma ex Regibus Francorum, | Ercombertus R. Cantior. Uxor S. Sexburga.	S. Annas Rex Anglorum Orientalium. Uxor S. Hereswida. | S. ETHELBURGA Abbatissa Brigensis.

Acta Synoptica.

ANnæ Regis Orientalium Anglorum filia ETHELBURGA, quæ & Edilburgis, & Iterelburga nominatur, contemptis mundi vanitatibus, uni Christo sponso adhærere statuit, ut primùm ad perfectum rationis usum pervenit. Id verò ut feliciùs remotis omnibus impedimentis exequeretur, desertâ patriâ, in Franciam ad Brigense Virginum Monasterium profecta est, ubi virtutis suæ æmulam Sethridam habuit uterinam sororem, eadem matre diverso patre editam. Tantos ibi fecit in virtute progressus, ut sorores cæteræ suâ orbatæ antistitâ, nullam aliam præ ETHELBURGA, tametsi peregrina, optarent. Septennio post pium obitum, reserato ejus tumulo, corpus vividum, & incorruptum apparuit, ac si pridie illatum fuisset. Quare novis ornatum vestibus, solenni pompâ ad Basilicam S. Stephani translatum est, ubi, ut Beda inquit, *natalis ejus solet in magna gloria celebrari die nonarum Juliarum.* Claruit Anno Christi 640.

Ven. Beda cit. Anglo. Baron. in Annal. Jo. Trith. Vinc. Bellovacen. Jo. Bollan. To. 1. Jan. p. 627. & To. 2. Jan. p. 176. Bucelin. Menol. ad diem 7. Julii.

DIE VIII. JULII.

S. LANDRADA VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum,

GENEALOGIA.

Ad mentem Godefridi Henschenii.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

|

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

|

S. Arnulphus Marchio ad Scaldim.

|

B. Ansegisus Dux Brabantiæ Uxor S. Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi & Habspurgici.

Landrada Uxor Sigrammi.

|

S. LANDRADA V.

Bouchett. ap. Hensch.

ALium nexum vide in S. Chrodegango die 10. Martij ad mentem Bouchetti. Videtur esse verior ille, ut Landrada Uxor Sigrammi fuerit soror Pipini Heristalli, genueritque ex Sigrammo S. Chrodegangum & S. LANDRADAM. Nec obstat, quòd hæc dicatur neptis loco proneptis, uti observat Chiffletius. Nussiensis Canonicus vult LANDRADAM fuisse filiam Caroli Martelli, allegato Magistro Emundo, eodem modo Chiffletius Landradam Uxorem Ingrammi ex Thegano ostendit coævam fuisse Pipino Brevi; sed quomodo Chrodegangus ejus filius fuisset Referendarius Caroli Martelli? Tempora planè repugnant.

Franc. Lanovius in Notis ad vitam S. Chrodeg.

Acta Synoptica.

Theodor. Abb. in vit Franc. Haræus in vitis SS. Andr. Brunner. in fastis. Joan. Nadasi in Anno Sancto.

LANDRADA *Francorum soboles, & eorum, quos majores domus appellant, inclyta proles. Pipinus Carolomanni filius cum viro Dei Arnulpho postea Metensi Episcopo, majores erant Domûs glorioſiores super hac nuper natæ neptis suæ sanctitate, quam super ejus cui principabantur regni cura & moderamine.* Ita vitæ Author. Quod etiam de pronepte intelligi potest. Sed nihil LANDRADA de majorum nobilitate solicita, cùm deperitur à multis terræ filiis, uni Agno immaculato immaculatam se reservat. Doluit id multum parentibus, qui generos & nepotes sparabant. Sed maluit illa familiam emori, quàm

quàm virginitatem, & ſatis ſe oblectabat numerosâ, quam domi alebat, pauperum ſobole. His illa ultima ſervitia exhibere, interim pretioſum pudorem ſub vilibus ancillularum pannis tegere, cilicio obvoluta eo loci, quo oraverat modicum indormire, pane & aqua provocare magis, quàm ſedare eſuriem; denique, quò tutior foret virginitas in extremas recedere ſolitudines: ſi tamen ſolitudines rectè dicimus, quas ab adventu ejus cœlites deinceps cantu ſuo frequentarunt, uniúsque audita vox: *Accipe* LANDRADA *ab hoc immortali ſponſo charitatis pignus: ipſe tibi crucis mittit ſponſalia, qui in cruce moriens reſtauravit univerſa.* Simul dixit, ſimul crucem reſplendente cœlo demiſit ad vicinum lapidem. Durant adhuc non languidæ fidei certa monimenta. Saxum ut mollis cera impreſſam Crucis recepit imaginem. Huic illa mox Aram, aræ templum, templo ſe ſuáque dicat ad vitæ finem, accurrunt virgines & viduæ, exemplo ejus excitatæ, & tam ſanctam ſolitudinem plantaria reputant Paradiſi. Vitæ terminum prænoſcens, S. Lambertum Epiſcopum, qui Eccleſiam conſecraverat, evocat; properanti in via ſomnus obrepit; adſtat Virgo jam glorioſa, monet in cœlum attollat oculos, & locum notet, quem Crux luciditſima è cœlo protenſa deſignabat: *Hic*, inquit, *ſepulturæ locus, hic cinerum meorum erit tumulus.* Proſecutus iter Lambertus, cùm ſepultam transferre parat, à populo concurrente, & ſibi ſacrum pignus deberi clamante, impeditur. Sed non eſt conſilium contra Dominum, quod nolebant homines, executi ſunt Angeli, & ſuis manibus caſtiſſima membra ibi compoſuerunt, ubi lucida crux deſcenderat. Tam nobiles virtus veſpillones habet. Obijt circa Annum 690. Bucelinus videtur innuere ſuperſtitem Anno 700. quo ait ab ipſa pro Ordine D. Benedicti conditum Cœnobium S. Mariæ Beliſiæ in tractu Leodienſi.

Nuſſienſ. Canon. in Chron. mag. Belg. fol. 31. Bucelin. ad 8. Julij. in Menol. & B. 1. German. Monaſt. fol. 57.

DIE

DIE IX. JULII.

S. EDELBURGA REGINA WESTSAXONUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo cõmunis opinio deducit Habſpurgicos.
- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nothanymbrorum.
      - S. Eanfleda Uxor S. Oswini Regis Notdthanymbrorum.
        - Alfridus Rex Nordhan. Uxor--S. Cuthburga.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo indubitatè Carolingi & Haſpurgici.
- Kentredus Rex Weſtſaxonum.
  - S. Ina Rex. Uxor S. EDELBURGA, ejusdem regiæ ſtirpis Weſt-Saxonum.

Acta Synoptica.

Beda. Contin. lib. 1. cap. 3. Malmesbur. lib. 1. cap. 2. Wion. lib. 4. ligni vit. cap. 6. Polydor. Vergil. Harphsfe. Meihevu. in natali SS. Bolland. To. 1. Feb. fol. 913. Bucelin. Menol. ad 9 Julii. Stephan. Luſigna. Yepes & alii.

QUod prima fœmina malum invexit univerſo mundo, multæ aliæ compenſare ſtuduerunt, factæ non tam maritis ad virtutem duces, quàm totis regnis fidei magiſtræ. Has inter meritò reponas EDELBURGAM, ex Regio Weſt-Saxonum ſanguine procreatam, & ſanctiſſimo Regi Inæ thori ſociam. Nihil illa non egit, quo maritum induceret ad mundi contemptum, liberiùs à thori ſeparatione ſervitura DEO. Exemplo, monitis, precibus ſolicitè urgens, ut quod aliquando ſe facturum promiſerat, reapſe impleret. Ingenio tandem uſa, in villa cum Rege ſplendido excepta convivio, villicum inſtruit, ut poſt diſceſſum, locum illum omnem ſordibus animalium impleat, & commaculet, quod villicus obediens facilè obtinuit libertate conceſsâ animalibus. Non procul adhuc receſſerat Rex, cùm EDILBURGA quæſito prætextu reverti rogat, & importunè tandem impetrat. Rex reverſus, & *videns locum* (verba ſunt Hiſtorici) *pridie Sardanapalicis deliciis parem, tunc fœdâ ſolitudine deformem miratur, tacitóque judicio oculi rem conſiderans ad Reginam convertitur. Tunc illa occaſionem aucupata, lætúmque ſubridens: Et ubi ſunt*, ait, *Domine conjunx heſterni ſtrepitus, ubi aulæa Sidonia fuci-ebria? ubi Dædala vaſa pondere metallorum menſas ipſas onerantia? ubi terrâ marique exquiſita*

quiſita ad gulæ lenocinium obſonia? Nonne omnia fumus & ventus? nonne omnia tranſierunt? & væ his qui hæſerint, qui ſimul tranſibunt: væ his qui hæſerint, quia trahentur? Nonne nos qui ingurgitamur uberiùs, putreſcimus miſeriùs? Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtabit cruciatus. Satis hæc ad virum, qui jam Deum ſpirabat. Valefaciens regno Ina, poſitâ purpurâ peregrini habitu Romam properat, ibi ſancto fine quieſcit. EDELBURGA verò in Berckingenſi Cœnobio in anguſto ergaſtulo ſe DEI mancipans obſequijs, ejusdem loci demum Abbatiſſa, ita eluxit virtutibus, ut Numen electam ſuam inſigni miraculorum gloriâ ſpectatiſſimam redderet. Claruit Anno 727. quo Ina regno abdicato Romam abijt, ſuperſtes ipſa usque ad annum 740. ut vult Bucelinus, qui ejus natalem hac die refert.

DIE X. JULII.

B. AMALBERGA COMITISSA SENIOR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Princeps Brabantiæ.

Amalberga, alii Gertrudis Uxor Walberti III. Comitis Hannoniæ.

B. Pipinus de Landis, Uxor Itta Soror S. Modoaldi.

Walbertus IV. Comes Hannoniæ. Uxor S. Bertilia.

S. AMALBERGA Uxor Witgeri Comitis.

S. Begga Uxor B. Ansegisi Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici indubitatâ serie.

S. Emebertus, Episcopus.

S. Gudula.

S. Reinildis.

S. Ermelindis seu Cremelinda.

Alios nexus vide in S. Bertilia 3. Januarij, S. Pharailde 5. Januarij.

Acta Synoptica.

Surius in vita. Catepolius. Joan. Mol. Aub. Miræus. Nussienf. Canonic. Chronic. magn. Belg. fol. 21. Bolland. To. 1. Jan. fol. 172. & 514. Bucelin. Menolog. ad 10. Jul.

HÆc illustrissimo nata genere Xantes oppidum hæreditario jure obtinuit, rebus domesticis intenta, non quòd opes magni faceret, sed ut haberet quod pauperum subsidio elargiretur. Ad vitam religiosam aspirans, propinquorum impulsu & Pipini Ducis voluntate in matrimonium consensit spectatissimi Comitis Witgeri, quinque ex eodem suscepit liberos sanctitate illustres, S. Emebertum, quem Ablebertum & Adelbertum alij scribunt, Cameracensem Episcopum, S. Gudulam, S. Reinildem, S. Ermelindem seu Cremelindam, & S. Pharaildem, hanc tamen ex alio priore marito Theodorico Duce Lotharingiæ natam aliqui putant, vel Witgero ex alia conjuge. His in omni virtutum genere educatis, optimi parentes facem egregio prælaturi exemplo, pari consensu & generositate abdicatis honoribus, & perituris opibus religiosam vitam amplexi sunt. AMELBERGA quidem à S. Autberto Cameracensi Episcopo sacro velo amicta, mirum quantâ deinceps inediâ corpus macerarit, & rigore se ipsam afflixerit, assiduis precibus & contemplationi intenta, ut potius in cœlestibus, quàm in terris habitare videretur. Febri denique correpta, & ultimæ horæ imminentis præscia, identidem repetens: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, soluto terreno habitaculo ad gaudia æterna migravit circa annum 650. Corpus Lobijs sepultum, deinde Binchium translatum, multis deinceps prodigijs Deus illustravit.

Eâdem

Eadem DIE X. JULII.

S. AMALBERGA VIRGO TAMISIENSIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ, & Hasbaniæ.

Gertrudis, alijs Amalberga, Uxor Walberti III. Comitis Hannoniæ.		B. Pipinus de Landis, Uxor Itta Soror S. Modoaldi Epitcopi Trevirensis.	
Walbertus IV. Comes Hannoniæ. Uxor S. Berthilia.	S. Amalberga, Uxor B. Witgeri Com. de qua sup.	S. Gertrudis Nivigellensis.	S. Begga Uxor B. Ansigisi Ducis Mosellani.
			Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi & Habspurgici.
S. Landricus Episc. Metensis.	S. Adeltrudis.	S. Madalberta.	N. . . . . Comitissa Hannoniæ. Uxor Christiani Comitis.
			S. AMALBELGA, V. Tamisiensis.

Acta Synoptica.

GErtavit in AMALBERGA forma cum pudicitia: quantum illa mundo placuit, tantum hæc mundum contempsit. Carolum Martellum Brabantiæ Ducem procum habuit; sed nullis emolliri potuit amoribus, ut à moribus castis deflecteret. Vim paranti Martello brachium virginale opponit, quod dum ille reluctanti amoris impatientiâ frangit, victum se videns tandem erubescit obniti cœlo, & tantus gentium domitor ac belli fulmen, imbellis virgunculæ virtute triumphatus abscedit. Subduxit deinceps thesaurum tantum lectissima Virgo, & omnem amorem seculi pro amore sponsi immortalis contemnens, ad Basilicense Monasterium secessit, ubi sub insigni perfectionis Magistra S. Landrada admirandis virtutibus se excoluit, & post vitam sanctissimè exactam, ad nuptias Agni evolavit, Anno 772. Divorum posteà Albo adscripta. Corpus sepultum in Tenipsera juris sui villa ad Scaldim, ubi ostenditur ejus sepulchrum. Reliquias postmodum Balduinus Ferreus Comes Flandriæ Gandavum transferri curavit ad Blandinense Monasterium. Pingitur sub pedibus piscem habens, vulgò sturionem dicunt, alij acipenserem appellant. His enim piscibus navem comitantibus, narratur corpus ejus divino nutu adverso flumine vectum esse.

Franc. Hare. ex MSS. Bucel. in Menol. Radbod. Episc. in vit. Theodor. Abbas. Anton. Sander. Hieron. Dungersheim. in vita S. Schol. ap. Boll. To. 2. Febr. fol. 411.

DIE XI. JULII.

B. WITGERUS COMES BRABANTIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Hanc damus præcedenti die cum conjuge & pronepte S. Amalberga, neque enim ejus genus hactenus inveſtigare licuit.

Acta Synoptica.

VIrum fuiſſe in omnem pietatem pronum, & ſeculi contemptorem, vel ex eo liquet, quòd opibus affluens terrena contempſerit, ac ſpontaneâ cum conjuge thori ſeparatione, religioſum vivendi genus exorſus ſit, prolibus quas ſuſceperat ad omnem ſanctitatem formatis. Beati titulum ei tribuit Bollandus, Sanctum appellat Baldricus Epiſcopus in Chronico Cameracenſi, ubi de filio S. Emeberto agens inquit: *Ex Bracbatenſi pago oriundus, parentibus ſiquidem & vitæ & generis dignitate clariſſimis, patre videlicet* WITGERO *Comite ſancto viro, atque Amalberga matre editus eſt.* Claruit ſub Dagoberti Magni Imperio, ejus & Sigeberti filij copiarum ductor, ac demum religioſus Aſceta Lobienſis. Cœtera exſpectamus ab ijs, qui vitam deſcribent 10. Julii, quâ unà cum conjuge B. Amalberga refertur ejus natalis à Bollando. Præterijt eum Bucelinus, alioqui ſedulus collector eorum, qui Monaſticen profeſſi aliquâ ſanctitatis exiſtimatione claruerunt, multos etiam inter Aſcetas reponens, qui absque ulla regulæ profeſſione ſolitariam egerunt vitam.

Bolland. To. 1. Jan. fol. 1078. & 514.

Surius in vita S. Gudulæ.

Baldric. in Chron. Cameracen.

DIE

DIE XII. JULII.

S. UDALRICUS ASCETA.

Habspurgo - Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

ORtum habuit ex Dillingæ & Kyburgi Comitibus, cognatus Zäringiæ Ducibus & S. Udalrico Episcopo Augustano, ut est apud Bucelinum. Parentum nomina non exprimuntur. Mihi videtur habitâ ratione temporum, fuisse filius Alberti Comitis Dillingæ, qui Cœnobium Keitzheimense fundavit Anno 1051. & frater Hugobaldi IV. quem Henninges in Tabula Dillingensium nominat cum prædicato Comitis in Achalm. Proinde sic disponerem Genesim.

Hugobaldus Comes à Dillingen.

Hartmannus II. à quo post 5. gradus Hedwigis Kiburgica, mater Rudolphi I. Imperatoris Habspurgici.

Theobaldus Comes à Dillingen.
|
Richardus Comes de Dillingen.
|
Hartmannus III. Comes de Dillingen.
|
Hugobaldus III. Comes de Dillingen.
|
Albertus Comes de Dillingen An. 1051.
|
S. UDALRICUS Comes de Dillingen Asceta.

S. Uldalricus Episcopus Augustanus.

Nexum verò cum Habspurgicis vide suprà in S. Adalberone 12. Junii, & S. Udalrico Episcopo, die 4. Julij.

Acta Synoptica.

EX Canonico Aulæ Cæsareæ assecla, Monachum Cluniaci professus UDALRICUS, Magno Hugoni sanctissimo ejusdem loci Antistiti longè charissimus fuit. In excipiendis Confessionibus, & morbis animi curandis mirabiliter excelluit, singulariter commendatur à diligenti Novitiorum cura, quorum *Dux & Pater* speciali titulo appellabatur. Virtute patientiæ ad miraculum excelluit, ab Hunaldo inquieti ingenii Monacho exercitatus, quem illi socium itineris Abbas jungebat. Impugnatus aliquando à spiritu fornicationis, cùm longâ inediâ, & rigidâ corporis afflictione nihil proficeret, stupendo exemplo genitalibus locis candenti ferro perforatis, & ad longiorem cruciatum funem immisso, vulnus vulnere curavit. Abstinentiâ cibi fuit tam rarâ, ut ad epulas dormituriret, & fratribus surgentibus excitari

Bucelin. Menol. ad 10. Julii. MSS. Trudpertin. Chronic. Cluniac. Arnold. Wion. lib. ad 6. Id. Quintil. Rad. To. 2. fol. 223

citari deberet. Lacrymis perpetuò genas rigabat; rogatus cauſam, reſpondit: *Primò maculas dilectorum meorum eluere cupio? ſecundò exilij mei ærumnas ac labores defleo; tertiò illacrymor, cùm videam Monachos multos eſſe numero, paucos merito.* In pauperes mirè propenſus, eos dominos ſuos & patronos appellabat, & non facilè accedentem eorum aliquem ſine oſculo & amplexu dimiſit. Præcipitatus aliquando ab impijs cum jumento, cui inſederat, in furnum calcis, ſine ulla læſione egreſſus eſt, continuatâ precum inſtantiâ, quaſi nec adverteret quid circa ſe geſtum eſſet. Sic per dejectam violentiâ ventorum proceram arborem, inque verticem duorum ex adverſo jacentium ſcopulorum procumbentem, immenſæ profunditatis ſcrobem ſeu voraginem cum equo velut pontem ſuperequitans, non priùs, quàm ſuperato periculo monitus advertit, & miraculum agnovit. Obijt feliciſſimè poſt annum 1092. illuſtribus, in vita, & poſt mortem miraculis commendatus. De ejus morte inaudiens S. Hugo Abbas, corpus per Beatum Gebhardum Zäringiæ Ducem Conſtantiæ Epiſcopum in locum digniorem Baſilicæ transferri voluit, aſſerens: *quia nequaquam fuit de Monachis ſui temporis.* Natalem ejus reponit Bucelinus ad 10. Julii: nos hic, cùm alioqui dies vacaret.

DIE

DIE XIII. JULII.

S. MILDRITHA V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo cõmunis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ermenredus Rex Cantiorum.

S. Domneva Uxor S. Meruvaldis Regis Merciorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo indubitatè Carolingi & ex his Habſpurgici.

S. Merevinus. S. MILDRITHA, V. S. Milburga. S. Milgitha.

Acta Synoptica.

IN omni vis magna exempli eſt, maxima ejus, quo parentes ſuæ prælucent ſoboli. Imitantur parvuli majorum mores, & quod videt in matre filia, ſibi quoque cenſet faciendum. Domneva in ſancto connubio renuntians ſeculo, filiam quoque adſcripſit divinis obſequiis, MILDRITHAM, quam & MILDRADAM, & MILDREDAM appellant, puellari ætate mundi delicias faſtidientem ad Calenſe Cœnobium in Gallias miſit, lætaſe filiam genuiſſe quæ terreno regno cœleſte præferret. Ibi educata MILDRITHA, paulò maturior revocata eſt, ac novæ matris fundationi, Virginio in Taneto Inſula poſt matrem profuit ſeptuaginta Virginibus, à S. Theodoro Epiſcopo conſecrata. Præfuit & præfuit, ut dignitate ſic orandi ſtudio, jejuniis, vigilantiâ, aliisque virtutibus prima. Tandem in extremam lapſa ægritudinem, cùm ſorores amanter ad mutuæ Charitatis officia, & demiſſionis ſtudium exhortata fuiſſet, obdormivit in Domino, miraculis clara cùm viveret, clarior poſt mortem. Suffecta illi in Abbatiſſæ munere Edburga cognata, Ethelberti Regis, & Berthæ Reginæ ſanctiſſima filia. Sacra ejus lipſana Cantia primum venerata eſt, dein translata Daventriam dignos obtinuerunt honores. Claruit Anno 680.

Simon. Dumelm. hiſt. reg. Anglo. Radulph. de Diceto abbreviat. Chronic.; Goſcelin. in vita. S. Wereburg. Malmesburg. lib. 4. c. 4. Harpsfel. ſec. 7. c. 23. Gulielm. Thornus in vita. Steph. Luſign. Poly. Vergil. Bolland. To. 3. Febr. fol. 389. Bucel. Menol.

Eadem

Eadem DIE XIII. JULII.

B. MARIA DE ODIVELIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Petrus Rex Aragoniæ.

S. Eliſabetha Uxor, Dionyſij Regis Luſitaniæ.

Jacobus II. Rex Aragoniæ.

B. MARIA de ODIVELIS.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imp.

Albertus I. Habſpurgicus Imp.

Iſabella cujus maritus — Fridericus II. Pulcher Imper.

Alios nexus vide ſupra in S. Eliſabetha Regina Portugalliæ 4. Julij.

Acta Synoptica.

Barnab. de Montalb. Chryſoſt. Henriq. Bucelin. Menolog. ad 13. Julii.

DIonyſius Luſitaniæ Rex laudatiſſimus, qui extincto per orbem Templariorum ordine, novum ordinem in Luſitania inſtituit Equitum Chriſti, Conimbricenſem Academiam erexit primus, templa & Cœnobia multis illuſtravit donarijs, inter alias proles duas ſuſtulit Marias, quarum altera Joannem de la Cerda maritum habuit, altera Ciſtercienſium Ordini adſcripta eſt in novo Cœnobio de Odivelis, quod ipſe conſtruxerat. Ibi Virguncula de mundo triumphans ad viliſſima quæque ſe demittebat, elegítque eſſe minima in domo Dei, quò dignior poſteà in regno gloriæ evaderet. Summæ demiſſionis, ſtrictiſſimæ paupertatis, & exactiſſimæ Obedientiæ exemplar, omnibus miranda evaſit, ut exercitatiſſimis quibusque in via perfectionis præponi mereretur. Evocata ad nuptias agni cœleſtis circa Annum 1325. Beatæ titulum obtinuit apud ſcriptores ſui Ordinis.

Eadem

Eadem DIE XIII. JULII.

B. M. MARGARETA BOHEMA MONIALIS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Henricus I. Auceps Imperator, cujus majores, à Carolo M. vide in B. M. Gertrude Regina Bohemiæ 5. Aug.

Otto I. Imperator.

Luitbaldus Dux Sueviæ.

Otto Dux Sueviæ.

Henricus Dux Sueviæ.

Conradus Saliquus Imperator, cujus Uxor — Gisela Ducissa Sueviæ.

Gerberga Uxor Ludovici Transmarini Regis Francorum.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hetmanni Ducis Sueviæ.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor S. Leopoldi Marchionis Austriæ, Vidua Friderici Comitis ab Hohenstauffen.

Gertrudis Uxor Wladislai II. Regis Bohemiæ.

Premislaus Ottocarus Rex Bohem. cujus filio Wenceslao nupta Gutta filia Rudolphi I. Imp.

B. M. MARGARETA Monialis.

B. Agnes.

Acta Synoptica.

IN Doxanensis Cœnobij Vestalium Mortuario, hæc solùm de B. Memoriæ MARGARETA reperiuntur notata: *Beatæ memoriæ* MARGARETA III. *hujus loci Prælata filia Fundatorum piè præfuit. Donavit Monasterio octoginta marcas.* Plura exspectamus ab alijs. Id nobis satis, quòd appelletur *Beatæ memoriæ*, & inter celebres opinione sanctitatis numeretur à Balbino. Bohusl. Balbin. in Epito. rer. Boh. lib. 3. cap. 13.

DIE XIV. JULII.

S. HENRICUS IMPERATOR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ludovicus Pius Imperator.



Alios nexus vide in S. Chunegunde, 4. Martij, & B. Giſela Regina 7. Maij.

Acta Synoptica.

GEmmam Romanæ coronæ unicam HENRICUM educavit S. Wolfgangus, quidni ab hoc bonum Imperatorem ſperes? Certè Imperium â ſeipſo auſpicatus Virgo, idémque conjunx in triumphum Cupidinem duxit. Hoc ſubacto facilè alios Imperii hoſtes omnes fudit, tum præſertim cùm Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius, & cujus gladio accinctus erat D. Adrianus, tum Georgius Angelúsque præiverunt. Sed ô lepidam Fortunæ faciem! Tantus belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obſidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives ſive armati, ſive ſupplices in urbem repulſi. Ad triarios nempe res redijt. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: ſignum crux præit: barritus unus omnium, idem *Kyrie eleyſon* auditur. Quid multa? primâ pugnâ HENRICUS capitur, & urbs libertate potitur. Quanta ille Eccleſijs & locis ſacris bona contulerit, nullus calamus exprimat, certè breve elogium non complectatur. Bamberga principem inter hæc locum tenet, tum deinde Merſeburgenſis, Hildesheimenſis, Miſnenſis, Argentinenſis, Parthenopolitanus, aliíque Epiſcopatus, quà conditi quà inſtaurati & aucti, ut meritò hoc illi elogium contexuerit Raderus: *Imperator O. M. Boiorum*

Audr. Brunner. in Faſtis.

Rade. To. 1. Bavar. S. f. 102.

Baron. in Annal.

Dietmar. Glaber. & paſſim ſcript. Ger.

Boiorum ſidus, Germaniæ ſol, alter Conſtantinus, alter Theodoſius, alter Martianus, reliquis major, ſanctior omnibus, civium amor, hoſtium terror, Chriſtiani nominis apud Pannonas conditor, ubique propugnator, exemplum ævi caſtimoniâ Virginibus, religione Pontificibus, reliquâ vitâ cunctis. Vixit annos 52. regnavit quatuor & viginti, imperavit undecim. Obijt Anno Chriſti 1024. pridie Idus ſextiles. Conditus Babenbergæ, ac tandem propter ingentem miraculorum vim Anno 1152. Sanctorum Albo adſcriptus ab Eugenio Papa III. Geneſim ejus planè diverſam à cœteris authoribus producit Raderus, quam vereor, ut non ſatis probare poſſit: unde & fatetur; *ſe nondum audere id abruptè pronuntiare.* Benè ſuſpendit judicium, quia ex antiquioribus conſtat HENRICUM hunc fuiſſe de ſtirpe Saxonum, licèt Bavariam rexerint. Canonicus Nuſſienſis in Chronico Magno Belgico diſertè: *Fuit hic* HENRICUS *finis Imperatorum Saxonum, qui regnaverunt ab Henrico I. usque ad* HENRICUM II.

Nuſſienſ. in Chron. mihi f. 96.

DIE XV. JULII.

S. VINCENTIUS MADELGARIUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.	Albertus Dux Franciæ Orientalis.
Childericus Rex.	Walbertus I. Dux.
Clodoveus I. Rex Chriſtianus.	Walbertus II. Hannoniæ Comes.
Clotharius Magnus Rex.	Walbertus III. Comes Hannoniæ.
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurgici.	S. Waldetrudis, cujus maritus S. VINCENTIUS MADELGARIUS.

S. Landricus. S. Dentlinus. S. Adeltrudis. S. Madelberta.

Acta Synoptica.

VINCENTIUM MADELGARIUM, quem alii ſcribunt Maldegarium cognomento Vincentium; Hannoniæ Comitem, Dagoberti Regis affinem nuncupat Bucelinus. Fortè ratione Uxoris S. Waldetrudis, quæ regali proſapiâ orta ſcribitur, quia ut notat Bollandus, forſan Regina aliqua ſive Clotharii II. ſive altera Regis Uxor ex illa familia fuerit prognata. Poſt ſuſceptas & ſanctè educatas quatuor proles, pari cum conjuge conſenſu ſeculo vale fecit, & in Altimontenſe Cœnobium ſe recepit, quod ipſe conſtruxiſſe fertur, ſicuti & conjunx Caſtrilocenſe. Condidit etiam idem Vincentius Sonegienſe Cœnobium: in quo ad extremum vivens, cùm ægrotaret, filium ſuum S. Landricum jam tunc Epiſcopum ad ſe vocavit, eique Monachos Cœnobiorum ſuorum Altimontenſis, & Sonegienſis affectuosè commendans, piacidè animam DEO reddidit. Paruit optimo parenti non degener filius, & magnâ cum utilitate ac ſanctitate Cœnobia illa gubernavit, donec & ipſe laborum præmia recepturus evocaretur ad Superos. Obiit VINCENTIUS poſt annum Chriſti 606. die 14. Julij, ut habent Bucelinus & Bollandus: nos uno die ſubſequimur.

Bucel. Menol. ad 14. Julii. Bolland. To. 1. Apri. fol. 839. Baldric. lib. 2. Chir. Camerac. Menard. Molan. Roſierius &c.

DIE

DIE XVI. JULII.

S. GONDULPHUS EPISCOPUS TUNGRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

Arnoaldus Dux Mosellanus, à quo deinde Carolingi, & Habspurgici, ut supra.

S. GONDULPHUS, vel Condulphus, vel Gandolphus Episcopus Tungrensis,

Henning. P. 1. Ger. fol. 18.

Acta Synoptica.

GONDULPHUS vigesimus secundus Tungrensis, & duodecimus Trajectensis Episcopus, *ex primis Lotharingiæ & majoribus Franciæ* (ut loquitur Nussienſis Canonicus) natus fuit: Trajecti verò educatus, Cathedra Trajectensi admotus Anno 600. sedit annis octo, *Evangelium multis gentibus prædicavit.* Fortè aliquando Tungrensem civitatem in ruinis contemplatus, ubi palatium Octaviani, à quo Tungris Octavia dicta est, & Servatii Ecclesiam, ubi supra altare B. Virginis virgulta crescebant, misertus desolatæ urbis è tota Provincia congregavit operas, quæ Tungros repararent. Sed aliter cœlo visum: *recordatus Dominus malorum, quæ fecerat urbs illa, lupis missis fecit colonos devorari, & terræ motus Pergama subruit.* Ex hoc beatus Præsul satis intellexit, Dei voluntatem non esse ut Tungri resurgerent, á Deo veniam facti petiit; sed audivit è cœlo vocem, *Pax tibi, noli timere.* Trajecti proinde sede fixà, cùm mortem vicinam adverteret, ad eam se totis viribus comparavit: obiitque 17. Cal. Augusti, juxta prædecessorem S. Monulphum sepultus. Mirum valde est, quod Petrus Canisius refert: cùm Carolus Magnus Imperator duobus seculis posterior Ecclesiæ Aquisgranensi dedicandæ tot vellet interesse Episcopos, quot dies annus habet, nempe 365. & collectis 363. soli duo deessent; è suis sepulchris & latebris emersisse SS. Monulphum & GONDULPHUM Trajectenses, & cum cœteris dedicationi præfatæ Ecclesiæ adfuisse; peracta verò Dedicatione omnibus admirantibus recessisse, ac sua Mausolæa repetijsse. Idem refert Gualterus, qui nominat eum Ducis Lotharingiæ filium, sed cujus? Eo tempore nulla adhuc Lotharingiæ nomenclatura. Oportet ergò fuisse Ducem Mosellanum, cùm Lotharingi Mosellani successerint. Ansberti & Blithildis filium scripsit Henninges, cui interim subscribo, donec certiora reperiam. Sedisse fertur ab Anno Christi 600. ad 608.

Nussienſ. Canon. Chron. Magn. Belg fol. 21.

Gualter. Chron. Chronic. de Episc. f. 1487.

Eadem DIE XVI. JULII.

S. REINILDIS VIRGO ET MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

B. Pipinus de Landis Dux.
|
S. Begga hæres Brabantiæ, Uxor Anſegiſi Ducis Moſellani.
|
Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.
|
Carolus Martellus Dux Brabantiæ.
|
Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi & dein Habſpurgici.

Amalberga Uxor Walberti Comitis.
|
S. Amalberga Uxor Witgeri Comitis.
|
S. REINILDIS, cum Sororibus.

Acta Synoptica.

NObiliſſimis orta natalibus REINILDIS Virgo, cùm parentes tædio mundi ad clauſtra ſe recepiſſent, magnarum hæres facultatum cum ſorore Gudula, contemptis procis, qui eam ad nuptias certatim expetebant, ad S. Autbertum confugit, & ſacrum ab eo ſuſcepit velamen. Totis deinde viribus ad ſanctitatem conniſa, incredibile dictu quantâ inediâ, & aſperitatibus corpuſculum ſuum ſpiritui ſubjecerit, nunquam à Dei laudibus ceſſans, juge ei de ſe immolabat ſacrificium. Servis & ancillis ſuis ſæpiùs illa ſerviebat, quàm eorum uteretur miniſterio: de pauperibus alendis, fovendis ſummè ſemper ſolicita. Cibum nonniſi ſemel in die admiſit, modico plerunque pane hordeaceo & aquâ contenta. Cilicio induta, nudipes etiam incedebat. Cùm denique nihil præter Chriſtum concupiſceret, cum ſancta ſorore Gudula Lobienſe Cœnobium adijt, B. Petro Apoſtolorum Principi omnia ſua bona oblatura. Sed quia ad ejus loci adyta, quin & Eccleſiam, fœminis non concederetur ingreſſus, pro templi foribus ſe proſternens, tres continuos dies ſine cibo & potu in lacrymis & precibus perſeverans, exoravit omnipotentis manum mirabilium operatricem. Nam tertia nocte oſtia Eccleſiæ, divinâ virtute aperta ſunt, & ſigna nemine pulſante ſuos dederunt ſonos, ut experrecti Fratres accurrerint ad Eccleſiam, ubi ſanctam Virginem ante Crucifixi imaginem in Crucis formam poſtratam invenerunt: honorificè proinde ab illis ſuſcepta, obtulit B. Petro quod ſtatuerat, & acceptâ benedictione Abbatis recedens, aſſumptis uno tantùm famulo & unâ ancillâ Jeroſolymam peregrina abiit. Septennio illic commorata, & multis pretioſis collectis reliquiis in patriam rediit, dein-

Franc. Haræ. in vita.
Gabr. Bucelin. ad 16. Julii.
Boll. To. 1. Febr. fol. 278. a.

deinceps ita vixit, ut in continua exſtaſi abrepta videretur, totáque cœlo intenderet. Intereà Barbari Hunni magno numero in Gallias irrumpentes, cùm omnia ferro & flammâ exſcinderent, omnibus diffugientibus in munita loca & ſylvas, REINILDIS adduci non potuit, ut à loco, in quo vitam ponere optabat, recederet. Ad Eccleſiam proinde cum Grimoaldo Sub-Diacono, & Gundulpho miniſtro ſe contulit, ubi à ſupervenientibus barbaris in crucis formam proſtrata ante altare inventa eſt, per capillos circumquaque diu tracta, demum capite plexa eſt; eodem lethi genere Grimoaldus occubuit; at Gundulphus tribus in cerebrum adactis clavis vitam poſuit. Tentârunt miniſtri Sathanæ templum injecto igne delere, & ſimul corpora Martyrum exurere; ſed meritis B. REINILDIS fruſtrati ſunt intentione ſuâ. Cæſa eſt 17. Cal. Aug. Anno circiter 680. miraculis multis illuſtrata.

DIE

DIE XVII. JULII.

S. STANISLAUS ABBAS MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ludovicus Transmarinus Rex, Carolingus.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Allatii, Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cœteri omnes, usque ad hodiernos rectâ lineâ.

S. STANISLAUS Abbas Martyr, conſanguineus Boleslai Pudici Regis.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſala Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Adelheydis Uxor Boleslai II. Regis Polon.

Caſimirus II. Rex Poloniæ.

Leſco ſapiens Rex Poloniæ.

Boleslaus Pudicus Rex Poloniæ, Uxor Virgo B. Kinga.

Alium nexum vide infra in B. Kinga die 30 *Julij.*

Acta Synoptica.

Franc. Bivar. Chryſoſt. Henriq. To. 2. SS. Ord. Bened. Bucelin. Menol. ad 17. Julii.

MUltò illuſtrior ſuâ purpurâ emicuit STANISLAUS, quàm cognati Reges Diademate. Conſanguineus fuiſſe memoratur Boleslai Pudici Regis, ſed quo ſanguinis vinculo, id me adhuc latet. Monaſticen profeſſus in monte Calvo ſeu Lyſſecio Cœnobio S. Crucis octoginta duobus monachis Abbas præfuit: cùm Tartarorum ingens colluvies Nogajo & Celebuga Ducibus in Polonia ſe ſe per Ruſſiam diffudit. Qui fluminibus glacie concretis opportunè uſi, Lublinenſem oram prætergreſſi, in Sendomirienſem impetum fecêre. Rerum aliquando potiti, in ſacra loca immaniter ſævierunt; Unde & Calvum montem aggreſſi, lectiſſimum Chriſti gregem ſub STANISLAO militantem, velut lupi ferociſſimi involârunt, atque in odium fidei STANISLAUM cum Monachis immaniter trucidarunt. Qui alacriter pro religione Chriſtiana animas ſuas in ſacrificium offerre non dubitantes, ſimul cum Abbate ſuo, qui eos ad fortiter ferendam mortem animabat, ceu victimæ ſeliciter occubuerunt Anno 1260. die decima ſeptima Julij.

Eâdem

Eadem DIE XVII. JULII.

B. IRMENGARDIS ABBATISSA CHIEMENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo post 6. gradus Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Habspurgici, magna avia hodiernorum Archiducum.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Lotharius Imperator, cujus neptis Bertha, Uxor Luithardi, Comitis Habspurgici.

|

IRMENGARDIS, quam Luitgardam appellat Henninges. Abbatissa Chiemensis.

Henning. P. 1. Germ. fol. 25.

Acta Synoptica.

VEteres Geneographi Regum & Principum proles, quæ Deo fuerunt dicatæ, plerúnque tacitè prætereunt, quæ sensim à vetustis Ecclesiarum tabulis & diplomatibus eruuntur. Observavit id dudum Joannes Bollandus, qui in Carolingâ prosapiâ nonnullas priscis scriptoribus planè incognitas producit. His accenseri debet IRMENGARDIS Ludovici Imperatoris filia, cujus mentio fit in diplomate Henrici IV. Imp. apud Gewoldum, ubi loquens Imperator de Chiemseensis Monasterij Monialium libertate inquit: *In hac libertate ad Carolum usque Regem pervenit, à Carolo usque ad Ludovicum Regem, qui ob ejusdem Eccl. siæ, quam sibi præ cæteris habuit specialem, filiam suam Irmgardam ibidem præfecit Abbatissam.* Cœtetùm de hac Beata paucis Bucelinus affirmat: quòd fuerit vitæ sanctimoniâ & miraculorum gloriâ celebris, quæ usque hodie devotè invocantibus prodigiosè opitulatur.

Gewold. in Not. ad Hund. Metrop. To. 1. Monaster. fol. 241. Bucelin. Menol.

Natalem ejus refert 16. Julij, nos una die tardiùs.

DIE XVIII. JULII.

S. ARNULPHUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Moſellani.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. ARNULPHUS Dux Moſellanus, dein Epiſcopus.

Anſegiſus Dux Brabantiæ. Uxor S. Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

S. Carolus Magnus Imperator, à quo cæteri Carolingi, & Habſpurgici indubitatâ ſerie.

Acta Synoptica.

Bedæ Contin. Paul. Diacon. de Epiſc. Meten. Gottfrid. Viterb. in Pantheo. Chron. Lizin. Petr. Divæus. Fran. Roſier. Vincent. Bellov. in ſpec.

ARNULPHUS Dagoberti Regis morum formator, & cum eo Clotharij magni pronepos, primùm in connubio vixit, & præter S. Clodulphum (alij Glodulphum appellant) filium ſucceſſorem reliquit Anſchiſum, ſeu Anſegiſum, patrem Pipini Heriſtalli, abavum S. Caroli Magni, à quo certâ & indubitatâ ſerie Carolingi, & ex Carolingis per Itham Lotharingicam Habſpurgici, hodiernique Archi-Duces originantur. Ad aulam vocatus Dagoberti Regis, cum Pipino Landenſi ejus curam geſſit. Cùm verò à Clothario Rege miſſionem peteret, nec impetraret, eò illum aſſiduâ importunitate impulit, ut correpto mucrone, vel cum vulnere quidem, à propoſito ipſum evertere ac deterrere cogitaret: quamvis mox pœnitens facti, ad pedes Sancti ſupplex acciderit, & veniam poſtularit. Sed cùm neque poſt hæc dimitteretur, mortuo tandem Clothario, & Dagoberto in pravos mores degenerante, ARNULPHUS conſulto Numine, clandeſtinâ fugâ ſe ex aula proripuit, & vitam in dulci contemplationis otio transacturus, eremum petijt. Inde non multò pòſt extractus ad Inſulam Metenſem, magnis à Deo prodigiis eſt honoratus. Hæc inter Noddilonem adoleſcentem illuſtriſſimum, ſibi ac Regi ſanguine

guine junctum, jam jam moriturum ac deſperatiſſimum reſtituit. Urbem Metenſem incendio vaſtiſſimo perituram, diffugientibus ex deſperatione civibus, ſolo ſignaculo Crucis ſopitis flammis conſervavit. Ferunt ex ore Caroli Magni auditum, quòd ARNULPHUS cùm in aula eſſet ex ponte quodam in Moſellam fluvium injecerit digito detractum annulum, dixeritque: *ſi hunc recepero, mea me peccata expiaſſe intelligam.* Hoc annulo per piſcatorem Metis cùm eſſet Pontifex recepto, ad perfectiùs Deo ſerviendum excitatus, dimiſſo Epiſcopatu eremum petijt. Morti jam proximus, S. Romaricum cognatum ſuum his verbis allocutus fertur: *Bone vir & Deo amabilis, ora Chriſtum pro me: jam enim adeſt dies, quo judici meo præſentabor. Quid faciam? nihil equidem geſſi in hoc ſeculo; omnibus ſceleribus & peccatis vallatus coarctor, quorum ut veniam merear, quæſo Dominum pro me depreceris.* Qui ſublimem ejus perfectionem ſedulus intueatur, ad tantam animi demiſſionem, totus neceſſe eſt obſtupeſcat. Obijt Anno Chriſti 641. die 18. Julii, Sanctorum faſtis adſcriptus.

Gabr Bucelin. Menol.

Boll. To. 1. Feb. fol. 227. & alibi.

Maſen. in Epit. Añal. Trevir.

Eadem DIE XVIII. JULII.

S. EADGARUS REX ANGLIÆ PACIFICUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Juditha Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

Elfleda Uxor S. EADGARI Pacifici Regis Angliæ.

S. Editha Virgo, & S. Eduardus Rex Martyr.

Ludovicus Balbus Imp.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex, à quo in 4. gradu Itha Lotharinga, Uxor Radepotonis Habſpurgici, magna avia hodiernorum.

Acta Synoptica.

PLures ſanctitate celebres majores habuit S. EADGARUS. Nam mater ejus Uxor Edmundi Regis fuit S. Elgiva, proavus ejus fuit S. Alfridus Rex, tritavus fuit Ingildus frater S. Inæ Regis. Uxores EADGARUS plures habuit, quarum Elfledam Henninges nominat, filiam Balduini Ferrei. Regnare cœpit Anno 957. à Mercijs & Nordthumbrijs in Regem electus cum fratre Eduino, ſtatuto Regni utriusque limite fluvio Tameſi. At fratre poſt biennium defuncto, toti regno dominari cœpit. Proles ſuas in timore Dei educavit, Religioſos viros fovit & in pretio habuit, multa condidit monaſteria, quæ poſteà filius S. Eduardus abſolvere & complere ſtuduit. Hac de re encomiaſtes S. Eduardi in hæc verba: *S. Eduardus juvenis fuit valdè devotus & benè gubernans, &c. docuit eum Rex ſanctus pater ſuus Deum præ omnibus timere, jura regni inviolabiliter ſervare, & virtutes ſequi.* Et in margine aliunde accepta idem author Theodoricus repoſuit. *S. Eduardus primogenitus ſancti Regis* EDGARI, *civis æterni Regni, temporalis regni Diademate coronatus &c. deſtructum à perfidis Danis regni & Eccleſiæ ſtatum nobiliter recuperavit: religione ſcilicet & induſtriâ gentem ſuam ab extranea invaſione liberavit. Cuncta monaſteria à Sancto* EDGARO *Rege & Confeſſore patre ſuo erecta & fundata, necdum conſummata, celeri diligentiâ & opere perfecit & dotavit.* Ex quibus utriusque tam filij quàm parentis promovendæ religionis ſtudium animadvertas. De obitu ejus hæc notat Chronologus Anglo-Saxonicus. *Nuncupant indigenæ &c. Julij menſem, quo ille obijt. Die autem decimo octavo juvenum coronâ datâ* EADGARUS *de vita exijt.* Et ſuprà præmiſerat: *Hic vitam finivit terræ admiratio* EADGARUS *Anglorum Rex, lucémque ſibi alteram elegit, decorus & lætus, fragilémque hanc & caducam vitam reliquit.* Nimirum Anno 975.

Simeon Dunelmie. hiſt. Angl. ad an. 964.

Chronolog. Anglo-Saxonic. ad an. 975.

Theodor. Paul. in MS. Gorcom. Auth. vitæ S. Edithæ.

Henſch. To. 2 Martij. f. 639.

DIE

DIE XIX. JULII.

B. HERMANNUS CONTRACTUS

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Verosimiliter hanc formo, cùm de stirpe paterna æquè ac materna constet: licet de serie generationum nondum habeatur certitudo.

N. Comes de Thierstein.

Hiltrudis de Thierstein, Uxor Wolffhardi Comitis Veringensis.

B. HERMAMNUS Comes Veringensis dictus Contractus.

N. Comes de Thierstein.

Rudolphus Comes de Thierstein, Uxor Itha Habspurgica filia Werneri I. Comitis, neptis Radepotonis, à qua deinceps omnes Thiersteinij. Chifflet. in lumin. prærog. Iol. 324.

Acta Synoptica.

RArum Ordinis amplissimi decus, Germaniæ sydus fulgidissimum HERMANNUS, Wolffhardum Veringensem Comitem, Hiltrudem Comitissam à Thierstein parentes habuit. Septennis ad Augiense Cœnobium studiorum gratiâ missus, magnorum virorum exemplis, & loci religione captus, Monasticen ambijt, & obtinuit. Infirmâ verò cùm esset valetudine, ex eáque contractis membris, & impeditiore ingenio, remedium à Deipara postulans, misericordiæ matrem facilè flexit, cœlóque deductam intueri meruit. Hæc illi optionem dedit, sani & integri corporis, sed ingenij hebetis, aut membris omnibus præter linguam & manum invalidi, sed tamen ingenij sapientiâ & eruditione exculti, utrum mallet eligeret: posterius elegit; & annuente mox Virgine, ex eo tempore tales progressus fecit in literis, ut corporis defectum mentis viribus facilè resarciret: tantus in omni literarum genere & cognitione effectus, ut meritò universis ætate suâ superior, nedum æqualis haberetur. Latinam, Græcam, Hebraicam, Arabicam perfectè calluit, quibus adjutus plurima scripsit. Et ne ingratus esset benefactrici Virgini, celeberrimum illud Canticum ejus honori concinnavit *Salve Regina*, quod dein universa Ecclesia amplexa est; & de quo mellifluus Doctor asseruit: *Dulce canticum ac nobilissimum melos, à summis labijs effusum venit, à sanctis compositum, à sanctis institutum, dignè frequentabitur etiam à sanctis. Et verè nisi à Religiosis, & affectione sanctâ fervent bus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter potest decantari; tam est suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam profundum ad mysteria. Tale enim est, quod à nobis considerari & dijcuti, prout dignum est, non valent.* Hoc tamen Canticum nonnulli B. Notgero Balbulo Monacho Sangallensi attribuunt. Obijt HERMANNUS sanctissimè Anno 1054. sepultus in Althausen apud majores suos. Cum titulo Beati ad hanc diem à Bucelino reponitur.

Bucelin. Menol. ad 19. Julij.

Joan Ægon. in Monim. Augien.

S. Bern. in Salve Reg.

DIE XX. JULII.

S. SEVERA ABBATISSA TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Godinus Aquitaniæ Comes.

S. SEVERA Abbatiſſa. — B. Itha Uxor B. Pipini de Landis. — S. Modoaldus Archiepiſcopus.

S. Begga Uxor B. Anſegiſi Marchionis, hæres Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi, & ex his Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol.

Maſen. Epit. Añal. Trevir. lib. 7. f. 168.

Steph. Leodien.

Franc. Roſierius.

Joan. Molanus.

Joan. Trithem.

Nuſſienſ. in Chron. mag. Belg. fol. 24.

Gualt. de Epiſc. fol. 1448.

REgio Francorum ſanguine natam SEVERAM S. Modoaldi ſororem celebrant Bucelinus, Maſenius, alij, diſcordant in parentibus; nam Bucelinus Arnoldo Auſtraſiæ Duce, & Oda Sueviæ Principe natam aſſerit, Henninges verò Itham ſororem Godino Aquitaniæ Duci attribuit. Utrinque certè Habſpurgicæ innectitur ſtirpi per Ithæ filiam S. Beggam, à qua Carolingi, & ex his Habſpurgici fluxerunt. Præfecta fuit Cœnobio S. Symphoriani, quod Modoaldus frater condiderat, ubi ſe perfectionis abſolutiſſimum exemplar exhibuit: vitam religioſiſſimam magno rigore transegit: fratris ſui exhortationibus tantoperè ſuccenſa, ut fervore in ipſum denuo redundante, neuter alteri quidquam in virtute cederet. Quam ob cauſam non immeritò à Stephano Leodienſi, ille S. Benedicto, hæc S. Scholaſticæ comparari meruit. Claruit ſanctiſſima Abbatiſſa Anno 666. cujus natalis in hanc diem à Bucelino reponitur.

DIE

DIE XXI. JULII.

B. THEODO III. BOIORUM PRINCEPS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Adelzreiteri, & Recentiorum.

Clodoveus Magnus, primus Christianus Rex Francorum.

|

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Carolingi & Habspurgici.

Sigebertus Rex Austrasiæ, Obiit An. 578.

|

Childebertus Rex Austrasiæ. Obit An. 598.

|

Reginotruda Uxor THEODONIS III. vel IV. Ducis Boiorum à S. Ruperto baptizati, circa An. 616.

Nexus II. ad mentem Brunneri.

Theodo Magnus Dux Boiorum, cui Lucillam filiam Zenonis Imperatoris, nonnulli Uxorem attribuunt.

|

Utilo Dux Boiorum. Obiit Anno 565.

|

Garibaldus I. Dux Boiorum. Obijt circa annum 590.

|

Thassilo I. Dux Boiorum. Obijt circa Annum 610. secundùm Adelzreiter An. 598.

|

Garibaldus II. Dux Boiorum. Obijt circa Annum 616. secundùm Adelzreiter Anno 612.

|

THEODO III. Dux Boiorum, à D. Ruperto baptizatus. Uxor Reginotruda Regina Francorum Anno 612.

Acta Synoptica.

PRrodeat in lucem THEODO, qui primus fidei lucem intulit Boiariæ, dignus accenseri numero indigetum. Sed ne absque fidejussore agamus: ipsa verba Raderi Boij libet apponere: Beatos opinione vel populorum vel etiam plurium gentium, præsertim multis seculis & miraculis confirmatâ, habitos, ubi summi Pontificis authoritas non refragatur, appellare non formidem. Rader. Bavar S. To. 1. fol. 41.

dem. In quo cenſu THEODONEM ponendum, negabit opinor nemo, niſi quide excellenti ejus in Deum & Divos pietate nihildum inaudivit. Hic enim fuit, qui primus à perbeata conjuge Reginotrude incitatus, D. Rupertum in Boicam evocavit, venientem non ſecus ac miſſum è cœlo nuntium accepit, ſacra Chriſtiana ſibi exponentem audivit. Nec ſibi tantùm profuit, ſed genti univerſæ facem pietatis præluxit, primus cœleſti fonte tinctus. Ruperto author fuit Evangelij per omnem Boicam promulgandi, locum ſacris ædibus aſſignavit; oppida, pagos, fora, vicos, cortes, lacus, ſylvas, agros ultro Deo conſecravit. Pontificatum Juvavienſem condidit; nihilque non egit, quo ſuum adverſus Deum cultum ac Religionem declararet: imò diem ultimum obiturus, Theodeberto ex ſe nato, Boicæque hæredi rem divinam omnibus modis procurandam augendámque in poſtremis mandatis unicè commendavit, ut nihil in eo defuerit, quod in ſancto viro, juſto Principe, optimo Chriſtiano deſideres. Hæc Raderus, cui non abſimilia nuperus Annalium Boicorum ſcriptor, & ante hos Aventinus, Hundius, & alij. Arno Salisburgenſis Epiſcopus tempore Caroli Magni exactè conſcripſit donativa THEODONIS Ducis facta Eccleſiæ Salisburgenſi, quæ videre licet apud Gewoldum. Sepulturam THEODO cum conjuge ſua pientiſſima Reginotrude nactus fertur Salisburgi in templo à ſecondito D. Petri, quod adhuc ſucceſſores S. Ruperti Abbates Benedictini poſſident.

Adelzreit. Annal. Boic. P. 1. li. 6. Hund. in Metropol.

Gewold. in Not. mihi fol. 57.

Velſer. lib. 4. rerum Boicarum.

DIE

DIE XXII. JULII.

S. WANDREGISILUS ABBAS.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

|

Arnoaldus Dux Mosellanus.

|

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

Walchisus Dux Mosellanus.	B. Ansegisus Dux Brabantiæ.
|	|
S. WANDREGISILUS Abbas.	Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici.

Acta Synoptica.

EXemplo in paucis memorando WRANDREGISILUS nobilissimam sponsam conciliavit Christo: ipse Dagoberti Regis aulam, cujus Comes erat, asceterio posthabuit. Inde revocatus Regis Imperio, ad ipsa palatii limina currum rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risêre scilicet aulæ mancipia, cùm Principem in cœno laborantem viderunt. At intempestivos cachinnos castigavit Deus censor, quando qui vestes purgaret WANDREGISILI, luto aspersas, è cœlo palam Ephœbus adstitit, & servitia tam nobilia Rex ipse Dagobertus invidit. Cum bona igitur ipsius venia deinceps plura Cœnobia WANDREGISILUS nobilitavit, unum etiam ipse condidit Fontinellense dictum, & monachos sub signis trecentos numeravit. Habuit verò ad hæc hortatorem Angelum, qui & testem se rectè factorum, & verò apud superos præconem etiam fore pollicitus est. Intereà qui Divo necem parabat, regio saltui præfectus, à malo genio correptus, sospitatorem ipsum WANDREGISILUM sensit. Annonam egenti monita è cœlo Regina Blithildis misit. Æger acie tamen Dœmonum aciem vicit, & de victoria gratulantes cœlites audivit. Demum ne de cœlo ipso dubitaret, triduo ante hoc visum est morituro patere. Extremo in agone ipse se signo S. Crucis communijt, & placidissimè expiravit Anno salutis 665. ætatis nonagesimo sexto. Post obitum multis clarus miraculis, & post annos quadraginta levatus è tumulo, corpore simul & vestibus incorruptus. Author Chronici Malleacensis patrem S. WANDREGISILI appellat Galgisum consobrinum Dagoberti Regis, & obiisse refert undecimo Cal. Augusti.

Andr. Brunner. in Fastis

Laur. Sur. in vita.

Bucelin. Menol. ad hanc diem.

Franc. Haræ. in vit. Chron.

Chron. Malleacen. ap. Labbe To. 1. Biblioth. fol. 193.

Eadem DIE XXII. JULII.

VEN. CHUNEGUNDIS DUCISSA MAZOVIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Premislaus Ottocarus II. Rex Bohemiæ, Uxor Chunegundis filia Roſislai Ducis Bulgariæ.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus.

Ven. CHUNEGUNDIS Duciſſa Mazoviæ.

Wenceslaus II. Rex Bohem. cujus Uxor _____

Gutta Habſpurgica.

Acta Synoptica.

Weleslav. in Genealog. Lupac. 22. Jul. Balbinus rerum Bohem. l. 3. c. 16. f. 308.

DAucis hæc cum Balbino exequimur: CHUNEGUNDIS, Premislai II. filia, Wenceslai II. Regis ſoror, Anno 1278. cum aliis quatuordecim virginibus nobiliſſimo genere natis, Cœnobium Virginum S. Claræ ingreſſa, coacta poſtea Mozaviæ Duci nubere; eo exſtincto ad S. Georgij Cœnobium Ordinis S. Benedicti Anno 1302. tranſiit, pòſt Antiſtita electa, cum magnâ ſanctimoniæ famâ plena annis & meritis, Anno 1312. deceſſit.

DIE

DIE XXIII. JULII.

S. HILDULPHUS PRINCEPS.

Ex majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childericus Rex.
|
Clotharius I. Christianus Rex.
|
Clotharius Magnus Rex,
|
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Mosellani, Brabantiæ Duces, Carolingi & Habspurgici.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
|
Walbertus I. Dynasta Hannoniæ.
|
Walbertus II. Dynasta Hannoniæ.
|
Walbertus III. Dynasta Hannoniæ.
|
Brunulphus Comes Hannoniæ.
|
S. Ava Uxor, S. HILDULPHI Principis Laubiensis.

Acta Synoptica.

HIDULPHUS seu HILDULPHUS Lobbiensis Toparcha, quem violentâ nominis anticipatione aliqui Lotharingiæ Ducem scribunt, parem suis desiderijs nactus conjugem Ayam Comitissam Hannoniæ, ut duplicem coronam castitatis & conjugij mereretur, facilè à consorte obtinuit à thoro sejunctionem. Una utrique mens, una cogitatio, terrena posthabere cœlestibus, & Christum in pauperibus hæredem constituere. Facti proinde sunt servorum & ancillarum Christi parentes, omni conatu in id intenti, ut Monasteria haberent pro suis Principatibus, & Comitatibus, Religiosos utriusque sexus pro legitimis hæredibus, pauperes & orphanos pro liberis & prolibus. Tandem HILDULPHUS bonâ conjugis venià ad Lobiense Cœnobium se recepit, ubi ajunt Abbatem primò egisse, mox etiam Episcopum ejus loci, ac decessisse Anno Christi septingentesimo septimo: Aya conjuge diu posteà superstite, quæ Castrilocense Cœnobium ingressa, quod consobrina S. Waldetrudis condiderat, ibidem sancto fine quievit. Uberiorem vitam exspectamus ab aliis. Sacra ejus lipsana cum alijs asservari Binchij, eò translata die quarta Aprilis, asserit Bucelinus in Menologio.

Henschen. To 2. Apr. fol. 580. Thom. Gozæus in Notis ad vit. S. Walberti Hieron. Mordam. in Annal. Jaco. Gnisius in Annal. Bucel. in Menol. ad 4. April.

DIE XXIV. JULII.

SS. WULFHADUS ET RUFFINUS MM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
|
Eadwaldus Rex Cantiorum.
|
Ercombertus Rex Cantiorum.
|
S. Ermenilda Uxor Wulpheri Regis Merciorum.
|
SS. WULFHADUS & RUFFINUS MM.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici indubitata ſerie.

Acta Synoptica.

AN verè SS. WULFHADUS & RUFFINUS filii fuerint Wulpheri Regis Merciorum, nolim cum Henſchenio revocare in dubium, cùm id probi authores, ex antiquorum fide referant. Neque enim ideò negandi ſunt filij, ut apoſtaſia & parricidium à Wulphero patre amoveatur, cùm id ejus pœnitentiæ non poſſit plus obeſſe, quàm Petro Chriſti negatio, Paulo perſecutio. Sed obſtat, inquit ille, Chronologia regni Wulpheri qui Anno 657. adoleſcens regnare cœpit, & non multò pòſt in fide propaganda, in condendis Cœnobijs fidei ſuæ zelum probavit: quaſi verò hiſtoricus non potuiſſet nominare adoleſcentem pro juvene triginta circiter annorum, quo tempore jam filios duodennes aut etiam ſeniores habere, & relapſus in priſtinos parentis mores, alienus à fide filiis inferre violentas manus potuiſſet. Quidſi verò, ut ipſemet Henſchenius inſinuat, non à parente, ſed avo Penda perſecutore Chriſtianorum occiſi fuiſſent ante annum 655. quo obiit? Certè cùm plures afferat ipſe aſſerentes quod fuerint WULFHADUS & RUFFINUS filij Wulpheri, nullum verò qui eis alium parentem attribuat, fides illis habenda videtur, nec revocandum in dubium eorum genus Martyrij. Non videtur proinde aliena à vero narratio MS. Codicis Petroburgienſis de hiſce duobus fratribus, quòd ſcilicet Chriſtianâ fide imbutus Wulpherus, inſtigante Werboldo, qui ei à ſecretis fuit, fidem Chriſti abjuraverit: filij adoleſcentuli venationibus indulgentes caſu ad cellam S. Ceaddæ pervenerint, ab eo

Bolland. To. 2. Feb. fol. 689.

Jo. Cambden. in Catitanis.

Robert. de Suvaham in hiſtor. major.

Clemens Regnerius. Append. Apoſtol. Benedict. MSS. hiſt. Petroburg.

eo Chriſtianis myſterijs initiati fuerint, & ab ipſo patre ejusdem Werboldi ſtimulis concitato cæſi fuerint, Wulfthado quidem ante altare caput amputatum, Ruffino verò fugienti vulnus lethale inflictum, ex quo deceſſerit: corpora S. Ermenilda mater in ſaxeo ſarcophago ſepelierit. Deinde Rex Wulfherus ab eodem Ceadda ad Chriſtianam fidem reductus, curarit ſub clavi pœnitentiæ in toto regno delubra deſtrui, idololatriam evelli, Eccleſias ædificari, Monaſteria fundari, & tunc fuiſſe ædificatum nobile illud Cænobium Medeshamſtede, quod poſtea Petroburgum appellatum eſt: Collegium item Canonicorum Regularium in loco ſepulturæ SS. WULFHADI & RUFFINI Stanes dicto erectum eſſe, *ubi ſiguis coruſcantibus multa beneficia ſalutem poſtulantibus, ad laudem Domini noſtri JESU Chriſti meritis ſanctorum præſtantur.* Quibus verbis finitur hiſtoria Petroburgenſis. His ſimilia, tametſi parumper in circumſtantiis varient, referunt Cambdenus, Robertus de Succapham antiquus ſcriptor, Joſephus Simonis, Sotus, & Author Martyrologii Anglicani.

DIE XXV. JULII.

S. CLOTHSENDIS VIRGO ABBATISSA MARCHIANENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

Gerberta vel Gerbirga, filia S. Gertrudis, Uxor Ægæ vel Ægani Majoris Domus sub Dagoberto Rege Magno.

Erchinoaldus major Domus Clodovæi II. Regis.

Leodisius Dux.

Attico Dux Allemanniæ, Uxor Bersuindis soror Bilthildis Reginæ.

Adalbertus Dux Alsatiæ.

Luitfridus Comes Sundgoviæ, Uxor Hiltrudis Habspurgica, hæres Comitatus.

S. Adalbaldus Dux Duacenus, Uxor S. Rictrudis.

S. CLOTHSENDIS cum sororibus S. Alsende & Eusebia.

Etho Comes Brisiacæ.

Albericus Comes Leberthallensis.

Ottopertus Comes Habspurgicus, adoptatus ab Hiltrude, à quo cæteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

Bolland. To. 1. Feb. fol. 299:

Haubald. Elmon. in vita S. Adalbaldi.

Bucelin. Menol. ad 30. Junii.

Molan. Addit. ad Usuardum.

DIversa hæc est à S. Glodesinde, quæ hac die 25. Julii colitur, filia Wintonis Ducis, & Godilæ, quæ fortè etiam ad Francorum Regum prosapiam spectat. Fuit hæc CLOTHSENDIS filia S. Adalbaldi & S. Richtrudis à S. Amando Episcopo è sacris undis levatæ, ejúsque industriâ ad omnem formata pietatem. De prole S. Adalbaldi ait author ejus vitæ: *Quos eùm essent parentes eorum justi, & per se ipsos & per familiares sibi servos Dei educaverunt, & erudierunt in timore Dei, auctos ab infantia benedictione cœlesti &c.* CLOTHSENDEM *egregius Pontifex Amandus, quia sacris dignisque manibus è fonte salutari excepit, in omnibus Deo dignam reddit.* Sic ergo educata CLOTSENDIS in Marchianense concessit Cœnobium, in quo sub sanctissimæ suæ matris disciplina in tantum profecit, ut ei in Abbatissæ munere succedere meretetur. Claruit Anno, ut supputat Bucelinus, 688. Sanctorum deinde Albo adscripta.

DIE

DIE XXVI. JULII.

B. M. HENRICUS EPISCOPUS RATISBONENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Arnulphus Malus, Dux Bavariæ.

Arnulphus II. Dux Bavariæ.

Bertholdus Comes Schyrensis.

Babo I. Comes Schyrensis.

Babo II. Comes Schyrensis.

Eberhardus Comes Schyrensis.

Eberhardus II. Comes Schyrensis.

Gebhardus I. Comes Schyrensis.

Gebhardus II. Comes Rottenegkius.

Meinardus I. Com. Rottenekius.

Meinardus II. Comes Rottenekius.

B. M. HENRICUS Comes Rottenekius, Episcopus Ratisbonensis.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti Com. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatii, Ducis Lothar.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgicus.

Otto Comes Habspurgicus.

Wernerus II. Comes Habspurgicus.

Wernerus III. Comes Habspurgicus.

Albertus Comes Habspurgicus.

Rudolphus Comes Habspurgicus.

Albertus Comes Habspurgicus, parens Rudolphi I. Imperatoris.

Acta

Acta Synoptica.

Rader. Bavar. S. To. 2. fol. 317. Chron. Ratisbon. Eberhard. ap. Canis. in antiq. Lection. To. 2. Hund. in Metrop.

MAgnis laudibus celebratur hic Antistes Ratisbonensis Ecclesiæ, cui Anno 1277. gravissimo ære alieno pressæ admotus, summam ædem incendio aut fulmine vastatam vidit. Nihil seriandum censens, omne patrimonium suum cum castro Rottenegk Ludovico Boiorum Principi vendidit, æs alienum dissolvit, Ecclesiam instauravit, tutelas & tribunalia Judiciorum, Velden, Eberspeunt &c. Ducibus olim Bavariæ oppignorata redemit, castra ferè omnia suæ Provinciæ muris & turribus firmavit: neque interim rem divinam neglexit. Rudem & sine arte cantum publicum ad leges & normam per ejus disciplinæ gnaros reduxit: rem, victum, sportulas Canonicorum auxit. Abolevit sacrilegam consuetudinem quæ irrepserat, per quam fiebat ut Præfecti & Judices Principum in patrimonia & hæreditates Ecclesiasticorum decedentium involarent, ac diriperent. Pacem quoque ipse & Ludovicus Boius, velut arbiter inter secundæ Boiariæ Principes, Austriósque & Bohemiæ Regem, Archiepiscopum Salisburgensem, Meinardum Goritiæ Comitem, Lincij feliciter composuit. Totis quatuordecim annis, priusquam vitâ defungeretur, sibi tanquam jam defuncto anniversarium diem instituit, & solenni cærimoniâ sacrum piaculare cum precibus peregit. Induvias etiam sepulchrales, quibus ipse & Sarcophagus tegeretur, ad lectum suum semper habere voluit, ut scilicet semper fati memor, curas præsentes futuræ mortis & æternitatis cogitatione temperaret. Proinde magnam virtutis, pietatis, religionis, sanctitatis laudem apud omnes collegit, dignus in quem Pontifices omnes velut exemplum vitæ respiciant. Præfuit Cathedræ annos undeviginti, decessit 7. Cal. Sextil. cùm pridiè, festo S. Jacobi, quem magno honore prosequebatur, summa cum devotione Missarum solennia celebrasset, sub vesperum deinde sensim viribus deficiens.

DIE

DIE XXVII. JULII.

B. BEATRIX ATTESTINA III. REGINA HUNGARIÆ.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex Francor. — Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico.

Carolus Simplex Rex Francorum.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ. — Carolus Dux Lotharingiæ, proavus Ithæ nuptæ Radepotoni Comiti Habspurgico.

Gerberga Uxor Hermanni Comitis Sueviæ.

Gisala Uxor Conradi II. Imper.

Henricus III. Imperator.

Mathildis Uxor Azonis VI. Estensis.

Fulco II. Marchio Estensis.

Fulco III. Marchio Estensis.

Obizo V. Marchio Estensis.

Azo VIII. Marchio Estensis.

Aldobrandinus II. Marchio Estensis. — Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

B. BEATRIX Uxor Andreæ II. Regis Ungar. — Albertus I. Imp. Austriacus.

Stephanus Posthumus.

Andreas III. Rex Hungariæ, Uxor — Agnes Austriaca.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 23. Julij. Joan. Bap. Pign. Chr. Atteſtin. Arnold. Wion.

TErnas Atteſtina ſive Eſtenſis familia Beatrices Beatis adſcriptas numerat, quarum iſta Aldobrandini Principis filia, Andreæ II. Hungarorum Regis lectiſſima conjunx, inſignis formæ & pudicitiæ fœmina, cùm ut generoſo erat animo, à morte mariti Regis nulli eo inferiori nubere in animum induxiſſet, Regum Regis intaminatiſſimum amorem ſedulò exambijt, & in eodem, quo cognata ejusdem nominis BEATRIX Abbatiſſam egerat, & mirâ effulſerat ſanctitate, Cœnobio Gemmulæ Monaſticen profeſſa, in magna deinceps animi demiſſione vitam transegit. Effulſit hoc rariſſimum ſanctitatis exemplar & ſpeculum Anno Chriſtianæ ſalutis 1239. ejúsque natalis ad 23. Julij refertur in Menologio Benedictino, cum titulo Beatæ. Nos hac die voluimus reponere.

DIE

DIE XXVIII. JULII.

B. VICTOR PAPA II.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Gabrielis Bucelin.

Guntramus II. Comes Habspurgicus. Uxor ——— Itha Calvuensis.

Albertus Comes Calwensis.

Lupoldus Comes Calvuensis.

Albertus Comes Calwensis, Uxor Wiltrudis Habspurgica.

Hartwicus vel Hartmannus Comes Calwensis, Uxor Bitzela Com. ab Egesheim.

Albertus Comes Calwensis. Uxor Wiltrudis Burgundica.

Godefridus Comes Calwensis, Uxor Luitgarda Habspurgica Ducissa Zäringiæ.

Gebhardus Comes, dictus postea VICTOR PAPA II.

Nexus II. ad mentem Henningij & Bucelini.

Attico vel Ethico Dux Alsatiæ & Alemanniæ.

Albericus Dux Alsatiæ.

Luitfridus Dux, Uxor Hiltrudis hæres Habspurgici Comitatûs, sine prole.

Etho Comes Brisgoviæ.

Albericus Comes Leberthall.

Ottobertus Comes, adoptivus ab Hiltrude Comes Habspurgicus.

Bataco Comes Ergoviæ.

Bero Comes Ergoviæ.

Hugo Magnus Comes Ergoviæ.

Hedwigis Uxor Hugonis Comitis ab Egisheim.

Hugo II. Comes ab Egisheim.

Ulricus Comes ab Egesheim.

Bruno Episc. Tullens. dein Leo Papa IV.

Bitzela Uxor Hartwici Comes Calwensis, VICTOR PAPA II.

Acta Synoptica.

Bruſch. in Epiſc. Ger. f. 158.

Ciacon. in Pontif.

Democh. Laz.

Platin. ap. Matth. Rade. Bavar. ſanct. To. 2. fol. 195.

Leo Oſtiē. lib. 2. c. 85.

Baron. To. 11. ad an. 1054. 1057.

Gretſer. in Epiſc. Eyſtetten. f. 447.

GEbhardus Comes Calwenſis, patre Hartwico, matre Bitzella natus, propinqua ſanguinis neceſſitudine Henrico III. Imperatori conjunctus, juvenis quidem ætate, ſed doctrinâ, ſapientiâ, & morum gravitate prudentiſſimis ſenibus comparandus, eligitur in Epiſcopum Eichſtadianum Anno 1042. unanimi totius Collegij Canonicorum conſenſu. Erat apud omnes Imperij proceres in ſumma æſtimatione, ita ut Henricus ejus conſiliis in præcipuis negotijs uteretur: Chuno verò Bavariæ Dux in Pannonias expeditione ſuſcepta, illi totius Bavariæ adminiſtrationem committeret. Præfuit Eccleſiæ Eyſtadianæ cùm inſigni laude annis tredecim. Poſtea cùm 19. Aprilis Anno 1054. mortuus eſſet Romæ Leo Papa IX. Comes de Dachſperg Alſata, & Cardinales miſsâ ad Imperatorem Legatione, alium peterent Pontificem, è ſuo gremio nullum aptum reperientes; nominatus eſt Gebhardus Eyſtettenſis Præſul, ex Epiſcoporum congregatorum voto, quamvis Imperator ægrè conſenſum præbuerit, ut ab aula ſua tantum virum dimitteret. Romam itaque profectus Anno 1055. ibi Cardinalium & populi conſenſu acclamatus Pontifex, & conſecratus, mutato nomine dici voluit VICTOR PAPA II. Præfuit Romanæ Eccleſiæ annis duobus, menſibus tribus, quibus plures urbes & arces ad patrimonium S. Petri ſpectantes recuperavit. Florentiæ convocato Patrum Concilio, reformandis Cleri moribus incubuit. Anno 1056. in Germaniam venit, & Natalem Deiparæ celebravit Goslariæ: ubi cùm Imperator Henricus æger decumberet, impetravit à VICTORE, ut filius Henricus IV. ſucceſſor in Imperio futurus coronaretur. Defunctum deinde Imperatorem die 5. Octobris Spiram devehi, & in ſuâ præſentiâ honorificè voluit ſepeliri. Romam redux, in itinere gravi correptus morbo, die 28. Julij Anni 1057. ſanctè obijt Florentiæ, unde cùm Eyſtettenſes ejus corpus vellent referre in Germaniam, Ravennates id præripuerunt, & ſepultus Ravennæ eſt in ſuburbio ad D. Virginem. Beatæ memoriæ eum appellat Raderus, cui Romani non ſolùm viventi, ſed etiam mortuo ſingularia laudum præconia attribuerint, ut memoria ejus celebris habeatur. Mixtum ei aliquando venenum in calice cùm ſacrificaret, miraculo proditum plures referunt.

Eadem

Eadem DIE XXVIII. JULII.

B. M. SANCIA REGINA HIERUSALEM ET NEAPOLIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Jacobus Rex Majoricæ. Obijt Anno 1302.

|

B. M. SANCTIA Uxor Roberti Boni Regis Hieruſalem & Siciliæ.

|

Carolus Dux Calabriæ. Uxor Catharina Auſtriaca, filia Alberti I. Imperatoris.

Nexus II.

Andreas II. Rex Hungariæ. Uxores

I. Gertrudis Duciſſa Meraniæ.

Bela IV. Rex Hungariæ.

S. Eliſabetha Landgravia Haſſiæ.

Anna Uxor Miecislai Ducis Mazoviæ.

|

Kunegundis Uxor Ottocari Regis Bohemiæ.

|

Wenceslaus Rex Bohemiæ, Uxor Guttha filia Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici.

II. Beatrix Marchioniſſa Eſtenſis.

Violanta Uxor Jacobi Præliatoris, Regis Aragoniæ.

|

Jacobus Rex Maioricæ.

|

B. M. SANCIA Uxor Roberti Regis Hieruſalem, qui fuit frater S. Ludovici Epiſcopi Tholoſani.

Stephanus Poſthum. Rex Hungariæ.

|

Andr. III. Venetus Rex Hungariæ, Uxor Agnes Auſtriaca, filia Alberti I. Imperatoris.

Acta Synoptica.

AB etymo nominis penitùs non deflexit SANCTIA, ad omnem ſemper proclivis ſanctitatem. Multis eam adornat elogiis Waddingus: pauca nos libamus, mariti ejus pariter memores. Robertus SANCTIÆ maritus octennio ante mortem de ſceptro abdicando, & Minorum inſtituto ſuſcipiendo conſilia agitabat: eámque ob cauſam Carolus Hungariæ Rex filium ſuum Andream in Siciliam abduxerat, qui ob remoras incidentes reverſus eſt. Interim Robertus intra Palatium ſuum Sacellum amplum erexit, in quo duodecim Minoritæ divinum perſolvebant penſum, cum quibus ille ſæpiſſimè habitu Religioſo indutus nocte media ad matutinum ſurgens divinum ſolvebat penſum. Sæpius cum conſorte SANCTIA acceſſit ad fundationem conjugis Monaſterium S. Claræ, & ille Fratribus in Refectorio habitu Minoritico indutus, illa Monialibus ſimiliter in earum triclinio veſtita inſervivit. Luc. Wadding. in Annal. Min.

vit. Monaſteria & Eccleſias aliquot fundavit & exſtruxit. Eccleſiam ampliſſimam germano fratri ſuo S. Ludovico Epiſcopo condidit: loca ſancta Hieroſolymorum Fratribus minoribus impetravit, & domicilia ibidem ſtatuit. Octiduo tandem ante mortem habitum Minorum ſuſcepit ex manibus miniſtri Provincialis ſolenni profeſſione emiſſa. Dein perceptis ritè Sacramentis ſpiritum Deo reddidit. Pijſſima ejus conjunx SANCIA marito liberata, ſtatim de Religioſa vita ineunda cogitationes ſuſcepit. Interim anno luctûs durante mariti animæ ſuffragia procurat, Monaſterium S. Magdalenæ quod cœperat, perficit, Xenodochium nobile condit, & plura alia ſanctitatis edit ſpecimina. Tandem luctu finito die 21. Januarij Anno 1344. habitum S. Claræ ſuſcepit ſub prima regula, quam ipſa in Monaſterium Crucis invexerat. Paucis ante ingreſſum diebus facultates regias in pauperes diſtribuit. Veſte ſuſcepta per Miniſtrum Generalem, nomen ſibi imponi voluit Claræ à S. Cruce, & Moniabus præcepit, ne ſe amplius SANCIAM, aut Reginam appellarent. Vixit ſub regula raro humilitatis exemplo annum 1. Menſes 6. dies 7. Erectum eſt illi nobile Mauſolæum cum hoc Epitaphio.

Hic jacet ſummæ humilitatis exemplar, corpus venerabilis memoriæ ſanctæ ſororis S. Claræ, olim Dominæ SANCIÆ *Reginæ Hieruſalem & Siciliæ, relictæ claræ memoriæ Sereniſſimi Domini Roberti Hieruſalem & Siciliæ Regis, quæ poſt obitum ejusdem Regis viri ſui, agens viduitatis debitæ annum, deinde tranſitoria cum æternis commutans, ac induens in ejus corpore pro amore Chriſti voluntariam paupertatem, bonis ſuis omnibus in alimoniam pauperum diſtributis, hoc celebre Monaſterium S. Crucis, opus manuum ſuarum, ſub Ordinis obedientia eſt ingreſſa Anno Domini M. CCC. XLIV. die 21. Jan. XII. Indictione, in quo vitam beatam ducens ſecundùm Regulam B. Franciſci patris pauperum, tandem vitæ ſuæ terminum religiosè conſummavit Anno Domini M. CCC. XLV. die XXVIII. Julij Indict. XIII. Sequenti verò die peractis exequijs tumulatur.* Operæ verò pretium fuerit hic annectere hujus Beatæ memoriæ Reginæ Epiſtolare fragmentum, quo ſuam ipſa deſcripſit Genealogiam. Sic enim ſcribit ad Capitulum Ord. Min. celebratum Aſſiſij Anno 1334. *Venerabilibus Fratribus ac Filijs FF. Minoribus venientibus ad S. Indulgentiam S. Mariæ de antiquitate vocatæ, modò verò appellatæ de Portiuncula, in quo loco communis Pater noſter B. Franciſcus incepit Ordinem &c. Ego* SANCIA *per Dei gratiam Regina Hieruſalem & Siciliæ, humilis filia & ſerva B. Franciſci, ſalutem in JESU Chriſto Crucifixo. Noveritis Fratres, quòd ad hoc fecerit me Dominus naſci in hoc mundo de tali progenie & plantula. ſicut fuit D. Sclaromonda Regina Majoricarum ſanctæ memoriæ, & filia vera B. Franciſci, Domina mater mea, & fecit quòd frater meus primogenitus renuntiavit regno pro amore JESU Chriſti; & fecit ſe filium B. Franciſci, & intravit ordinem ſuum, videlicet Fr. Jacobus de Maioricis, cariſſimus Frater meus, & fecit me eſſe de genere B. Eliſabeth, quæ fuit ita vera & devota filia B. Franciſci, & mater Ordinis ſui, & ſoror germana Dominæ matris patris mei Domini Jacobi Regis Majoricarum bonæ memoriæ, & fecit me habere pro viro Illuſtr. Dn. meum D. Robertum Hieruſalem & Siciliæ Regem, qui fuit filius Dominæ meæ Mariæ Reginæ in dictis regnis, & Hungariæ bonæ memoriæ, & fuit vera filia B. Franciſci, & habuit pro filio B. Ludovicum, qui recuſavit regnum pro amore JESU Chriſti &c. &c. Iſta ego narravi ad hoc, ut videatis, quantum ego teneor & debeo eſſe ſerva tanti Patris,*

tris, & Ordinis sui. Quanto verò zelo divinæ gloriæ ferveret hæc pientissima Regina manifestavit alijs literis ad Capitulum Generale propriâ manu scriptis, in quibus hæc leguntur: *Ego offero me cum toto posse meo ad gubernandos illos, qui vestigia Patris communis nostri & vestri voluerint sequi, usque ad mortem Crucis. Et habeo ad maximam gratiam, si Deus faceret me mori, & esse martyrem pro ista causa,* &c. Post pauca subdit: *Cùm ego sim peccatrix, & insufficiens, & illiterata, & loqui literaliter nesciam, nisi ex gratia Dei & consuetudine, & nihil confidam de me, die Jovis* 18. *Aprilis intravi Capellam parvam juxta Cameram meam in castro novo de Neapoli, ubi benè per tres candelas ante diem clausâ portâ sola cum corpore Christi, quod erat super altari, recommendavi me sibi, & postea incepi scribere, sicut Dominus ipse ministravit mihi sine alicujus consilio humano vel terreno &c.*

quæ ad longum videri possunt in Luca Waddingo scriptore Annalium Ordinis Minorum.

DIE

DIE XXIX. JULII.

B. GERBURGIS ABBATISSA GANDERSHEIMENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Com. Habſpurg.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imper.
	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Ludolphus Dux Saxoniæ.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
B. GERBURGIS Abbatiſſa.	Otto Magnº Dux Saxoniæ Uxor — Luitgarda.	Ludovicus Transmarinus Rex.
	Henricus I. Auceps Imperator	Carolus Dux Lotharingiæ, cujus proneptis, Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo rectâ lineâ hodierni Habſpurgo-Auſtriaci.

Acta Synoptica.

Bucel. Menol. ad 24. Jul. Bruſch. de Monaſt. Germ. Jo. Trithem. Henning. To. 2. Ger. fol. 3.

REflecte oculos in antiquiora ſecula Saxonia, & mutatum colorem optimum ingemiſce. Bruno Saxoniæ Dux Gandersheimenſe Cœnobium exorſus filio Ludolpho aut Luitholpho reliquit, ut ſupremam ei manum imponeret. Fecit ille, quod non tantùm filium pium decuit, ſed quod pium patrem. Abſoluto Cœnobio, tres filias ei dedit inquilinas, quarum prima Hadmuthis cœterarum Antiſtitam egit, altera ſorori in præfectura ſucceſſit GERBURGIS, tanto cum Cœnobij & ſubditarum Virginum fructu, ut toto paulò pòſt orbe Gandershemij felicitas celebraretur. Fulſit Abbatiſſa ſanctiſſima inſigni cùm in vita, tum poſt mortem miraculorum gloriâ, tantúmque eximiæ vitæ exemplo in audientium atque intuentium pectoribus fervorem accendit, ut totas quaſi Principum & Reginarum cohortes, eò pellectas, cœlo lucrata poſt ſe traheret; quibus deinceps Cœnobium illud frequentiſſimum ſemper, uti admirationem apud univerſos concitavit, ſic Principum ſanctarum promptuarium & Regis Regum Gynæcæum appellari meruit. Obijt GERBURGIS Anno 883. aut ſequenti, cùm annis quatuordecim ſacris illis Virginibus ſanctiſſimè curâ, ſolicitudine, verbo, exemplo præfuiſſet. Sanctam appellat Bucelinus, & in 24. hujus menſis diem conjicit ejus natalem.

DIE

DIE XXX. JULII.

B. KUNEGUNDIS seu KINGA REGINA POLONIÆ VIRGO.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. à Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurc.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo serie non interruptâ hodierni Archiduces.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Adelheydis Uxor Boleslai II. Regis Poloniæ.

Casimirus II. Rex Poloniæ.

Lesco Sapiens Rex Poloniæ.

Boleslaus Pudicus Dux Silesiæ.
Uxor Virgo B. KINGA.

Nexus II. immediatus.

Andreas II. Rex Ungariæ.

Bela IV. Rex Ungariæ.

B. KINGA seu Khunegundis, nupta Boleslao Pudico.

Stephanus Posthumus.

Andreas III. Rex Hungariæ. Uxor———

Rudolphus I. Imper. Habspurgicus.

Albertus I. Imp. Austriacus.

Agnes Austriaca.

Acta Synoptica.

Bolland. To. 2. Jan. fol. 897. Idem To. 2. Feb. fol. 215.

HUngariæ Regibus natales ſuos debet KHUNEGUNDIS, quam Hungari & Poloni KINGAM familiari gentis vocabulo appellarunt. Hæc dum Anno 1204. in lucem prodiret, mundum non lugubri fletu, ſed Angelicam vocem imitata ſalutavit articulatim pronuntians *Ave Regina cœlorum.* Infans quartis & ſextis ferijs ſemel tantùm in die ubera ſuxit. Elocata dein Boleslao Pudico Regi an Duci Poloniæ vel Sileſiæ, pari conjugis conſenſu Virginitatem ſervavit. Nam prima nocte nuptiarum induxit ſponſum, ut primo anno ab uſu conjugij abſtineret; quo elapſo ad ſecundum & tertium progreſſa, conſenſum continentiæ obtinuit: hinc Boleslao Pudici cognomentum. Vitam deinde ita inſtituit, ut poſt obitum Sanctis accenſeri meruerit. Viſa etiam aliquando cum cœtero Sanctorum Poloniæ Patronorum cœtu Deiparam comitari, & B. Iſaiam Bonerum Ordinis S. Auguſtini Eremitam moribundum inviſere. Cœtera quæ de ejus virtutibus & miraculis referri hoc loco poſſent, alij ſuppeditabunt ad 24. Julij, quo vitam ejus pollicentur Bollandi in colligendis Sanctorum vitis cooperatores. Sanctam appellant Henninges heterodoxus, & Bollandus in vita B. Iſaiæ, at in vita B. Margaritæ ſororis, Beatam. Nos hac die cœteroqui vacante eam producere voluimus, ut Beatam.

DIE

DIE XXXI. JULII.

S. IGNATIUS LOYOLA SOC. JESU FUNDATOR.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator Romanorum.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico.

Gisla Uxor S. Everardi Ducis Foro-Julienſis.

Berengarius I. Rex Italiæ.

Willa Uxor Adelberti Marchionis Eporediæ.

Berengarius II. Rex Italiæ.

Adelbertus Rex Italiæ.

Otto Gulielmus Comes Burgundiæ.

Reinaldus I. Comes Burgundiæ.

Wilhelmus Comes Burgundiæ.

Raymundus Comes Burgundiæ.

Alphonſus VII. Rex Hiſpaniç.

Ferdinandus II. Rex Legionis.

Alphonſus IX Rex Legionis.

S. Ferdinandus III. Rex Hiſpaniç.

Alphonſus X. Rex Hiſpaniç.

Carolus Calvus Impetator, à quo poſt 6. gradus, Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſputgici.

Ferdinandns I. de la Cerda, Uxor Blanca filia S. Ludovici Regis Galliç.

Ferdinandus II. de la Cerda Uxor Joanna de Lara.

Sancius IV. Rex Hiſpaniç, Uxor Maria filia Alphonſi Infantis Molinç.

Ferdinandus IV. Rex Caſtellç & Legionis, Uxor Conſtantia Luſitana.



Acta Synoptica.

Andr. Brunner, in Faſtis. Jo. Bapt. Maſculus in Encom. Ribaden. in vita. Bartol. in vita.

EX nobili milite Societatis JESU Dux IGNATIUS, animi ſanitatem pedum debet vulneri. A belli flamma, mentis auſpicatus eſt lumen; ab arcis ruina, celſum faſtigium gloriæ; à tetræ motu, conſtantiam; ab ictu bellici tormenti vitam. IGNATI *ante pedes ſupplex tibi procidit orbis*: Ludes in ampliſſima utriusque mundi orcheſtra; & pilam volubilem in quadraturam ſapientiæ formabis. Sed prima cura IGNATIO mundo illudere, vana contemnere, ex librorum lectione mutari in alium. Ad aram Deiparæ Virginis opima ſpolia, militaria arma ſibi detracta ſuſpendere, nec irrito voto, cùm ei Virgo cum filiolo ſpectandam ſe exhibens caſtitatis donum obtinuit. Illa ipſa dictante libellum Aſceticum ſcripſit, quem ne libro integro ſatis laudaveris. Cùm horas Virgineas percurreret, ad arcanum SS. Triados aſpectum admiſſus eſt. Ejusdem Sabbatho extra ſe raptus, nonniſi altero Sabbatho ad corpus redijt. Animarum porrò lucris inhians vir annorum triginta trium, literas diſcere inter Elementarios eſt exorſus, mox ſocios ſcribere, parvas copias, ſed ingens orbi laboranti præſidium, & cui JESUS ipſe propitium Romæ ſe futurum promiſit. Unicum ei ſymbolum fuit, *Major Dei Gloria*. Perquam familiaris illa cum lacrymis vox: *Heu quàm ſordet terra, cùm cœlum aſpicio!* Hoc obtinuit Anno 1556. vir divinis oſtentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Eccleſiæ bono. Nam ſanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio muſæ, proſcriptæ hæreſes, aſſertus DD. & templorum cultus, frequens ſacramentorum uſus, demum uterque orbis illi Chriſto ſubactus, hic ſervatus; & quid-

quid

quid in utroque filij vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne Ignatij eſt opus. De Sodalitatibus Virginis quid dicam? quisquis ex his MARIAM matrem clamas, rectè IGNATIUM patrem dices. Tam latè Societatem adhuc vivens propagavit, ut Marcellus Papa II. dicere auditus ſit: *ſe non legiſſe ulli hominum poſt Apoſtolorum tempora conceſſum fuiſſe à Domino, quod IGNATIO, ut dum viveret, tantum operis, cujus fuiſſet ipſe inſtrumentum, incrementum videret.* De hac Societate ab Ignatio inſtituta judicium fuit Clementis Papæ VIII. quòd ſit *Societas ingeniorum*: quod ſit *Brachium dexterum Eccleſiæ Dei.* Concilium verò Tarraconenſe de ipſo S. IGNATIO agens ait: *Paternam reliquiſſe domum, ut eſſet veras alter Abraham, & Pater multorum Sanctorum, ejúsque in progenie omnes benedicerentur Nationes*: quod ipſum (ſi excipias ſectarios, & paucos livore infectos) certatim omnes nationes, Provinciæ, civitates, ubi hæc benedicta Societas degit, unâ voce acclamant & profitentur. Accinamus & nos cum Lævino Torrentio Antuerpienſium Epiſcopo.

Hiſt. Soc. lib. 15.

Contzen. lib. 8. Polit. cap. 2.

Suar. To. 4. de Relig. lib. 1. c. 7.

Con. Tarracon in Epiſt. ad Clement. Pap. VIII.

O grata cœlo, ſancta Sodalitas!
Rex Regum JESUS nomine quam ſuo
Exornat, illuſtrátque; toto
Ut celebris memoriis orbe.

Læv. Torrent. in Od.

Eadem DIE XXXI. JULII.

S. DENTLINUS PUERULUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childebertus Rex Francorum.
|
Clodoveus I. Chriſtianus Rex.
|
Clotharius Magnus Rex.
|
Blithildis Uxor Ansberti, Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Albericus Dux Franciæ Orientalis,
|
Walbertus I. Dynaſta Arduennæ.
|
Walbertus II. Dynaſta Arduennæ.
|
Walbertus III. Dynaſta Arduennæ.
|
B. Walbertus IV. Comes Hannoniæ.
|
S. Waldetrudis Uxor S. Vincentij Madelgarij.

S. DENTLINUS Puerulus. — S. Landricus Epiſcopus.

Acta Synoptica.

Molanus in Auct. Uſuardi. Theodor. Rhay in illuſt. anim. Cliviæ. Henſche. To. 1. Apr. f. 839.

FIlius hic fuit S. Vincentij Madelgarij Comitis, frater SS. Landrici Epiſcopi, Aldetrudis & Madalbertæ Virginum, quem in pueritia defunctum, & Sanctorum cœtui adnumeratum refert Molanus apud Henſchenium. Lipſana ejus Reſſæ in Clivia aſſervantur, & coli dicitur die 14. Julij. Ob id Theodorus Rhay inter illuſtres animas Cliviæ recenſet matrem ejus S. Waldetrudem: ipſi verò hoc conficit elogium: B. DENTLINUS Confeſſor, rarum ac breve teneræ ætatis miraculum, annis non moribus adoleſcens, gratiâ curationum conſpicuus, ibidem cum S. ſuo patre Vincentio Comite in æde B. Virginis, quam vivens ardenter coluerat, quieſcens.

Finis Menſis Julij in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
AUGUSTUS.
Sive
FERDINANDUS I. IMPAVIDUS
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

SExtilis ab Auguſto nomen Auguſti obtinuit, quòd is hoc menſe primùm Conſul creatus, victorias plures reportaverit, ex Janiculo Legiones deductas in ſuam receperit fidem; quin & Ægyptum in poteſtatem redegerit. Et cur non potiùs à FERDINANDO nomen trahat menſis, qui & ipſe Auguſtus, & Auguſti frater, Auguſti genitor, Auguſtorum avus, proavus, abavus plurimis inclaruit victorijs (quibus Anno 1528. Auguſto menſe crinitum ſidus præluxit) & lunam Ægyptiam Auſtriæ imminentem ſolo nomine fugavit. Una adventantis FERDINANDI fama terrorem incuſſit barbaris copijs, ut poſt viginti irritos Viennæ aſſultus deſideratis ſexaginta Scytharum millibus, præcipiti fugâ repedaverit Solimannus. Non alio igitur nomine inſcribi nobis debet Auguſtus, quàm ſanctitatis & fortitudinis inter Hiſpanos clariſſimo FERDINANDI.

FERDINANDUS I. IMPAVIDUS,

Alterius CAROLI frater, pater alterius:
Ab illo accepit Imperium, quod huic in nepote dedit,
Ut eſſet mutuâ ſerie
Caroli nepos Carolus, Ferdinandi Ferdinandus.
Ab avo ſortitus nomen,
A fratre IMPAVIDI cognomen,
Sed & CATHOLICI ab utroque.
Quæ ut transferret in mores ſuos,
Suo ſe nomine animavit.
FER FERDINANDE
Onus laſſati Atlantis CAROLI, Orbem Imperij
Novus Hercules, ne ruat, ſuccolla:
Auſpicato Tibi à *Ferendo*, inditum eſt nomen.
FER FERDINANDE
Adverſos Fortunæ impetus, per hos fortunande.

Seculo

Seculo *Ferreo*, pectus *Ferreum* oppone:
Nihil quieti debeas, nihil ſorti;
A ferro, ſortitus es nomen.
FER FERDINANDE FERRUM
In exundantem è Scythia barbariem,
In ſuccreſcentem Germaniæ hydram:
Mulctetur hæreſis multiceps.
Qui regi ſceptro nolunt, *ferro* corrigi debent.
Sanè Majorum more
FERDINANDUS
Cœlum aſſiduè ſpectans nova didicit Mathemata.
Notavit errantia Bohemiæ ſidera, & mali ominis
Aſtra, aſteriſcis
Stylo *Ferreo* impreſſis.
Duxit exercitus *Ferreos* in Tyrannum Aſiæ
CHRISTO DUCE:
Et auroram docuit expalleſcere,
An potiùs in cruore proprio erubeſcere.
Aquilas & ſigna
In campum eduxit, quæ interpoſuit
Solem inter & *Lunam*:
Et illicò paſſa *Luna* Eclipſin eſt.
Quid mirum!
Prima lux FERDINANDI fuit Martialis
In ſigno Virginis,
Quæ didicit *Lunam* calcare.
Primus evocavit in Auſtriam novam militiam
JESU SOCIOS
Eodem ſecum in hæreſim præliaturos
Chriſto Duce.
Noverat hos in Tridentino Concilio
Immaculatè Conceptæ Virginis
Propugnatores;
Cui quàm devotus vixerit,
Teſtatur argentea ſtatua,
Quæ illi *Lauros* decerpſit
Laureti.

Harpocrates, quem ſilenti ori admoto digito Deum fecerunt Romani, eique hunc ſacrarunt menſem, plura volentem intercipit, & ſilentium imponit de FERDINANDO: cui vel illud Elogium ſuffecerit, quòd fuerit FERDINANDUS, qui tam amabile nomen Germanæ Auſtriæ inferens, cùm ſeipſum æternare non potuerit, æternari meruerit ipſum nomen. Sed nondum ſol omnis occidit; erit qui referat quod accepit, & poſt occaſum reſtituat Orientem.

CA-

CALENDIS AUGUSTI.

S. ERMENGITHA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, a quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ermenredus Rex Cantiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici certa ſerie.

S. Domneva. | S. ERMENGITHA. | S. Ermenburga. | S. Etheldritha.

Acta Synoptica.

SOlo videtur ſuperſtes nomine, cum titulo ſanctitatis, cœteris Sanctis ſororibus adnumerata. De ſancto parente Ermenredo ſeu Eormredo author vitæ S. Wereburgæ, hoc habet: *Quatuor quoque ſibi filiæ ſanctæ, Domneva, Ermenberga, Ermenburga, &* ERMENGITHA, *velut Paradiſiaci fontis quadrafida emicuêre flumina.* Alia vita MS. pro Ermenberga ſubſtituit Etheldritham, quod videtur eſſe nomen ſyncerius.

Goſcel. Monach. in vita S. Werbur.

Guliel. Cambden. in eadem.

Bolland. To. 1. Feb. fol. 386.

DIE II. AUGUSTI.

S. GERTRUDIS ALDEMBERGENSIS ABBATISSA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imp. Habſpurgicus. — Albertus I. Imper. Auſtriacus. — Agnes Auſtriaca, cujus maritus ——— Andreas III. Rex Hungariæ.

Andreas II. Rex Hungariæ. — Stephanus Poſthumus. — Andreas III. Rex Hungariæ.

S. Eliſabetha Uxor Ludovici Landgravij Haſſiæ. — S. GERTRUDIS Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Maſen. Epit. Añal. Trevir. fol. 470. lib. 16.

Laur. Beyerl. Theat. vit. hum. lit. R. fol. 195.

GERTRUDIS S. Eliſabethæ Landgraviæ Haſſiæ ex Ludovico filia, ſoror Sophiæ Henrico II. Lotharingiæ & Brabantiæ Duci nuptæ, ex quo Landgravij Haſſiæ originem trahunt, à pientiſſima quondam matre Deo in Aldenbergenſi juxta Haſſiam Parthenone oblata, & à Chriſtina Magiſtra loci, ad omnem Sanctitatem formata, tandem omnium votis Antiſtitæ munus obire jubetur. Quod tanto non ſacrarum modò rerum, ſed & temporalium profectu adminiſtravit, ut multorum freta liberalitate, templi Cœnobiique amplificandi & illuſtrius exſtruendi curam ſuſceperit, opibúsque ac perſonis auctum, ad florentiſſimum ſtatum, quadraginta novem, quibus præfuit annis, eduxerit. Ex quo nondum hac ætate (ut nuper ſcribit Maſenius) quantumvis totam viciniam hæreſis pervaſerit, prorſus dejectum eſt, ſed velut roſa inter ſpinetum hodiéque ſub cura Præmonſtratenſium Romersdorffiana in extremis Diœceſis Trevirenſis finibus ſubſiſtit. Obijt GERTRUDIS rigidi iſtius cœli flos rariſſimus, dignáque ſanctæ Matris planta, qualis hodie ab Haſſia exſpectari non poſſit, circa Annum 1296. Sanctæ titulo ornatur à Maſenio, Beatæ à Laurentio Beyerlinck.

Eadem

Eadem DIE II. AUGUSTI.

S. GANDEKARUS EPISCOPUS EYSTADIANUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius mperator.

Carolus Calvus Imperator.
Ludovicus Balbus Imperator.
Carolus Simplex Rex.
Ludovicus Transmarinus Rex.
Carolus Dux Lotharingiæ.
Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
Itha Uxor Radapotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos.

Ludovicus Rex Germaniæ.
Carolomannus Rex Bavariæ.
Arnulphus Imperator.
Arnulphus Malus Rex Bavariæ.
Arnulphus Rex Bavariæ.
Bertholdus Palatinus Bavariæ.
Babo I. Comes Schyrenſis.
Otto I. Comes Schyrenſis. Obijt Anno 1040.

Tutta Comitiſſa Naſſovia, cujus maritus
S. GUNDEKARUS Epiſcopus Eyſtadianus, frater Tuttæ Naſſoviæ.

Acta Synoptica.

NAſſoviæ familiæ decus immortale GUNDEKARUS, per ſororem Tuttam Schyrenſibus, per Schyrenſes Habſpurgicis cognatus fuit. Adoleſcentiæ annos impendit literis, & ſacris initiatus Auguſtæ Agnetis Henrici III. conjugis Sacellanum egit, cujus operâ Gebhardo, quem poſtea, Roma ſub Victoris nomine Pontificem habuit, in Eyſtadiano Epiſcopatu ſucceſſit. Ordinationi ejus (ut ipſemet ſcripſit) *interfuit etiam Dominus ejus quartus Henricus Rex, & ejus mater dilecta Agnes Imperatrix Auguſta, cuncta ad ejus Ordinationem neceſſaria diſponens, pro Capellano, quaſi deberet pro filio.* Id anno Chriſti 1057. factum colligere licet, quia natus eſt Anno 1019. & ordinatus Epiſcopus Anno ætatis trigeſimo octavo. Dedicavit in ſuo Pontificatu ædes ſacras & ædiculas, præter altaria centum ſex & viginti, quod vix de alio legere

Bruſch. de Epiſc. Notit. Epiſc. Eyſt.
Gretſer. in Catal. Eyſtettenſ. Epiſc.
Rader. in Bavar. ſancta To 2. fol. 206.

eſt. Enituit in viro ſancto potiſſimùm Chriſtiana modeſtia, & ſumma animi demiſſio, cùm in ſcriptis ſuis ſe non niſi peccatorem appellet. Obijt Anno 1075. quarto nonas ſextiles, condidúsque eſt in Sacello S. Joannis à ſe poſito. Declinavit ipsâ peropportunâ morte ſchisma Henrici IV. quod paulò pòſt erupit. Multa poſt deceſſum & ingentia patravit miracula, quæ libris integris conſcripta ſunt. Teſte Gretſero continuatio libri Gundekariani *continet narrationem de curatis claudis, mutis, ſurdis, cæcis, energumenis, ſeu à Dæmone obſeſſis, paraliticis, nephriticis, ſtrumoſis, mortuis vitæ redditis &c. quin & vino quo ſacra lipſana ablutafuére, & oleo quod inde manavit, multis ſalus obvenit.* In ſecunda eorundem lipſanorum translatione, *Oleum tam de oſſibus, quàm de ſuperiore marmoreo lapide ſepulchri viſibiliter emanavit.* Oleum illud in duobus calicibus diu aſſervatum ad ægrotorum ſalutem notavit Raderus, qui plura de hoc Sancto collegit.

DIE

DIE III. AUGVSTI.

B. CONRADUS ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Henningis.

Betzo Comes Habſpurgicus.

Theodoricus Comes Rhynfeldæ conditor.

Chuno Comes Rhynfeldenſis.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Mathildis Uxor Erneſti Marchionis Auſtriæ. — Agnes Uxor Bertholdi Habſpurgici, Ducis Zäringiæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.

S. Leopoldus Pius Marchio Auſtriæ.

B. CONRADUS Archiepiſcopus Salisburgenſis.

Nexus II. ad mentem Chiffletij.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti Comitis Namurcenſis.

Hadwidis cujus maritus

Prior.	Poſterior.
Chuno Comes Rhynfeldæ.	Gerardus Alſatius Dux Lotharingiæ.
Rudolphus Imperator Rhynfeldæ.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos nunquam interrupta ſerie.
Mathildis, Uxor Erneſti March. Auſtriæ.	Wernerus I. Comes Habſpurgicus.
Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.	Otto Comes Habſpurgicus.
S. Leopoldus Pius Marchio Auſtriæ.	
B. CONRADUS Archiepiſcopus Salisburgenſis.	

Nexus III. ad mentem Pieſpordij.

Henricus Welpho Niger Dux Bav.

Wulphildis, Uxor Rudolphi Com. de Pfullendorff.	Henricus Superbus Dux Bavariæ, cujus Uxor ——	Gertrudis filia Lotharij II. Imperatoris.
Itha Uxor Alberti III. Comitis Habſpurgici, mater Rudolphi I. Imperatoris.		

S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.

Henricus I. Dux Auſtriæ, Uxor Gertrudis Vidua Henr. ſup.	B. CONRADUS Archiepiſc.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 3. Auguſt. Haſelba. in Annal. Auſtr. MS. Chr. Vien. Auth. Fund. Scot. Wigul. Hund. in Metropol. Fugger in ſpec. f. 167. Auth. Phosphori Auſtriaci.

OMnibus titulis, qui in Conradum Auſtriacum confluxerunt, ille præponendus eſt, quo eum antiquitas dignata eſt: *Juſtitiæ defenſor, & pauperum Nutritius.* Fuit S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, B. Ottonis Epiſcopi Eriſingenſis frater Germanus, Henrici IV. Imperatoris frater uterinus, Friderici I. Imperatoris patruus, Henrici V. Imperatoris Sororius, ſed omnes hos ſepoſuit titulos, ut audiret *Juſtitiæ defenſor, & pauperum Nutritius*, adeò utrique ſe impendit virtuti. Monaſticen primò profeſſum & Abbatem fuiſſe in Cœnobio S. Crucis Auſtriæ, refert Bucelinus, de quo ſilent Annales Salisburgenſes. Fundatum eſt Cœnobium S. Crucis Anno 1135. CONRADUS filiorum S. Leopoldi poſtremus vix natus fuit ante annum 1120. atque ita quindecim Annorum fuiſſet ingreſſus Monaſterium, ſed vix functus officio Abbatis. Epiſcopatum Paſſavienſem adijt Anno 1146. quo fortè agebat annum 26. vel ut proinde meritò dubites, an Monachus fuerit, præſertim cùm veterum Annales, quorum aliquot legi, nihil ejusmodi de eo referant. Ut ut verò id ſe habeat; CONRADUS certè in Epiſcopali dignitate conſtitutus inſignem animi integritatem, & zelum oſtendit, præfuítque illi Eccleſiæ magno cum fructu annis ſexdecim. Inde poſtulatus ad Cathredam Salisburgenſem Anno, ut putat Haſelbachius 1164. qua ratione Paſſavij ſediſſet 18. annis.

In

In hiſce munijs æternâ memoriâ nomen ſuum Eccleſiæ Romanæ commendavit, cùm carnem & ſanguinem minimè reſpiciens, Friderico I. Imperatori fratris ſui uterini filio non ſine maximo diſcrimine in faciem reſtitit, læſæ Pontificiæ ſanctitatis reum publicè objurgavit, quòd inveſtituras Præſulum ſibi ſacrilegè arrogaret. Xenodochium S. Ægidij Paſſavienſe magnificè dotavit, Canonicis aream, & hortos ſpatioſiores attribuit, & plura alia egit, quæ ſanctum & vigilantem Antiſtitem commendare ſolent. Salisburgenſem Cathredram non toto quinquennio tenuit, quò Admontenſe Styriæ Cœnobium auxit, in quo etiam Anno 1168. mortuus, & ſepulturæ mandatus eſt die 3. Auguſti, ut habet Bucelinus, ſed apud alios 4. Cal. Octobris. Author Fundationis Scotenſis Anno 1167. defunctum & ſepultum aſſerit in Cœnobio Admontenſi hac addita laude: *Adhæſit Sedi Apoſtolicæ conſtanter, & ob id Fridericum I. Cæſarem minùs faventem habuit.* Beati titulo eum honorat Bucelinus.

DIE

Eadem DIE III. AUGUSTI.

VEN. ANNA JULIANA ARCHI-DUX AUSTRIÆ.

Ferdinandi Tyrolenſium Principis Vidua.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

Albertus I. Imperator Habſpurgicus.

Albertus Sapiens Dux Auſtriæ.

Leopoldus Probus Dux Auſtriæ.

Erneſtus Archi-Dux Auſtriæ.

Fridericus IV. Imperator Auſtriacus.

Maximilianus I. Imperator Auſtriacus.

Philippus I. Auſtriacus Rex Hiſpaniarum.

Ferdinandus I. Auſtriacus Imperator.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Ludovicus Dux Bavariæ Imperator.

Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ.

Joannes Dux Bavariæ.

Erneſtus Dux Bavariæ.

Albertus Pius Dux Bavariæ.

Margareta Uxor Friderici Gonzagæ Marchionis Mantuæ.

Franciſcus Gonzaga Marchio Mantuæ.

Fridericus Gonzaga primus Dux Mantuæ.

Eleonora, cujus maritus — Gulielmus Gonzaga Dux Mantuæ.

Ferdinandus Archi-Dux Princeps Tyrolenſis, cujus Uxor — Ven. ANNA JULIANA, aliàs Catharina,

Anna Uxor Matthiæ Archi-Ducis Imperatoris.

Acta Synoptica.

Lequile Piet. Auſtr. Parte 4. Excurſu 7. fol. 363.

Joſeph. Maria Barchi in vita.

NAta eſt hæc Heroina Anno 1566. die 17. Januarij, educata in domo paterna usque ad annum ætatis decimum quartum, vel ut vitæ Author ponit, decimum ſextum: nupta deinde Ferdinando Archi-Duci Tyrolenſium Principi Anno 1580. vel uti vitæ author 1582. Eo defuncto per annos 26. Provinciam rexit, ſolitariam nihilominus vitam agens, plus cum Deo, quàm hominibus converſari ſolita. Multi eam Principes ambierunt conjugem, ſed illa omnium thoros caſtitati viduali poſthabuit. Vitam ejus quatuor libris complexus fertur Confeſſarius F. Joſeph Maria Barchi Servita, quam mihi videre non licuit. Ea quæ Didacus Lequile inſinuat, obiter attingo.

tingo. *Fuit mulier cujus membrorum pulchritudinem Sol & Luna per totam ferè Europam admirantes, ab omnibus magnis Principibus in conjugem optabatur. Mulier ab ipſis penè incunabilis matre ſibi regulâ & exemplum, Spiritu Dei, virtutibus Chriſtianis, exercitijs pijs apud Clariſſas Mantuæ imbuta: Mulier ſanctè educata, ſanctè patruo ſuo* (reſcribe avunculo) *qui per eam in rebus ſpiritualibus multum profecit juncta; ſanctè in gubernio reperta, ſanctiſſimè tandem obijt in Domino, Mater & inſtauratrix in Germania Tertij Ordinis Servorum B. MARIÆ, cujus etiam habitum induit filia ſecundo genita Maria, & ſub eo ſanctè vixit, & exceſſit &c. Admiranda de Archi-Duce ANNA JULIANA* (quæ in baptismo dicta fuit Anna Catharina) *poſſunt legi in volumine ejus vitæ &c.* Ad ſuperos evolavit Anno 1621. die 3. Auguſti. ætatis anno 55. menſe 6. die 10. Virgo vixit (ut vitæ author computat) annos 15. menſes 3. dies 21. Cohabitavit marito annos 14. menſ. 8. dies 10. Vidua & Principum nuptiarum contemptix annos 17. menſes 5. dies 5. vitam religioſam exercuit annis 9. menſe 1. diebus 2. Non erat nobis tanta virtus prætereunda ſilentio, de qua Lequile aſſeruit: *Non abſque ſanctitatis fama extinctam.*

DIE IV. AUGUSTI.

S. ETHELDRITHA REGINA

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Iverſa eſt hæc Etheldrita ab aliâ ejusdem nominis, de quâ egimus ad diem 23. Junij. Hæc junior nata patre Offa Rege Merciorum, ab ijsdem progenitoribus deſcendente cum Wulphero, cui S. Ermenilda nupta fuit. Proinde æquè ac Wulpherus ex Regibus Francorum ſanguinem participavit Offa, & ejus filia ETHELDRITHA.

Acta Synoptica.

Bucel. Menol. hac die Cæſ. Heiſterbac.

DEſponſata fuit S. Ethelberto vel Ethelbrichto Regi, non Regi Cantiorum, cujus Uxor Adilbertha filia Chariberti Regis Pariſiorum, ſed Ethelberto, ut arbitror illius Ethelberti pronepoti, qui cum fratre S. Ethelredo innocenter jugulatus, colitur die 17. Octobris. Nam Bucelinus de hac ſancta ETHELDRITA agens ait: *Sancto Ethelberto Regi deſponſata, eo cum triumpho Martyris ad regnum æternitatis feliciſſimæ evocato, nihil prius quàm diadematis faſtidium habuit, Incluſorum amplexa Inſtitutum.* Quod quidem in Croylandenſi Cœnobio aſſequuta eſt, ad mortem usque perpetuo carnis triumpho illuſtriſſima. De ejus obitu inaudiens Witlafius Rex, tantâ doloris vehementiâ obrutus eſt, ut longo tempore lecto decubuerit. Divinâ dein gratiâ convaleſcens ad tumulum Regiæ Virginis, quaſi exſtaſim paſſus, recuperato ſpiritu totus lacrymis diffluxit, donec Siwardus Abbas, quem Patrem ſuum appellare ſolebat, ſeveriùs correptum & invitum à tumulo abſtraxit. Qui deinde ipſo anno defunctum filium ſuum Wimundum Principem ad latus Virginis dextrum, & mox etiam defunctam Celfredam Reginam conjugem ad latus ſiniſtrum ETHELDRITHÆ ſepeliri voluit. Claruit Regia Virgo circa annum Chriſti 800. qui pater ejus Offa obijt 794.

DIE

DIE V. AUGUSTI.

S. ALBRICUS EPISCOPUS ULTRAIECTINUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Chilpericus Rex.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſeliani, à quo Carolingi & Habſpurgici indubitata ſerie.

Clotharius II. Rex.

Dagobertus Magnus Rex.

S. Sigebertus Rex.

Dagobertus II. Junior Rex.

Adela Uxor Albrici Ducis.

N. Dux, cujus Uxor N.

S. Gregorius Adminiſtrator Ultrajectinus.

S. ALBRICUS Epiſcopus Ultrajectinus.

Boll. To. 3. Mart. Exegeſ. prælim. fol. 13.

Alij faciunt Adelam Uxorem mariti Anonymi matrem Albrici Ducis.

Acta Synoptica.

ALBRICUS ex ſtirpe S. Gregorij Ultrajectini Adminiſtratoris, ex aliquo fratrum ejus originem trahens, nepos & Succeſſor Gregorij celebratur in vita S. Ludgeri, ab ipſo ad omnem formati virtutem. Adolevit ſub diſciplina Gregorij, cui totam domûs ſuæ curam committebat. Ægrotante illo profectus in Italiam, magna in perturbatione reliquit amicos, ne Gregorij tranſitum negligeret. Sed ſanctus Præſul præſcius ejus adventûs: Nolite timere, inquiebat: Non tranſibo, antequam ipſe veniat. Appellatur in ejus vita: *Electus filius* ALBRICUS, *in quo totius domus ſpes magna incubuit.* Defuncto, cùm triduo antè redijſſet, in Epiſcopali munere ſuffectus, Ludgerum nuper condiſcipulum, mox chariſſimum habuit diſcipulum, ſingulari eum charitate amplectens: unde & eum Epiſcopalis curæ adjutorem aſſumpſit, quem tunc ordinari voluit Presbyterum, cùm ipſe Coloniæ Epiſcopus conſecraretur. Curam Monaſterij Trajectenſis ita diſpoſuit, ut adſcitis adjutoribus illud gubernaret. Ipſe verno tempore præerat, æſtate Athalgerus, hyeme Thiatbertus, autumno autem S. Ludgerus. Inter has curas etiam ad vicinas Provin-

Brouv. in Syder. vita S. Gregorij & S. Ludg. fol. 26. & 40.

Bolland. To. 1. Febr. f. 232. 6. & To. 3. Mart. Proleg. & To. 3. Apr. Exegeſ. præliminari.

Gualter. de Epiſc. f. 1529.

Bucel. P. 1. Germ. de Epiſc. f. 60.

cias ſuam intendit ſolicitudinem, miſſo eodem Ludgero in Friſiam cum alijs ſocijs, quorum operâ effectum, ut barbari Pagani poſitâ nativâ feritate ultrò concurrerent ad conſringenda idola, diruenda delubra. Inventum verò in ſanis aurum & argentum magnâ copiâ ALBRICUS in Regis ærarium intulit, accipiens & ipſe, præcipiente Carolo, portionem ex eo, quam ſacris uſibus impendit. Claruit vir ſanctus circa Annum Domini 786. Plura de eo ſuggerent alij: hæc decerpta ſunt ex vitis S. Gregorij & S. Ludgeri. Bollandus ejus Natalem refert ad 14. Novembris. Gualterius Adelbertum vocat, & opinatur fuiſſe Anglum natione, quod Brouverus refutat. Sediſſe fertur decennio, & Anno 794. in Eccleſia Salvatoris ſepultus.

Eadem DIE V. AUGUSTI.

B. M. GERTRUDIS REGINA BOHEMIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.
Carolomannus Rex Bavariæ.
Arnulphus Imperator.
Luitgarda Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.
Henricus I. Auceps Imperator.
Otto I. Imperator. — Gerberga, cujus Maritus
Luitbaldus Dux Sueviæ.
Otto Dux Sueviæ.
Henricus Dux Sueviæ.
Conradus Saliquus Imperator, cujus Uxor

Carolus Calvus Imperator.
Ludovicus Balbus Imperator.
Carolus Simplex Rex Francorum.
Ludovicus Transmarinus Rex Francorum.
Mathildis Uxor Conradi Regis Burgund.
Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.
Giſela filia Hermanni ex Gerberga.

Henricus III. Imperator.
Henricus IV. Imperator.
Agnes Uxor

I. Friderici Com. ab Hohenſtauffen.
Conradus III. Imperator.

II. S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ.
B. M. GERTRUDIS Uxor Uladislai II. Regis Bohemiæ.

B. M. Hedwigis. B. Agnes. Primislaus Ottocarus Rex Bohem. B. M. Margareta. B. M. Wladislaus Marchio Moraviæ.

Alios nexus vide in S. Wenceslao 28. Sept. in S. Leopoldo 15. Nov. & alibi.

Acta Synoptica.

Pulkava in hiſt. Bohem. Weleslau. in Calend. ad 25. Jun. Lupac. in Calend. Hagek in hiſt. Boh. Fundat. Scot. Vien. Haſelbac. Auſtr. Balbin. Epitom. rer. Bohem. lib. 3. cap. 9. & 13. Mortuar. Doxan. Cœnob. MS.

GERTRUDIS patre S. Leopoldo Marchione Auſtriæ, matre Agnete Vidua Friderici Comitis ab Hohenſtauffen progenita, fratrem uterinum habuit Conradum III. Imperatorem, ex cujus conſilio in thalamum Wladislai II. Regis Bohemiæ conceſſit, eique copioſam prolem, & quidem majori ex parte ſanctitatis famâ illuſtrem peperit. Ejus inſtinctu, adnitente etiam B. Henrico Zdik Pragenſi Epiſcopo, maritus Wladislaus Anno 1143. Strahovienſe Cœnobium magnis opibus pro Canonicis Præmonſtratenſis Ordinis fundavit. Sequenti porrò mox Anno ipſa GERTRUDIS Doxanenſe pro ſacris ejusdem inſtituti Virginibus ſtatuit. Pia hæc Principum liberalitas ſuo non caruit præmio. Nam Anno 1145. in altari Aſſumptæ in cœlos Dei Matris in Eccleſia Pragenſi Beatiſſima Virgo regio cultu *Redæ* Sacerdoti Regio, dum ſacra facit, videndam ſe obtulit, cúmque à ſe principes ſalutari juſſiſſet, ſimul locum Giloniæ in certa fodina deſcripſit, ubi ingens auri puriſſimi vis excreviſſet. Reperti ſunt *Redæ* indicio quatuor & viginti auri probatiſſimi centenarij. Neque hic piorum Principum liberalitas conſtitit, qui ſe ſe Deo ad Beneficentiam provocari beneficijs ſentiebant. Unde Anno 1146. eadem GERTRUDIS Virginibus S. Benedicti Cœnobium Teplicenſe ad Thermas excitavit (ubi nunc arx viſitur) & ipſum ditiſſimum: rurſusq; eodem Anno ab homine ruſtico Wnadek nomine non procul Teplicio Krupnenſes ſtanni fodinæ ſunt repertæ. Laudat hanc reginam Balbinus, & inter Beatæ memoriæ heroinas Bohemicas recenſet: aitque fato functam 1151. die 25. Junij. Alibi tamen ex Calendario Doxanenſi ponit ejus diem obitus 5. Auguſti. Sepulturam nacta eſt in Strahovienſi Cœnobio. Errat verò Joannes Crato in Tabula Genealogica præfixa hiſtoriæ Dubravij, cùm poſuit Gertrudem filiam Conradi Imperatoris, cujus ſoror uterina fuit, ut alij authores habent.

Eadem DIE VI. AUGUSTI.

S. OSWALDUS REX DEIRORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

S. Ethelburga, cujus maritus

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Alla Rex Northanymbrorum.

S. Edwinus Rex Northanymbr.

Acca Uxor Ethelfridi Regis.

S. OSWALDUS Rex Deirorum.

Acta Synoptica.

PUrpuram qui bis tingunt, etiam OSWALDUM laudabunt Angliæ Regem, qui suam suo iterum sanguine tinxit. Dubium planè reliquit, an Christi hostes vicerit, an ab his deinde victus sit glorioſiùs. Pugnaturus parvâ manu contra ingentes Britonum copias, trophæum ausus est ante victoriam ponere Crucem, quam adorasse illi cum suis, viciſſe fuit. Abhinc regni Christiani proferendi cupidissimus, dignum Rege munus est arbitratus. Pium animum illud prodit, quòd sub solennes Paschatis dies, non modò, qui mensæ illati erant, cibos, sed ipsam etiam argenteam lancem in frusta cedere, & absumi à rogatoribus voluerit. Aidanus Episcopus, quem tum mensæ adhibuerat OSWALDUS, tam benignam manum amplexatus atque exoſculatus, fertur jussisse, ne unquam exinde putresceret. Et parere hæc visa est, cùm cæso sub annum 652. à Barbaris Domino, loco infami unà cum capite suspensa annum integrum, uti & deinceps, perduravit. Ipse OSWALDUS, tunc quoque cùm in acie occumberet, supinis pro more in cœlum manibus orare in genibus deprehensus est, eodémque loco ad hominis altitudinem egesta humus omnes morbos vicit, ut vel ideò voluisse illic cadere OSWALDUS videatur, quo ægri plures inde surgerent. Colitur die 5. Augusti, nos unica die subsequimur.

Andr. Brunner. in fastis. Sur. in vit. Fran. Haræ. in vita. Beda lib. 3. hist. Anglor.

DIE

DIE VII. AUGUSTI.

B. PRAXEDES AUGUSTA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.

Ermingardis Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator, cujus Uxor B. PRAXEDES Auguſta.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermengardis Uxor Alberti Com. Namurc.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Com. Habſpurgici, à quo hodierni Archi-Duces nunquam interrupta ſerie.

Acta Synoptica.

Bucel. Ménol. ad 6. Aug. Arnol. Wion. in ligno vit. Alb. Abbas Sraden. To. 2. SS.

PRAXEDES Jaroslai Ruthenorum ſeu Ruſſorum Principis filia, Henrici IV. Imperatoris thoro adlecta, cùm eſſet Romanæ Eccleſiæ addictiſſima, ejusdem verò perſecutor maritus, omni ab eo contumeliarum genere & ludibrio afficiebatur. Quare in Italiam ſecedens, ſuaſu Urbani Papæ II. æterni potiùs Regis, quàm mortalis & flagitioſi amorem exambiens, in patriam ſuam Ruſſiam reverſa eſt, ubi ſe totam Deo in Campenſi Cœnobio conſecravit. Experta autem non multò pòſt ſervitutis Chriſti dulcedinem, de virtute in virtutem ſummâ ſpiritus alacritate progreſſa, ſacro velo longè auguſtiùs quàm purpurâ exſplenduit, adeò ut & virginibus cœteris præfici, & poſt obitum Sanctorum albo adſcribi meruerit. Claruit Anno 1093. Beatam appellat Bucelinus, & diem ejus natalem aſſignat 6. Auguſti. Arnoldus Wion Sanctorum Catalogo illatam teſtatur.

DIE

DIE VIII. AUGUSTI.

VEN. ADALBERO EPICOPUS WORMATIENSIS.

Habſpurgo - Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Pieſpordij.

Betzo Comes Habſpurgicus Guntrami II. filius.

Rapato Comes Habſpurgi, Uxor Itha Lotharinga.

Theodoricus Comes Rhynfeldæ Conditor.

Chuno Comes Rhynfeldenſis.

Ven. ADALBERO Epiſc. Wormat.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Nexus II. ad mentem Chiffletij.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum, Caroli Magni atnepos.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor I. Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ. II. Chunonis Comitis Rhynfeldenſis.

Ven. ADALBERO Epiſcopus Wormatienſis.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo omnes alij usque ad hodiernos Archi-Duces.

Acta Synoptica.

RHynfeldenſium Comitum Illuſtriſſimâ proſapiâ natus ADALBERO, patrem habuit Chunonem, fratrem Rudolphum ex Comite Rhynfeldenſi Imperatorem. Sed contemptu rerum mundanarum longè glorioſior, pauperibus Chriſti accenſeri voluit, & in D. Galli Helvetiæ Archiſtetio Monaſticen amplexus, eâ effulſit vitæ dignitate, ut inde demum extrahi, & ad Bucel. Menol. ad 6. Auguſti.

& ad Cathedram Wormatienſem evehi meruerit. Fertur fuiſſe obeſo & grandi corpore, ſed ſobriâ admodum mente, & ſanctitate vitæ conſpicuus. Præfuit Eccleſiæ ſuæ ſolo quinquennio, ſumma cum fidelium utilitate, zelo Apoſtolico, non ſolùm verbo, ſed & exemplo oves ſibi creditas lucrari ſatagens. Vivere deſijt Anno 1070. & hoc Epitaphio honoratus eſt:

Firmus ADALBERO, *ſyncero pectore cives*
Vangiones docuit, corde tenere fidem.
Sic ſe curavit, populi ſic pectora pavit,
Ut ſuperi moriens iret ad aſtra poli.

Refert eum Bucelinus die 6. Auguſti, cum titulo Venerabilis, nos hac die cœteroqui vacante.

DIE IX. AUGUSTI.

B. OTTHO SCHYRENSIS, DYNASTA RIETENBURGICUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Itha Uxor S. Leopoldi Marchionis Austriæ.

Bertha Uxor Henrici II. Burggravij Ratisbonensis, ex Schyrensibus Comit. in Rietenburg.

B. OTTHO Comes Rietenburgicus.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, magna avia omnium Habspurgo-Austriacorum.

Alios nexus vide in S. Leybrigo 24. Junij, in B. Conrado Archiepiscopo Salisburgensi die 31. Decemb. Et alijs Schyrensibus.

Acta Synoptica.

Rader. To. 2. Bav. ſanctæ fol. 252.

Hund. lib. Stemmat. Bav.

Wolffg. Selender. ap. Rader.

MSS. S. Emerammi Ratisb.

NObiliſſima fuit Rietenburgenſium familia, quæ nomen ab caſtro, oppido, & præfectura ad flumen Alemannum traxit, & potentiſſimos aluit Dynaſtas, qui longè latéque per Auſtriam, Voitlandiam, Franconiam, Boiariam dominabantur, magnâque in Deum pietate ferebantur, adeò ut tres meritò poſſint inter Divos ac Beatos recenſeri, duo ſcilicet Henrici, de quibus alibi agimus, & hic OTTHO poſtremus ſtirpis, præter alios ſub nomenclatura Schyrenſium memorandos. OTTHO igitur Rietenburgicus, omnibus rebus humanis Deo cœlóque poſthabitis, ultimam paupertatem conſectatus, Monachum in Walderbacenſi contubernio majorum ſuorum fundatione induit, & inter principes virtutes ſemper coluit omnium rerum contemptum, inter quas & ſeipſum in primis poſuit. Tunicam ergo, quam unicam duntaxat geſtabat, poſuit nunquam, lavit nunquam, nunquam mutavit. Sic enim vetera de illo monimenta: *Beatus OTTHO junior & ultimus Comes de Rietenburg ex ſorte hæreditariæ partis, quæ ipſi contigit, volens in terram viventium potiùs dirigere portionem ſuam, Monachus factus eſt in Monaſterio Walderbach, pauper factus ex divite, Chriſtum pauperem complexus, plus cæteris fratribus in gazophylacium Domini miſit; illi ſua, hic ſe totum propter Deum dedit. Inter alia devotionis ſtudia eam fertur conſuetudinem habuiſſe, quòd ſola tunica & cuculla (quam in vigilia omnium Sanctorum induit) uſus, & contentus toto anno, ut nec propter lavare ipſas res, nec propter aliud ſui commodum, ea vel ad momentum deponeret, aut mutaret.*

Hæc ex MS. Codice Bibliothecæ S. Emerammi Ratisbonæ. Diem Natalem ejus hic repono, quia non reperio alibi conſignatum.

DIE

DIE X. AUGUSTI.

S. CEOLULPHUS REX NORDHANYMBRORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacis.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio derivat Habspurgicos.
- Charibertus Rex Parisiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.
      - S. Eanfleda Uxor S. Oswij Regis Deirorum.
        - Alfridus Rex Nordhumbriæ, Uxor — S. Khutburga.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & ex his Habspurgici.
  - Ceobaldus (aliis Cutha) Rex Saxonum Occidentalium.
    - Kenredus R. West-Saxonum.
      - S. CEOLULPHUS Nordhany.
    - S. Ina Rex West-Saxon.

Acta Synoptica.

REgnum Nordhumbriæ biennio administravit Kenredus: post eum annis undecim Osricus, qui moriturus antecessoris sui Kenredi fratrem CEOLULPHUM hæredem scripsit. Fuit verò CEOLULPHUS rerum humanarum juxta & divinarum eruditione excultus, cui venerabilis Beda suam inscripsit historiam, non solùm lectionis gratiâ, sed & censuræ & approbationis. Sedit ad clavum regni octennio, & evolvendo majorum gesta, sensim mutatus in alium, Christi liberam servitutem ambire cœpit. Quare sceptro & corona abjectis, Egberto patrueli commendato regno, purpuram exutus in Lindisfarnensi Cœnobio Monasticam vitam amplectens, humilitate magis quàm anteà regni potentiâ & splendore enituit. Tandem multis clarus virtutibus in cœlum migravit. Id accidisse Anno 764. scribunt Hovedenus, & uno in loco Bucelinus: at verò Wigornienſis & Westmonasterienſis Anno 739. quod verosimilius existimo, cùm nepos ejus Ina ultra annum 728. non pervenerit. De eo paucis Malmesburienſis: Quantà meritorum gratiâ conversatus sit, testatur celebris juxta B. Cuthbertum sepultura, & multa supernè demissa oracula. Diem ejus natalem 15. Januarij consignant Hugo Menardus, & Wilsonus, quos sequitur Bollandus. In priore editione Martyrologij Anglicani adscriptus est 14. Martij. Bucelinus bis eum refert, die videlicet 10. Augusti, uti & nos: & rursum 11. Decemb. Plura de eo collecta invenies apud Bollandum.

Wigorn. ad an. 729. Harpsfel. sec. 8. cap. 21. Beda in Dedic. hist. Angl. Eduard. Maihev. Hoved. ap. Bucel. in Menol. ad 10. Aug. & 11. Dec. Menard. in Martyr. Bened. Wilsonus Malmesburien. ap. Bolland. To. 1 Jan. f. 1081.

Eadem DIE X. AUGUSTI.

S. HERLINDIS ABBATISSA REGENSPERGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Rex.

|

Carolus Simplex Rex.

|

Ludovicus Transmarinus Rex.

Hilla ſeu Hildegardis Uxor Theodorici II. Comitis Hollandiæ.

|

S. HERLINDIS Abbatiſſa, alijs dicta S. Gerliva.

Carolus Dux Lotharingiæ.

|

Ermengardis Comitiſſa Namurcenſis.

|

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.

|

Itha Lotharingia, Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos usque Archi-Duces.

Acta Synoptica.

Gualter. de Epiſc. f. 1455. Henning. Germ. P. 1. f. 143.

HERLINDEM natam Comitiſſam Hollandiæ, ſororem S. Egkberti Archi-Præſulis Trevirenſis, teſtantur Gualterus & Henninges, & Sanctis adſcriptam memorant. Henninges inſuper Abbatiſſam fuiſſe Regenſpergenſem affirmat. Acta verò ejus neuter producit. Fuit & alia hujus nominis S. HERLINDIS Maſacenſis, de quâ nos agimus 14. Octobris, ab hac diverſa. Erit fortè, qui librorum copiâ inſtructior, hujus etiam Sanctæ præclarè geſta in lucem eruet, & pro meritis elogium concinnabit. Sanctam fuiſſe, & Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine propinquam, noſtro intento eſt ſatis.

Hic verò, cùm dies natalis nos lateat, reponere eam placuit.

DIE

DIE XI. AUGUSTI.

S. CHRISTIANA V. ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.	Carolus Calvus Imperator.	
Emirgardis Uxor Regneri Magni Ducis Lothar.	Juditha Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad Radepotonem.	Balduinus II. Comes Flandriæ.	Carolus Simplex Rex.
	Elfleda Uxor Edgari Pacifici Regis Angliæ.	Ludovicus Transmarinus Rex.
	Etheldrudus Rex Angliæ, ex Vulthrida.	Carolus Dux Lotharingiæ.
	Edmundus Ferreum latus Rex Angliæ.	Ermingarda Uxor Alberti I. Namurcenſis.
	Eduardus Princeps Angliæ.	Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij.
	S. CHRISTIANA V. Abbatiſſa.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri.

Acta Synoptica.

HÆc Eduardi Angliæ hæredis & Principis filia, Edmundi II. Regis neptis, patre à Canuto Daniæ Rege regno pulſo & in exilium relegato, digniſſimo terreni Principatus & connubij faſtidio cum Agatha matre, quæ Salomonis Hungariæ Regis filia fuit, Cœnobium Wintonienſe ingreſſa, Chriſto Regum Regi Virginitatem ſuam conſecravit, ejúsque gratiam ſibi heroicis virtutum actibus demereri ſtuduit. Non multò poſt ob vitæ ſanctiſſimè actæ merita, communi Sanctimonialium voto Abbatiſſa electa, cùm easdem in timore Domini, & obſervantia Regulari aliquot annis ſtrenuè gubernaſſet, non ſine opinione inſignis ſanctimoniæ migravit è ſeculo ſub Annum Chriſti 1100. Natalem ejus ad diem 11. Auguſti cum titulo Sanctæ repoſuit Bucelinus. Bucel. Menol. ad 11. Aug. Matthæ. Weſt. Monaſter. Matth. Paris. Maiheuv. Wion. & alij.

DIE

DIE XII. AVGVSTI.

S. AGUILBERTA ABBATISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

FUit ex Regio Francorum sanguine, cognata Clodoveo II. Regi, & filijs, ut asserit Bucelinus, quibus verò majoribus, restat alijs inquirendum. Interim fragmen apponimus.

N. Princeps è Francorum Regum stirpe.

Bucelin. ad 12. Aug. & 9. Dec. & 10. Oct.

- S. Balda Abbatissa.
- Belfridus seu Bertho Princeps, Uxor Agia.
  - S. Teutechildis.
- Abobinus Princeps, Uxor Pientia ex Regia stirpe.
  - S. AGUILBERTA.
  - S. Ebregisilus Episcopus Meldensis.
- Moda Uxor S. Autharij.

Acta Synoptica.

Bucel. in Menol. ad 12. Aug. Hugo Menard. Brev. prop. Jotrense.

JOtrense Monasterium AGUILBERTA incoluit. Hæc è Regia Francorum stirpe oriunda Abobinum, & Pientiam Principes parentes habuit, germanum S. Ebregisilum Episcopum Meldensem, cujus sanctitatem æmulata & assecuta est. Excelluit insigni honorum & delitiarum contemptu, ijsque meritis spectata fuit, ut dignissima haberetur quæ Regij Cœnobij Jotrensis Abbatissa in ordine secunda eligeretur. Quanta autem fuerit ejus vitæ Sanctitas, vel inde satis liquet, quòd ejus fama Regna diversissima, Galliæ præsertim & Britanniæ impleret, quâ excitæ Reginæ duæ potentissimæ, aliæque Principes honores rejicerent, & ad tantæ magistræ pedes convolarent, ab ore & imperijs ejus suspensæ hærerent, atque admiranda vitæ Sanctitate orbem illustrarent, cœlum recrearent. Floruit temporibus Clodovei II. & Regum filiorum suorum cognatorum.

Eadem

Eadem DIE XII. AUGUSTI.

B. M. WLADISLAUS MARCHIO MORAVIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Henricus I. Auceps Imperator, cujus majores à Carolo M. vide in B. M. Gertrude Regina Bohemiæ 5. Augusti.

Otto I. Imperator.

Gerberga Uxor Ludovici Transmarini Regis Francor.

Luitbaldus Dux Sueviæ.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgund.

Otto Dux Sueviæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Henricus Dux Sueviæ.

Conradus Saliquus Imperator, Uxor ——— Gisela Ducissa Sueviæ.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor S. Leopoldi Marchionis Austriæ.

Gertrudis Uxor Uladislai Ottocari Regis Bohemiæ.

B. M. WLADISLAUS Marchio Moraviæ.

Przemislaus Ottocarus Rex Bohemiæ, cujus filio Wenceslao nupta Gutta Rudolphi I. Imp. filia.

Acta Synoptica.

BRevissimum ejus Elogium paucis verbis exprimit Balbinus, cùm ait: WLADISLAUS Marchio Moraviæ Przemislai Regis frater Welehradensis Cœnobij in honorem Dei Matris fundator, Princeps sanctissimus, qui Regnum sibi à Proceribus oblatum fratri ultrò dedit in manum, de quo Doxanenses memoriæ veteres. 12. *Augusti obijt Beatæ memoriæ* WLADISLAUS *Marchio filius Regis Bohemiæ, qui contulit Cœnobio nostro centum Marcas, & pretiosam Imaginem S. Mariæ pro quinquaginta marcis, omnium spiritualium, viduarum, & pupillorum defensator.* Hæc interim sufficiant, dum plura inquirimus. Balbin. Epito. rer. Bohem. lib. 3. c. 13. fol. 256.

DIE XIII. AUGUSTI.

S. RADEGUNDIS REGINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodoveus I. Chriſtianus Rex Francorum. Uxor S. Clothildis.

|

Clotharius Magnus Rex Francorum. Uxor S. RADEGUNDIS.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & ex his in dubitatâ ſerie Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Andr. Brunn r. in Faſt. Mar. Bucel. Menol. ad 13. Auguſt. Nadaſi Anno Mariano fol. 621. Fortun. Epiſc. in vit. Surius. Franc. Haræ in vit. Renat. Benedict. Baron. in Annal.

SAlve nitiſſimum Francorum lilium, ſic te appellare liceat, Regina Diva, ſalve in horto Eccleſiæ Princeps ornamentum. Regis filia, neptis, Regi nupta, & tamen! ſtupeat ferreum ſeculum mores aureos; mendicabulis famulatur, opobalſama cenſet, quæ alijs ſunt fætor & nauſea. Exeſa ſcabie capita, & quas lingua nominare fugit ultimas ſordes, dignas gemmas putat, quas regiâ manu tractet. Inter deliciaſe ſuriti, inter falerna ſitit; purpuram ſuffulcit cilicio: ſuperbit tergemino torque ſed ferreo, ſed carni nudæ jam innato potiùs, quàm illigato. Parva hæc. Regnum etiam calcat heroina. Ecce aulam Aſceterio, Clotharij lectum Chriſti thalamo permutat. Quid amplius à fœmina ſperes? & tamen neſcio quid ampliùs amor ingenioſus meditatur. Æneam ignitámque ac candentem Chriſti effigiem corpori ſuo apprimit ac inurit, quam pridem inuſſerat cordi. Dum interim Clotharius maritali jure conjugem è Cœnobio retrahere parat, jámque cum Sigeberto filio iter aggreditur, Radegundis datis ad S. Germanum literis, ejus, vi ſermonis adeò Regem à propoſito abſterret, ut prolapſus in genua ab Antiſtite, per hunc à Radegunde veniam peteret. Matura cœlo cœleſtem ſponſum adſtantem videt, nec attonita ſatis dignoſcit, donec ille: *Quid adeò ardens mei deſiderio cum tot lacrymis me oras, & gemebunda requiris, mei cauſa tibimet immitis? Nunquam ego tibi non adſum. Tu gemma nobilis, noveris te in diademate capitis mei, è gemmis primarijs unam.* Sed & paranymphi Angeli Sponſæ morienti adſunt, & ſuaviſſimo cantu animulam evocant. Quid ô Angeli? quid ſuum terris lilium eripitis? Alia ſaltem iterum è cœlo ſemina ſpargite. Deſpero talia: imò ex horto Habſpurgo-Auſtriaco ſequentibus annis plura ſpero. Obijt ſancta Regina Anno 590. à S. Gregorio Turonenſi in Baſilica Matris admirabilis, uti petierat ſepulta, ſignis etiam in vita prodigioſiſſimis à Deo commendata, quæ inter adhuc vivens puellam mortuam ſuſcitavit: mortua verò ſolo veſtium, cilicij, tumulique contactu innumeros ſaluti reſtituit.

DIE

DIE XIV. AUGUSTI.

S. VIGIBERTUS CONFESSOR.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Ragnerus Magnus Dux Lotharingiæ,
Uxor Ermingarda filia Lotharij I. Imperatoris.

S. VIGIBERTUS. — Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgensis, à quo cæteri deinceps Habspurgici.

Alij plures nexus è Carolingis per Lotharingos, & Comites ab Egisheim deduci possunt, quia avia S. Vigiberti fuit Egisheymensis, qui ex Habspurgicis.

Acta Synoptica.

DE hoc Sancto hactenus aliam nullam assecutus sum notitiam, præterquam quòd tribuatur filius Ragnero Magno Duci Lotharingiæ, & Sanctis adscribatur apud Henningem his verbis: S. VIGIBERTUS *in Sanctorum numerum relatus.* Plures alios alibi Sanctos designat idem Henninges omissâ omni allegatione authorum, ut S. Afram Abbatissam Trevirensem, de qua planè silent Annales Trevirenses. Erit tempus, quo aliquis instructior antiquis documentis, & S. VIGIBERTO, & alijs suam uberius assetet Sanctitatem, nobis vel nominare sufficit, modò nexum cum Habspurgo-Austriacis ostendamus. Alium Wigibertum producit die 12. Augusti Bucelinus Monachum & Martyrem, sed hic Anglus fuit, vel Frisius, alium iterum 13. Augusti Abbatem Fritzlariensem, sed Saxonem, ut proinde noster hic Lotharingus ab utroque diversus censeri debeat. Henn. cit.

DIE XV. AUGUSTI.

S. STEPHANUS REX HUNGARIÆ.

Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum cognatus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator. — Lotharius I. Imperator, avus Berthæ nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ. — Carolus Dux Lotharingiæ, à quo poſt tres gradus Habſpurgici.

Giſela Uxor Henrici Ducis Bavariæ.

S. Henricus Imperator, — Giſela Uxor S. STEPHANI Regis Hungariæ.

Acta Synoptica.

STEPHANO nomen necdum nato ipſe S. Stephanus Protomartyr indidit. Sponſam duxit Giſelam D. Henrici Imperatoris ſororem. Andr. Brunner. in Faſt. Mar. Hæc illi Henricum, dictum Hungaris Emericum, cœterùm Chriſto omnes Hungaros peperit. Inchof. in Annal. Hung. Tutelam ſibi regnoque ſuo æternam *Caſtrorum aciem ordinatam*, Virginem Matrem legit. Hujus enim auxilio copias Conradi Imperatoris jam Hungariæ imminentes avertit. Chartuit. in vita. Ipſe inter omnes milites maximè Sanctas vigilias nocturnas habuit, ſed inter preces, visúmque ſub his ipſum quandoque tabernaculum Regium Angelis bajulis humo ſuſtolli, & tunc per aërem, mox per omnium hominum ora volare. Franc. Haræ. in vita. Trophæa pietatis ſuæ templa ac Cœnobia per totum orbem ſparſit. Miſeros ingenti charitate complexus non dubitavit diademate ornatum caput, manúsque ſceptro armatas ad horum pedes abluendos demittere, ſportulámque in clientes ipſe diſpenſare. Quare factum aliquando, ut certantibus his ſtipem auferre, barba etiam Regis ſpolium manibus appetentium cederet. Et hoc ipſum conqueſtus familiariter Virgini STEPHANUS fertur, durius ab ejus militibus ſe acceptum, quàm ab hoſtibus ſperare potuiſſet. Sed pilúmne ille amitteret, qui liberalem manum multis annis à morte integram orbi oſtendit? Hanc obijt ipſo Virginis Aſſumptæ die. Huic moriturus unicè iterum ſe regnúmque commendavit. Felix foret Hungaria, ſi teſtamenti STEPHANI retordaretur. Dies ejus natalis hæc ipſa eſt, ſed à Martyrologio Romano in 20. hujus menſis differtur.

DIE

DIE XVI. AUGUSTI.

S. ELGIVA REGINA ANGLIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

S. Alfredus Rex Angliæ. — Ludovicus Balbus Rex Caroli Magni pronepos.

Eduardus Rex Angliæ. — Edgiva cujus maritus — Carolus Simplex Rex.

Edmundus Rex Angliæ Uxor ejus S. ELGIVA. — S. Eadburga Monialis Wintonienſis. — Ludovicus Transmarinus Rex, à quo cæteri Carolingi, ex his Habſpnrgici.

Alium nexum vide in S. Eduardo Rege Martyre, S. Eadburga nepte die 18. *Martij.*

Acta Synoptica.

NUpta fuit S. ELGIVA Edmundo Regi Angliæ, qui fratri Ethelſtano ſucceſſit in regno Anno 940. avia S. Eduardi Regis Martyris, quæ præter alia Sanctitatis argumenta, æternam ſibi peperit memoriam inſtauratione Monaſterij Sceptonienſis. Alia hujus S. Reginæ acta producent alij, quibus & plus otij, & majora documentorum ſubſidia. Henſch. To. 2. Mart. fol. 230. & fol. 638.

Eadem DIE XVI. AUGUSTI.

S. PRZIBISLAWA VIDUA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacis.

Wratislaus Dux Bohemiæ. Uxor Drahomira.

- S. Wenceslaus M.
- Boleslaus Sævus Dux Bohemiæ.
  - Boleslaus II. Pius Dux Bohemiæ.
    - Boleslaus III. Cœcus Dux Bohemiæ.
      - Udalricus Dux Bohemiæ.
        - Brzetislaus Dux Bohemiæ.
          - Wratislaus I. Rex Bohemiæ.
            - Wladislaus I. Dux Bohemiæ, cujus atnepos Wenceslaus II. Rex conjugem habuit Guttham Rudolphi I. Imp. Habſpnrgici filiam.
- S. PRZIBISLAWA.

Henricus I. Imperator cujus majores à Carolo Magno. vide 5. Auguſti in B. M. Gertrude Regina.
- Otto I. Imperator.
  - Otto II. Imperator.
    - Juditha vel Guttha, cujus maritus

Acta Synoptica.

Chriſtan. in Paſſio S. Wenceſl. ap. Balbin. lib. 1. cap. 10. & lib. 3. cap. 21.

CHriſtanni ex Duce Bohemiæ Monachi Ord. S. Benedicti paucula verba hic ſuffecerint, quæ ipſe de amita ſua S. PRZIBISLAWA in vita S. Wenceslai producit: Venerabilis, inquit: Matrona ſoror B. Martyris PRZIBISLAWA vocabulo, ab ipſis cunabulis Chriſto Domino fuerat edocta, ſervire Deo ſecundùm documenta Evangelica ſine querela. Poſtquam enim eam Dominus à jure maritali ſolverat, totam ſe mancipaverat Deo, æſtuanti ſitiens animo, velamine ſacro contegi, die noctúque inſtanter revelatione Matronæ Venerabilis, ſomno ſe ſe excutiens, Eccleſiæque expetens locum, theſaurum auriculæ ſanctiſſimæ, ubi & locata fuerat reperit, eámque cum reverentia gaudióque magno ſumens, Omnipotenti Deo gratias referens, monumentum fratris Domini ſui ac Martyris adiens, cum quibusdam fideliſſimis maxima cum reverentia aperuit, auriculámque impoſuit, & cum omni diligentia rurſus clauſit. Quæ poſt translationem glebæ ipſius Venerabilis, ita incorrupta, junctáque carni reliquæ, inventa eſt, ac ſi nec veſtigium ferri unquam paſſa fuiſſet. Hactenus Chriſtannus in hiſtoria Paſſionis S. Wenceslai. Poſt obitum S. PRZIBISLAWA ſepulturam nacta eſt Pragæ in nova Urbe ſub porticu Eccleſiæ Cathedralis, translata ſcilicet Anno 1367. ut notavit Balbinus.

DIE

DIE XVII. AUGUSTI.

B. CAROLOMANNUS ASCETA.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, Ducis Moſellani.

Arnoaldus Dux Moſellanus, &c.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus. Uxor Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.

B. CAROLOMANNUS ex Principe Auſtraſiæ Aſceta.

Pipinus Brevis Rex Francorum.

Carolus Magnus Imperator, à quo cœteri Carolingi, & ex ijs Habſpurgici.

Acta Synoptica.

CArolo Martello è cœtu vivorum ſubducto, filij Pipinus & Carolomannus hæreditatem adierunt. Pipino Burgundia, Neuſtria, Provincia; CAROLOMANNO Auſtraſia (quæ nunc Lotharingia) Thuringia, & Boica ceſſit: in hac non parùm verſatus Friſingæ Regiam tenuit. Altero ſuſcepti Regni anno Hunaldi Aquitaniæ Ducis & Theobaldi Alemanniæ defectionem molientium, uniti fratres celeritatis ſubſidio conatus oppreſſerunt. Anno 742. Ratisbonæ celebrata Synodus à S. Bonifacio Moguntino authoritate Zachariæ Papæ, cui CAROLOMANNUS interfuit, ſolicitus *quomodo lex Dei & Chriſtiana Religio recuperaretur, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit*, ut ipſe loquitur in diplomate. Indolem pietatis hauſit è ſancto pectore S. Bonifacij, ante cujus familiaritatem rudis erat rerum divinarum. Fuldenſem fundum ad condendum Cœnobium liberali ei manu donavit, & pluribus Magiſtrum vitæ favoribus proſecutus eſt. Sexennium jam traduxerat in populorum regimine, cùm illum rerum omnium humanarum tædium, & cœleſtium cupido inceſſit. Regno igitur Francorum & Provincijs omnibus Fratri Minori natu commiſſis, Romam contendit, donarijs multis D. Petrum honoravit, ſacriſque initiatus ad montem Soracten ſeceſſit, ubi condito Cœnobio, adlectis ſodalibus cœleſtem vivendi rationem exorſus eſt. Sed cùm fama pietatis ejus inclareſceret, à popularibus & clientibus, officij & honoris

Rader. To. 2. Bav. S. f. 63. Molan. in Natal. SS. Leo Oſtienſ. Rhegino Franc. Haræus in vita. Bucelin. Menol. ad 17. Aug. Annal. Franc. ap. Pithœ. M. Ant. Scipio in Elog. Caſin. Arnold. Wion. Hieron. Plat. Baron. ad an. Chr. 756.

honoris causâ accedentibus, ſæpè ei cœleſtium meditationum jucunditas interpolabatur. Communicato proinde cum unico fido amico conſilio, noctu nullo conſcio relictis omnibus Caſinum profugit, ubi ad genua Petronacis Antiſtitis provolutus diſſimulato nomine, in Tyrocinium admitti petijt, & obtinuit. Coquo ex Ordine juſſus ſubſervire, magis ad imperia, quàm culinæ miniſteria natus, alacriter partes ſuas explere ſtuduit. At coquus, ut eſt hoc genus hominum plerúnque agreſte, non verbis tantùm ſed & verberibus, ex ignorantia offendentem CAROLOMANNUM excepit. Omnia ille patientiſſimè digeſſit, nihil aliud reponere ſolitus, quàm: *Indulgeat tibi Deus &* CAROLOMANNUS. At comes ejus ad eandem ſortem deſtinatus, non ferens importunitatem Magiſtri culinarij, pilum quo panis oleri miſcendus terebatur, arripuit, humerósque coqui non perfunctoriè contundens: *Nec Deus*, inquiebat, *tibi parcat, ſerve nequam, nec* CAROLOMANNUS *indulgeat.* Ægrè id tulit Antiſtes, hominem exterum, ex affectu commiſerationis admiſſum, domeſticos invadere auſum. Raptus ergò in vincula cuſtoditur; poſtridie juſſus in cœtu omnium cauſam dicere: extremâ compulſus neceſſitate, tandem erupit: Vidi, inquit, à ſervo nequiore omnibus, virum meliorem & nobiliorem omnibus, quos terra alit, non ſolùm indigniſſimis modis tractari, ſed & colaphis plecti & verberibus. Rogant illi ulterius, quis iſte melior & nobilior omnibus, quos terra alit? Iſte, inquit, eſt, CAROLOMANNUS, quondam Rex Francorum, qui pro Chriſti amore regnum & gloriam mundi dereliquit. Attoniti omnes hoc reſponſo, & ad CAROLOMANNI pedes affuſi veniam precabantur. Ipſe viciſſim cum lacrymis in terram abjectus, negare ſe eſſe CAROLOMANNUM, ſocium hæc metu perculſum excogitaſſe, ſcilicet mutatus in alium non erat jam qui quondam CAROLOMANNUS. Rei demum veritate compertâ, Petronax Abbas noluit otioſam eſſe ejus ſub religioſo cultu nobilitatem, ſed cùm ardens ejus Deo placendi ſtudium, ſuíque ipſius vincendi curam cognoſceret, ex norma legum ad omnem eum virtutem efformare cœpit, & ad ultima etiam munia adhibuit. Nam pro opilione gregem illi ovium domeſticum, quotidie in paſcua ducendum & cuſtodiendum commiſit. Accidit, ut poſt nonnullos dies prædones gregem ejus invaderent, unámque & alteram ovem conarentur avertere, quas CAROLOMANNUS tanquam legitimus, & non mercenarius paſtor, & vi dicendi, & viribus conatus defendere: *De me*, inquit, *quod placet ſtatuere poteſtis, pecus tutelæ meæ commiſſum, dum vivo, rapi non patior.* Ergo ab armento ad cuſtodem verſi prædones omni eum veſte deſpoliant, atque adeò nudum deſtituunt: vix ille femoralia extorſit. Ita domum cum grege ſuo reverſus, cùm Petronax omnem rem geſtam cognoviſſet, ut perfectam ejus exploraret patientiam, ſimulat ſibi plurimùm diſplicere, quod ſe deveſtiri paſſus eſſet, ſegnem proinde, & ſtolidum vocitare, nullíque rei utilem videri. Patienter & hoc tulit CAROLOMANNUS, ut quod patiendo præmij acquiſierat, idem cumularet non excuſando. Tectus iterum alia veſte ad paſtoris redijt officium, quod dum exercet, fortè inter cœteros, cùm è paſcuis revertuntur, æger agnellus reliquorum curſum aſſequi non poterat. Hic CAROLOMANNUS more boni paſtoris ſublatam in humeros oviculam domum reportat, nec gratam ſarcinam, quamvis fœdo lotij humore perfuſus antè deponit, quàm ovile domeſticum contingeret.

Tum

Tum demum Petronax CAROLOMANNI virtutem ſuſpiciens, à cuſtodia pecoris; eum ad horti culturam transtulit, ne otio, quod omnis Religionis peſtis eſt, torpeſceret. Neque hic alium ſe CAROLOMANNUS exhibuit. Jam annus Chriſti 750. agebatur, cùm Aiſtulphus Langobardorum Rex, vehementer urgebat Romanam Eccleſiam, ad cujus clavum ſedens Stephanus Papa, confugit ad Pipinum CAROLOMANNI fratrem Francorum Regem, ſummis precibus ab eo contendens, ut copias in Italiam duceret, Aiſtulphi tyrannidem coërceret. Quod ubi ſenſit Aiſtulphus, metûens regno ſuo, Gratianum Caſini Antiſtitem adit, CAROLOMANNUM Gallis mitti petit, cujus unius operâ tempeſtatem imminentem Italiæ, averti poſſe ſperaret. Ægrè id quidem & Gratianus conceſſit, & CAROLOMANNUS ſuſcepit, ſed metu Tyranni & majoris periculi, tandem aſſenſum Legationi præſtitit CAROLOMANNUS. Qua de re Baronius: Etſi ille prætextus fuit proficiſcendi CAROLOMANNI in Gallias, ut revocaret Pipinum ab adventu in Italiam, prout Rex perfidus ab eodem exegerat: haud tamen ex ejus ſententia curaſſe negotium exiſtimamus, eò quòd cultor & ſtudioſus eſſet Romanæ Eccleſiæ, ſed ut barbari Regis furorem ab inferenda clade Caſinenſi Monaſterio abſtineret, eam proficiſcendi cauſam in Gallias adornavit, eo modo continens barbarum ne ſæviret in ſuos. Sed ne CAROLOMANNUS in Italiam & Caſinum infectâ Legatione redeundo ſe & ſuam religioſam ſodalitatem in diſcrimen præcipitaret, communi conſilio Stephani Papæ, & Pipini Regis in Gallijs retentus eſt, & Viennæ in Cœnobio paulò pòſt extinctus. Corpus ejus aureâ incluſum urnâ Pipinus frater Caſinum remiſit, ut ubi exercitationis Religioſæ laboribus erat fatigatus, ibi defunctus conquieſceret. Obijt autem 16. Cal. Septemb. Anno 754. Alij non Viennæ ſed Lugduni defunctum volunt. Sancti titulo eum honorant Raderus, & Bucelinus, Beatum verò Haræus appellat.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. DODA VIDUA MONIALIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Ducis.

|

Arnoaldus Dux Moſellanus.

|

S. Arnulphus Dux Moſellanus, Uxor S. DODA, quæ pari conſenſu cum marito Monaſterio ſe incluſit, ab his Carolingi & Habſpurgo-Auſtriaci.

Acta Synoptica.

Bucel. in Chronol. Mar. f. 9.

MEmorabili exemplo, ampliſſimi Principatus contemptu, DEO ac Deiparæ ſe conſecrans DODA, Arnulphi Ducis Moſellani conjunx, bonâ mariti veniâ in Monaſterio B. Virginis Treviris ſe incluſit Anno 628.

Maſen. in Epi. Annal. Trev. lib. 7. f. 163.

Ubi Domina ancillis adjuncta, imò ancilla ancillarum facta, Reginam illam *ancillam*, ut ipſa vocabat, *Domini* Domina hæc ſtrenuè imitata, dignam æternis ejus palatijs ſe reddidit, in quo & Virginis filio benè complacuit, qui & ipſam magnâ ſanctitate exornavit, & ſanctâ prole fœcundam fecit. Nam Clodulphus ejus ex Arnulpho filius tam in Palatio Metis, quam deinde in Epiſcopatu matrem æmulatus eſt, ipſe etiam Sanctorum Albo inſcriptus.

Hanc Sanctæ nomine donat Bucelinus.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. LUDOVICUS EPISCOPUS THOLOSANUS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Albertus I. Imperator Auſtriacus.

Catharina Auſtriaca, cujus maritus

Carolus Princeps Salernitanus Rex Siciliæ.

Robertus Rex Siciliæ. S. LUDOVICUS Epiſcopus.

Carolus Dux Calabriæ.

Alios nexus vide in S. Ludovico Rege Franciæ die 25. Auguſti.

Acta Synoptica.

NAſcens Carolum Siciliæ Regem patrem agnovit LUDOVICUS, renaſcens Franciſcum Seraphicum. Puerulus ſomnum ſtatis humi precationibus interpellabat. Caponem, quò pauperum præda eſſet, pio furto è menſa ablatum, cùm parens id ſubodoraretur, in roſas vertit. Arma ludicra tractantem cùm equus dejeciſſet, viciſſim mundum ludibrio habiturus, abjecit arma, equos deſeruit. Quare quo die ſoror in manum hominis convenit, ipſe ſacris initiatus, Virginitatem Deo deſpondit, Dœmonémque ſub fele inſidiantem ſigno Crucis eluſit. Æger voto ad D. Virginem facto è morbo ſurrexit, & in D. Franciſci familiam abijt: inde ad Pontificatum Tholoſanum evectus eſt. Virginem uti in omni vita, ita in morte frequentiſſimè ſalutavit. Cauſam rogatus, id ſolum reſpondit: *Morientem illa juvabit me.* Neque ſpes eum fefellit. Viſus inter Angelorum manus in cœlos evolare, auditæque ejusmodi voces: *Sic fit ſervienti Deo in munditie & puritate.* A morte multi propitium mortales habuêre, inter hos Dionyſium Luſitanorum Regem numerant, quem urſus ex equo in ultimum periculum dejecerat: ſed in tempore LUDOVICUS è cœlo adfuit, monſtravítque Dionyſio, quo pugione mortem à ſe in urſum averteret. Hoc beneficium LUDOVICI, gratúmque Dionyſij animum ædes ſacra exſtructa, & in Æde Epigraphe hæc: LUDOVICO SERVATORI: loquitur. Spiritum Deo reddidit Anno 1297. in faſtos Sanctorum relatus à Joanne Papa XXII.

And. Bruner. in Faſtis. Franc. Haræ. in vita. Luc. Wadding. in Annal. Min. Bulla Canoniz.

Eadem DIE XIX. AUGUSTI.

S. BERTHULPHUS ABBAS BOBIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacis.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

|

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, Ducis Moſellani.

|

Arnoaldus Dux Moſellanus.

|

S. Arnulphus Dux Moſellanus. — S. BERTHULPHUS conſanguineus S. Arnulphi.

|

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ, Uxor S. Begga, à quibus Carolingi, & dein Habſpurg.

Acta Synoptica.

Joa. Mon. in vita. Jo. Trith. in Chron. Carolus Sigonius. Gabr. Bucelin. in Menol. ad diem 19. Aug.

CErtat cum vitijs virtus, ut illa cum ſanguine in totam ſæpè funduntur familiam, ſic iſta familiaris eſſe ſolet integræ ſtirpi, & à bona radice germinare in ſurculos. BERTHULPHUS *Principe natus genere, Regum potentiſſimorum cognatus, magno item illi Metenſium Pontifici S. Arnulpho ſanguine junctius fuit.* A quo uti ſanguinem, ità virtutem & ſeculi faſtidium participavit, relictis divitijs Monachum Luxovij profeſſus. Bobium deinde conceſſit, ubi poſt Attalam Abbas electus eſt. Eum tanti Arialdus Longobardorum Rex, quamvis Arianus, faciebat, ut etiam concitatus à Proco Cleronenſi Epiſcopo, tactus reverentiâ viri nihil præſumeret, cùm Epiſcopus Bobienſi Cœnobio ut opulento inhiaret, & ſibi conaretur ſubjicere; quoad hominis libidinem Honorius Papa pro dignitate compeſceret, & libertati conſuleret Cœnobitarum. Cenſuit verò idem Pontifex, BERTHULPHI eruditione & induſtriâ facilè opprimi poſſe Arianam hæreſim, ideóque eum cum Aſcetis, ad rem tanti momenti delegit & hortatus eſt. Febri graviſſimâ cùm decumberet, ab Apoſtolorum Principe Petro amicè viſitatus, & prodigioſè curatus eſt: *Surge*, inquiebat, *& ſoſpes abi ad ſodales tuos.* Abijt, de eo præcipuè ſolicitus, ne fama miraculi celebraretur. Claruit & alijs à Deo illuſtratus prodigijs, & plurimis poſt ſe relictis ſanctitate conſpicuis diſcipulis, ad præmia æternæ beatitudinis evolavit Anno Chriſti 630.

DIE

DIE XX. AUGUSTI.

S. BERNARDUS ABBAS CLARÆVALLENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Juxta ea quæ ad diem 7. Feb. de B. Nivardo fratre Melliflui Doctoris adduxi, hanc puto Genesim formari posse.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis, cujus mariti duo

I. Chuno Rhynfeldæ Comes.

Rudolphus Rhynfeldensis Imperator.

Agnes Uxor Bertholdi II. Habspurgici Ducis Zäringiæ.

Agnes Zaringica, Uxor Stephani Comitis Burgundiæ Vesontinæ, quæ obijt Anno 1102.

Ermingarda Uxor Theodorici Comitis Moncionis & Barry, quem suspicamur fratrem vel patrem Alathæ sive Aleydis, ex qua natus S. BERNARDUS.

II. Geraldus Alsatius Dux Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos.

Wernerus I. Comes Habspurgicus.

Otto Comes Habspurgicus.

Wernerus II. Comes Habspurgicus, & cæteri deinceps.

Acta Synoptica.

Andr. Brun. Faſt. Marian. Joan. Bap. Muſcul. Encom. Gulielm. Abb. Rhenen. Bernard. Bonævall. Gottfrid. Clarævall. in vita. Gabr. Bucel. Menol.

BERNARDUM ſiſto (piæ locus eſt invidiæ) Dei collactaneum, quem mater dum utero ferret catellum putavit, ſed pro Eccleſia latraturum. Puero puer Chriſtus nocte natalitiâ viſus eſt, nobilius omni die ſereno ſpectaculum. Adoleſcens, quòd oculum in fœminam defixiſſet, in rigentes aquas inſilijt, incendia undis præventurus. Aliàs cùm ejus pudori inſidias hoſpita ſtrueret, *Latrones, Latrones*, iterum iterúmque clamavit, ratus inimiciſſimos prædones eſſe, qui animum caſtitate exuerent. Hinc ad Ciſtercienſe Monaſterium triginta ſecum ſocios traxit, hos inter & fratres germanos omnes. Eruditionem ejus loquuntur volumina, quæ quisquis volvit, ſuaviter ſe evolvit è vitijs, involvit cœli delitijs. Liceat in horum conſideratione pro panegyri ipſum alloqui BERNARDUM. In abſynthij aliquando valle degiſti BERNARDE, qui dictus es mellifluus. Occultas inſidiantium prædonum latebras vertiſti in Claram-Vallem, & palæſtram feciſti virtutis, cùm te oppoſuiſti Petro Leoni. Poteras victor incedere onuſtus Leonino ſpolio, niſi maluiſſes mitior videri, quàm fortior. Terruiſti tamen Aquitaniæ Ducem Gulielmum, cùm armaſti manum divinâ dape. Nemo tantum diſtricto valuit gladio, quantum tu in vagina recondito, tecto videlicet ſub panis forma Numine. Inter prodigia pueri mœrore tabeſcentis lacrymas tuo ſiccaſti oſculo, verſatus ſcilicet inter pudica ſimul & læta ſponſi oſcula. Ceciniſti Epithalamium Virginis ſponſæ auſpice amore, pronuba fide. Prætuliſti mammas crateri, lac vino. Eas optimo laudaſti fragrantes unguento, alienus licet à Seplaſiæ luxu. Oenophorus ac promus Regij meri unà cum ſponſa ſubijſti cellam: At nunquam magis fuiſti ſobrius, quàm cùm inter ejusmodi vina ſanctè ebrius. Colligaſti inter ubera myrrhæ faſciculum, ut ſolveres gravem curarum faſcem. Mirè feciſti ut lac ab uberibus exprimeretur dulcius, appreſſiſti pectori myrrham. Præter hæc ſparſiſti genialem floribus thalamum, ſed eandem feciſti quaſi campeſtre textorium, quia multis obvallaſti armatis. Factus eſt ſomnus ſponſi celeber vigilijs tuis. At cùm deſcripſiſti Auguſtalis domus laqueare cypreſſinum, ſcripſiſti cedro digna. Viſum etiam eſt pertinere ad tuum nomen narrare accumbenti Regi officia præſtita: unguentum ſcilicet è concha defulum nardinum. Et illud mirum, quòd inter parietes clauſus, venatus es capreas hinnulósque campeſtres. Dolofas irretijſti vulpeculas, ipſe ſimplex & fraudis ignarus. Regium etiam efformaſti ſerculum affabrè; cùm purpureum ejus es fabricatus aſcenſum, excitaſti tibi gradus ad laudem. Sculpſiſti in medio egregius anaglyptes amoris triumphum. Duxiſti etiam ſponſæ ac ſponſi lineamenta coloribus, uſus maximè purpuriſſo pudoris. Unius comam (quæ corvi inſtar) ſtylo expreſſiſti candido; non minùs quàm alterius oculos inſtar columbæ. Præ hujus candore & religione columbæ, nec alba illa Syrorum dicenda, nec ſancta. Labia coccinea conſtrinxiſti vittâ, laxata tantùm in laudes ſponſi. Genas feciſti malo punico ſimiles fracto, ſed integra & ſolida fide, non Punicâ. Quin etiam ejusdem turritum erexiſti collum, quippe futuræ fortium matris heroum, ut opponeres turrito capiti Matris Deorum. Appendiſti ex ea turri omnia armorum genera, ne quis metu detrectaret

ctaret pugnam. Caſtra quæ certa victoriæ ceſſerunt in choros; tubæ ac litui in lyras ac tibias. In pardorum leonúmque luſtris es impunè verſatus, nimirum edoctus reſiſtere generosè Petro ipſi Leoni. Minus ſuavis eſt viſa Neſtoris Homericigratia, cùm ſponſæ os feciſti manans, non modò melle ſed lacte. Pallio ſpoliatum veſtiſti tui ſermonis ornatu. Commiſiſti in arena inſigne par pugilum, Amorem paratum mori, mortem amore. Deſcriptum à te pudici amoris igneæ tædæ non minùs illuſtrem fecere, quàm fervidum: flumina acuent flammam, lumina etiam nutrient. At ubi ad tornalites ſponſi deventum eſt manus, in orbem ductas tornaſti periodos. Caruerunt fuco genæ, quas pigmentis oblinens deſcripſiſti. De marmoreis crurum columnis locutus es oratione flexanimi. Stupet ad hæc mea oratio, ut tuis impar laudibus hic figat columnam, ſi annuis, & lemma addo: *Non plus ultra.* Id tibi mors primùm ſcripſit Anno Salutis 1153. vitæ ſanctiſſimè exactæ 63. Patri centum ſexaginta Cœnobiorum, in Claræ-Vallenſi ſeptingentorum ſeptuaginta Aſcetarum Abbati.

DIE

DIE XXI. AUGUSTI.

S. HUMBELINA S. BERNARDI SOROR.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Eadem eſt, quæ fratris præcedenti die: non igitur opus ut repetatur,

Acta Synoptica.

Menol. ad 21. Aug. & Chronol. Mar. fol. 147. Angel. Manriq. in Annal. Ord. Chryſoſt. Henriq. Guilielm. Abb. in vit. S. Bern. Barnab. de Montalbo &c.

HUMBELINA generoſo orta genere, Theſſelinum de Fontanis patrem, matrem Aletham ſive Aleydem de Monte-Barri, mellifluum Bernardum germanum habuit. Nobili viduata marito, fratris admonitione mirabiliter converſa, ridigiſſimam deinceps vitam inſtituit, cùm laboribus & humillimis exercitijs ſemper prima, perpetuò ferè cilicij uſu carnem attereret, brevémque & tenuem ſomnum, nonniſi in duro aſſerum ſtrato admitteret. Fuit altera ſui ſeculi Scholaſtica, & ut germanus ejus Bernardus redivivus Benedictus, ſic ipſa rediviva Scholaſtica, præcipua Monialium Ordinis reformatrix, ſuo exemplo innumeras penè ſuccendit & exſtimulavit. Denique poſt multa pietatis opera miris præcedentibus ſignis mortalitatem exuit, cùm Angelus Domini mortuorum tabulam ipſe pulſaret, Bernardúmque ac fratres ad morituram convocaret, ipſa inter lætiſſima quæ repetebat verba: *Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, feliciſſimè obdormiente, ſuaviſſimo quamprimum odore, & cœleſti luce cellam implentibus. Apparuit germano non multò poſt, mirâ claritate, & pretioſis veſtibus adornata, ingentémque gloriam ſuam eidem manifeſtavit.

DIE XXII. AUGUSTI.

S. EBERHARDUS ABBAS EINSIDLENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

Attico vel Ethicus Dux Alemanniæ,
ex majoribus Regibus Francorum.

Albericus Dux Alemanniæ.

Eberhardus Dux Alemanniæ.

Warinus Princeps Alemanniæ.

Iſenbardus Princeps Alemanniæ, Uxor Irmgardis Soror S. Hildegardis Imperatricis Uxoris Caroli Magni.

Guelpho I. Comes Altorffij.

Ethico Dux Alemanniæ. — Judith Uxor Ludovici Pij Imperatoris.

Etho Comes Briſiacæ, à quo Succeſſores Habſpurgici.

Conradus Dux Franconiæ.

Bucel. To. 2. Ger. f. 349.

Conradus I. Imperator.

B. EBERHARDUS Abbas Einſidlenſis, frater Conradi I Imperatoris, alibi ap. eundem Bucelinum ex fratre nepos.

Bucel. Conſt. Chron. fol. 173.

Acta Synoptica.

PAtrem EBERHARDI Conradum Franconiæ Ducem nominat Bucelinus, fratrem Hermannum Ducem Sueviæ in Menologio, & Conſtantia Rhenana; at in Geneſi Guelphorum fratrem ei aſſignat Conradum I. Imperatorem, utroque nexu Habſpurgicis jungitur: ſed vitæ ſanctitate multò fuit illuſtrior. Advectus in ſacram Deiparæ eremum Helvetiæ magno apparatu, multis comitibus; & quod in ejus commendatione primas tenet, Angelo itineris duce, ubi opes ſuas, & ſeipſum magnæ Matri ut emanciparet, impelli ſe ſenſit. Proinde promptiſſimâ voluntate in novi molitionem Cœnobij intentus, præcipui illuſtratoris, & principis Conditoris nomen meruit, primus ejus loci ſanctiſſimus Abbas. Claruit eximijs virtutibus, & raro in cœlitum Imperatricem ſtudio ac fervore, quam clientis ſui fidelitatem, illa, imò Filius ejus Servator ipſe admirandæ dignationis prodigio, amantiſſimè remunerata eſt, quando Sacellum Deiparæ inſigni Baſilica ab EBERHARDO circumdatum, ipſe Pontifex æternus ſolenni ritu conſecrare dignatus eſt, & per-

Berno. Auguſt. Chriſtop. Hartmann Einſidl. Bucel. Menol.

petuis deinceps miraculis honoravit. EBERHARDUM maximi fecit magnus ille Vindelicorum Pontifex Udalricus. Is cùm aliquando ad viſendum Dei ſervum ſacram Eremum acceſſiſſet, & poſt fuſas Deo preces ac divina colloquia invicem habita diſceſſum pararet, jámque etiam progredi cœpiſſet, currens poſt eum anhelus Abbas, rursúmque in Oſcula ruens, profuſo lacrymarum imbre: *Ex hac*, inquit, *hora non videbimus nos ulterius in hac vita, donec corporibus exempti, videre nos mereamur in præſentia Dei.* Ad quæ Udalricus: *Pater venerande, ſcis nunc pro certo tempus reſolutionis meæ inſtare?* Cui EBERHARDUS: *Finis quidem vitæ tuæ nondum adeſt, ſed verum eſſe quod dico, exitus probabit.* Ita diſceſſum inter lacrymas. Nec multò pòſt reverſus ad Eremum Udalricus, mortuum amicum reperit, ac deflevit. Natalis ejus in hanc diem refertur à Bucelino, qui Sanctum appellat.

DIE

DIE XXIII. AUGUSTI.

S. SIDONIUS APOLLINARIS EPISCOPUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Flavius Avitus Imperator Romanorum,
abdicavit, factus Epiſcopus Placentiæ.

N. Filia nupta Tonantio Ferreolo Præfecto Prætorij Galliarum. — Papianilla Uxor S. SIDONII APOLLINARIS, dein Epiſcopi Arvernorum.

N. Filius vel filia.

Ansbertus Senator Romanus. Uxor Blithildis, filia Clotharij Magni Regis Francorum. — Bolland. To. 1. Feb. fol. 661. a.

Arnoaldus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

Anſegiſus Dux Brabantiæ, Uxor S. Begga hæres Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, à quo cæteri Duces Brabantiæ, Carolingi, & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

SIDONIUS APOLLINARIS proprium ſibi fecit Lyrici Poëtæ præconium, laureâ donandus Apollinari: ſed addidit Præturæ Gallicæ inſignia, ut Poëſi honor accederet. Penè convenerunt plectra cum ſceptris; duplex nomine prætulit decus. A Sidone accepit purpuram, ab Apolline lauream. Hoc ſibi propoſuit in carmine, ut Caſtalides ex inceſtis faceret caſtas: effecit, ut Aganippe curreret puris undis. Sirenibus victis eripuit pennas, quas in ſcribendo acuit, contra ipſas: alligavit metro carmina, ſoluta in Deum mente. Sed majora ſunt, quæ per ipſum & pro ipſo operatus eſt Deus. Ex genero Aviti Imperatoris Sacerdos, ex Senatore Epiſcopus, illicò juſtorum donatus eſt privilegio; malè audire, cùm benefaceret. Perſecutores habuit domeſticos, ſolo nomine myſtas. Seceſſionem illi fecerunt, cùm ambirent ſucJoa. Bapt. Maſc. in Encom. Gregor. Turonen. lib. 2. hiſt. Franco. Fran. Haræ. in vita. Bolland. ad 5. Febr. fol. 661.

cessionem. Alter minatus Virum sanctum vi templo abstrahere, in secessu expirat. Alter defuncto superstes, jámque invadens & facultates Ecclesiæ, & Insulam, cùm accumbit epulo, supremi Judicis per ephebum in somnis monitus, sententiam excipit: *Veni ad causam dicendam.* Vix audijt; dimisso è manibus vitro, simul amisit & vitam, quam instar vitri fragilem non benè meminerat. Sic Deus pro justis pugnat. Obijt sanctus Præsul circa annum Christi Quadringesimum sexagesimum, cujus hac die natalem Romanum quoque Martyrologium celebrat. Diversus ab hoc est S. Apollinaris Episcopus Valentiæ in Gallia, ei tamen cognatus, ut in vita S. Isichij ostenditur, ad diem 20. Novembr.

DIE XXIV. AUGUSTI.

S. GREGORIUS ADMINISTRATOR ULTRAIECTINUS

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Chilpericus Rex.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, Ducis Moſellani.

Clotharius II. Rex.

Arnoaldus Dux Moſellanus, & cæteri, ex quibus Carolingi & Habſpurgici.

Dagobertus I. Rex.

S. Sigebertus Rex.

Dagobertus II. Rex.

Adela Uxor N.

Albricus, cujus Uxor N.

S. GREGORIUS Adminiſtrator Ultrajectinus.

Bolland. To. 3. Martij in Exeg. prælimin.

Brov. in Syder. SS. German. de S. Greg. f. 20.

Acta Synoptica.

GREGORIUS ſtirpe Regia Francorum ex Dagoberti ortus familia, patrem habuit Albricum, quem Adela filia Dagoberti in Teſtamento ſuum filium appellat. Epiſcopum fuiſſe nonnulli volunt, at Bollandus ſolum Presbyterum, & Epiſcopatus Ultrajectini Adminiſtratorem appellat. Ex vita ejus, quam S. Ludgerus Epiſcopus ejus diſcipulus ſcripſiſſe fertur, colligi poteſt Epiſcopum fuiſſe, cùm dicatur Albertus Anglus ejus fuiſſe Chorepiſcopus. Juvenculus in diſciplinam S. Bonifacij Moguntini Archiepiſcopi conceſſit, ab eo plurimùm dilectus, & dein à Stephano Papa Friſonibus datus Evangelij præco. Quo in munere fideliter verſatus, tandem Eccleſiæ Trajectinæ triginta duobus annis præfuit, ultra ſeptuageſimum ætatis annum provectus, multorum inſignium diſcipulorum Magiſter, quibus verbo & exemplo præluxit. Author vitæ S. Ludgeri appellat *Virum grandium meritorum.* Sanctus Lullus Moguntinus Archiepiſcopus, eum nominat *Luciferam Chriſti Eccleſiæ lampadem.* S. Ludgerus diſcipulus verò exclamat: *O virum Venerabilem & electum, manſuetum & pium, cœleſtibus ſemper intentum, & de caducis*

S. Ludger. in vita ap. Brover. fol. 14 & ſeqq. Bolland. To. 1. Feb. fol. 332. Othlon. Cratepol. Gerardus Noviomag. Bucelin. Menolog. ad 21. Dec. & ad 25. Auguſti.

ducis ac terrenis minus curantem, quod & habitu monſtrabat & actu. Nullum in eo locum invenit ſuperſtitio veſtium & ciborum, non jactantia & detracti; ſed uno eodemque aquali cum cæteris veſtimento & victu, ſemper contentus erat. Et ex hac linguæ & vitæ munditia, foris innotuit, quanta puritatis dilectione cor ejus interius plenum erat. Præſcius ſui obitûs, petijt deportari ante oratorium Salvatoris & oſtium aperiri, ibique oratione præmiſsâ, & ſacrâ communione perceptâ, ad altare reſpiciens, mente cœleſtibus intentâ, expiravit inter lacrymas diſcipulorum die 21. Decemb. ut uno in loco habet Bucelinus, ſed Bollandus & alij habent die 25. Auguſti. Anno 775. nos una die prævertimus.

DIE

DIE XXV. AUGUSTI.

S. LUDOVICUS REX FRANCIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. à Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imper.
Ermingardis Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.	Carolomannus Rex Bavar.	Ludovicus Balbus Imp.
Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Luitfridus Com. Habſpurgi.	Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Ludovicus IV. Rex.
Hunifridus Comes Habſpurgi.	Henricus I. Auceps Imperat.	Carolus Dux Lothar.
Guntramus II. Comes Habſpurgi.	Adelheydis Uxor Hugonis Magni Comitis Pariſienſis.	Ermingardis Comit. Namurci.
Lancelinus Comes Habſpurgi.	Hugo Capetus Rex Franciæ.	Hadwidis Uxor Gerardi Alſatii.
Radepoto Comes Habſpurgi, Uxor Itha.	Robertus Pius Rex Franciæ.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes rectâ lineâ Habſpurgici, usque ad hodiernos Archiduces.
	Henricus I. Rex Franciæ.	
	Philippus I. Rex Franciæ.	
	Ludovicus VI. Rex Franciæ.	
	Ludovicus VII. Rex Franciæ.	
	Philippus II. Rex Franciæ.	
	Ludovicus VIII. Rex Franciæ.	
	S. LUDOVICUS IX. Rex Franciæ.	

Nexus

Nexus II. propinquior.

S. LUDOVICUS Rex Franciæ. — Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Philippus III. Rex Franciæ. — Albertus I. Imperator Auſtriacus.

Blanca, cujus Maritus —— Rudolphus III. Auſtriacus Rex Bohem.

Nexus III.

Ludovicus VIII. Rex Franciæ.

S. LUDOVICUS IX. Rex Franciæ. — Carolus Andegavenſis Rex Siciliæ.

Rudolphus I. Imper. Habſpurgicus. — Carolus Princeps Salernitanus.

Clementia, cujus maritus —— Carolus Martellus, Rex Hungariæ. — S. Ludovicus Epiſcopus Tholoſanus.

Acta Synoptica.

GEminum LUDOVICUS IX. Franciæ Rex vexillum ſuſtulit, belli alterum, alterum pietatis; ſub illo meruerunt milites, ſub hoc Reges exemplo attracti. Nihil Rege dignius ſe aggredi poſſe cenſuit, quàm ut nobilem urbem, veterem Dei Regiam barbaris extorqueret. Minùs lætus vivebat inter Gallica lilia, niſi Dei liberatoris vepres ſibi vendicaret: Coronam Chriſti ſpineam ſuæ prætulit. Non eſt paſſus cunas è pudica Virgine geniti, haram eſſe Epicureorum. Anguſta illi viſa eſt Auguſtalis aula, quamdiu ſacri ſtabuli non ſubintraret anguſtias; paratus pro lactente Deo etiam ſanguinem prodigere. Vile credidit diadema illuminatum gemmis, ſi vileſcere pateretur loca, ubi Rex miſerorum, vir dolorum inauguratus eſt Deus. Ludibrium illud adumbratæ purpuræ, præpoſuit ſulgori ſuæ. Arma religioni ſervire juſſit, ut magis exſplendeſcerent, quæ nunquam meliùs emicant, quàm igne pietatis excocta. Communem expertus Martem non communi conſtantiâ; ſtetit, ubi alij ceciderunt. Occubuit tandem & ipſe, ſi hoc eſt occumbere pro Deo certantem ſpiritum in aſtra ſublevare. Nunquam virtus ejus viſa eſt purior, quàm ſub contermino cœli tractu. Sed vitam ejus omnem noveris, ſi leges noveris, quas ſibi primùm, tum deinde filio dixit: I. Deum præ omnibus amato. II. Peccatum mortiferum ceu anguem fugito. III. adverſis ne deprimitor. IV. néve proſperis extollitor. V. Animæ plagas ſpiritali medico crebrò nudato, & medicinam quamvis aſperam nullam reſpuito. VI. In precandi ſtudio aſſiduus eſto. VII. Animum in miſeros pium & liberalem gerito. VIII. Cùm animo malè eſt, in conſilium quàm mox virum bonum adhibeto. IX. Boni tibi nunquam non adſunto, mali ſemper exſunto. X. Bonum omne amplectitor, malum omne deteſtator. XI. De Deo loquentibus aures lubenter dato. XII. Obtrectationibus verò obſerato. XIII. Deum Divósque impunè, te Rege, nulli laceſſunto. XIV. Gratus Deo in primis, ſed & hominibus eſſe memento.

XV.

XV. Pro tribunali æquus eſto, & pauperum querimonias ne negligito. XVI. In cauſa tua, dum res non liquet, contra te ſtato. XVII. Aliena ceyùs reſtituito, Clero & Religioſis pro ſcuto eſto. XVIII. Parentibus honorem deferto. XIX. Bella ſi contra Principes Chriſtianos gerere neceſſitas ſuadet, ſacris parcito. XX. Lites pro virili dirimito. XXI. In Magiſtratus ſedulò inquirito. XXII. Pontificem Maximum, ut par eſt, reveretor. XXIII. Impenſæ modeſtiam ne excedunto. XXIV. Pro me, ubi obiero, ſacra fieri curato. Obijt verò pijſſimus Rex Anno 1270. die 25. Auguſti, in vita & poſt obitum miraculis clarus, quem Bonifacius Papa VIII. Sanctorum Faſtis inſcripſit.

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. KINEBURGA REGINA NORDTHUMBRIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ercombertus Rex Cantiorum, Uxor S. Sexburga.

S. Ermenilda, cujus maritus —— Wulpherus R. Merciorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo certâ ſerie Carolingi & ex his Habſpurgici.

Pendan Rex Merciorum.

SS. KINEBURGA, quæ & Kinesdreda, & Kineswitha, & Edburga.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 26. Aug.

Bolland. To. 1. Martij f. 447.

Eduard. Meiheuv. Chorogr. Britann.

Arnoldus Wiou. lib. 4. ligni vitæ cap. 6. & 14.

PEnda Rex Merciorum victorioſus, ſed Idololatra, & Chriſtianorum perſecutor, Chriſtianam nihilominùs & pientiſſimam reliquit prolem, nimirum S. Ethelredum regni hæredem, SS. Mercelmum & Merevaldum, SS. Edburgam, Kineburgam, Kineswidam, & Kinesdredam Alfrido Regi Nordthumbriæ nuptam, quam paſſim Scriptores eodem cum ſorore nomine KINEBURGAM appellant, & cum ea confundunt. Hæc in aula Regia, & connubio ita ſe geſſit, ut amplioris gratiæ facta dignior, à ſtatu ſeculi eminentiſſimo, ad ſublimitatem vitæ Monaſticæ evocata, ſed & mariti optimi incitata exemplo velum ſacrum in Monaſterio Dordmuncaſtrenſi amplexa ſit. In quo vitæ genere, quaſi pridem exercita, exemplar humilitatis alijs Chriſti ancillis ſe exhibuit, paulò pòſt ijsdem præfecta, eximio ſanctitatis ſplendore æternum Regio nomini decus addidit. Ab cujus deinceps ſancto nomine Cœnobium ipſum mutuato nomine dictum eſt Chineburgcaſter. Non deſunt, qui etiam Subrinenſis Cœnobij electam fuiſſe Antiſtitam memorent: hoc certum eſt, multarum Deo ſacrarum Virginum matrem, & quidem feliciſſimam extitiſſe, quas inter etiam numeratur S. Edburga Virgo ejus ſoror, diverſa ab Edburga Abbatiſſa Wigornienſi. Claruiſſe ſcribitur KHINEBURGA in Martyrologio Anglicano Anno 690. apud Bucelinum verò Anno 705. qui fortè eſt annus ejus obitus. Sorores ejus Kineburga & Kineswitha Virgines coluntur 6. Martij. Hæc verò die 15. Septemb. in Martyrologio Anglicano, at in Menologio Bucelini hac die 26. Auguſti.

DIE

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. GEBHARDUS EPISCOPUS CONSTANTIENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex Menlio.

Utzo Comes Brigantij. Uxor Dietburga.

S. GEBHARDUS Epiſcopus Conſtantienſis.

Udalricus I. Comes Brigantij.

Lipfridus Comes de Winterthur.

Ulricus II. Comes Brigantij.

Rudolphus Comes Rhetiæ & Brigantij.

Rudolphus Comes de Pfullendorff.

Itha Uxor Ansberti Comitis Habſpurgici, proavia Rudolphi I. Imperatoris.

Nexus II. ex mente Chiffletij & aliorum.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum, atnepos Caroli Magni.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti Com. Namurcenſis.

Hadwidis, cujus mariti duo

Utzo Comes Brigantij.

I. Chuno Rhynfeldenſis Comes,

II. Gerardus Alſatius,

S. GEBHARDUS Epiſcopus.

Ulricus I. Comes Brigantij.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes Habſpurgici.

Ulricus II. Comes Brigantin. Uxor — Bertha filia Rudolphi.

Acta Synoptica.

EVetuſtiſſimo Regum Francorum ſanguine ortus GEBHARDUS, patrem Utzonem, matrem Dietburgem habuit, ex cujus utero exciſus, maximâ dein curâ educatus eſt. Tenellâ adhuc ætate S. Conrado Conſtantienſi Epiſcopo educandus traditus, eo Magiſtro tantum profecit, ut in ſacro Monachorum collegio facilè princeps pietate haberetur. Puero etiamnum (cùm digreſſus è conclavi Conradus, & mox reverſus ſellæ ſuæ inſidentem deprehendiſſet) fore poſt ſe Epiſcopum, alio tamen interpoſito, prædixit; quod rei eventus poſteà comprobavit. Epiſcopus communi omnium ſuffragio acclamatus, cùm Fratres Germani diviſo patrimonio, ut cæteroquin potentem, portione excluderent, ſuo jure uſus portionem extorſit, & in Cathedralis Eccleſiæ uſus, ac Petruſiani Cœnobij, quod moliebatur, ſtructuram impendit. Iſtud anno 991. abſolutum ſolenniter dedicavit, inductâ lectiore Monachorum ex Eremo Helvetiæ coloniâ, quibus ipſe aliquamdiu nullâ ambitione honoris præfuit, ſed ut confirmata Cœnobij exordia, & auctas rationes relinqueret. Beavit idem Cœnobium inſigni Sanctarum Reliquiarum theſauro, quas dono Joannis Papa XV. acceperat, cùm Româ deferret, re compertâ, perſequentibus iter Romanis, prodigioſè cum ſuis ſervatus eſt. Cùm enim nullam ad Padi ripas navem inveniret, fuſis ad Deum precibus, ſubmittente quamprimùm ſe flumine; prodigioſo vado, unà cum theſauro evaſit, ſemitâ eâdem perſequentibus mox interclusâ. Obijt Anno 995. & in ſuo uti petierat, Cœnobio ſepultus, fruſtrà obnitentibus civibus, qui eum ad Cathedralem Baſilicam deferre moliebantur. Ad omnium quippe illorum conatus feretrum erat immobile, quod absque impedimento & pondere Petruſiani levabant. Viſa inſuper feretro, dum deferretur, niveo colore columba inſidere, quæ in templo denique diſparens, relictâ cœleſtis odoris fragrantiâ, nares & animos omnium recreavit. Fuit GEBHARDUS mirabili in Matrem Admirabilem affectu, quæ viſa illi per ſoporem lituum Pontificalem porrigere cum dicto: *Dominicum gregem paſce, eique paſcua vitæ æternæ demonſtra.*

Piſtor. To. 3. rer. Germ. fol. 647.

Bucel. Menol. ad 27. Aug.

Raderus To. 2. Bav. ſanctæ fol. 213.

Chronic. Conſtant.

Chron. Weingart.

Eadem DIE XXVII. AUGUSTI.

S. MARGARITA PALATINA RHENI.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. directus.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

Mechtildis, Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Rudolphus Senior Palatinus Rheni Elector. | Ludovicus VI. Com. ab Oettin. | Albert⁹ I. Imp. Auſtriacus.

Adolphus Comes Palatinus Rheni Elector. Uxor Irmgardis Comitiſſa Oettingenſis, cujus frater

Ludovic⁹ VII. Comes ab Oetting: | Gutta Auſtriaca Uxor Ludovici VII. Com. ab Oetting.

Rupertus Tenax Com. Palatinus, Elector.

Rupertus Comes Palatinus Rheni, Elector, & Imperator.

B. MARGARITA Uxor Caroli II. Ducis Lotharingiæ.

Nexus II. per affinitatem.

Rupertus Comes Palatinus Rheni Imperator. | Leopoldus Probus Archi-Dux Auſtriæ.

B. MARGARITA Uxor Caroli II. Ducis Lotharingiæ. | Eliſabetha, cujus maritus

Fridericus Senior Archi-Dux Auſtriæ, Princeps Tyrolenſis.

Acta Synoptica.

MARGARITA Princeps Palatina, in Palatio & Regia à teneris educata, honeſtè quidem, ſed parùm modeſtè, uti ſæpè ſolent Principum liberi, auro, gemmis, oſtro fulgere, & pictos phaſianos pſittacósque æmulari, pavonúmque oculos in cyclade circumferre. Sed hos cultus Margaritam ex more potiùs, quàm amore geſtaſſe, docuit ſequens ætas, quæ naturâ probam & ſanctam ejus indolem ſeculo aperuit. Et fuit hæc Principis felicitas, quòd in optimos vitæ, morum, & virtutis magiſtros inciderit, qui ingenium ejus ad omnem honeſtatis & pietatis laudem excolerent. Nupta quippe

Adolph. Cartuſ. Trevirenſ. in vita. Franc. Roſierius ſtemmat. Lothar. To. 5. hiſt. 82. Matth. Rader. Bav. S. To. 3. 1. 162.

quippe optimo Principi in domum & familiam Lotharingiæ religioſiſſimam eſt deducta, ubi S. Brunonis Sodalibus familiariter uſa, plurimùm ex eorum conſuetudine virtutis attraxit. Conſcripſerat unus quidam ex eorum cœtu libellum, ab amœnis hortorum Roſarijs ductâ metaphorâ inſcriptum, quo Chriſti Dei Deíque Matris res in terra geſtas complexus erat. Hunc nacta Princeps cœpit aſſiduè volvere, mentéque identidem revolvere, ex eòque intimis ſenſibus affici, tantúmque intra breve tempus proficere; ut Margareta vix Margaretam agnoſceret. Jam fama ipſius ſanctitatis longè latéque dilatata celebrabat ipſius nomen. Jam Numen cœleſte per illam prodigia edere, & res mirandas efficere, ut parem nullam ſuo ſeculo habere crederetur. Sic enim Adolphus Scriptor ejus ævi: *Tandem in brevi tempore eſt facta tantæ ſanctitatis, quòd non putabatur eidem in ſanctitate ſimilis vel comparabilis inter omnes in partibus illis, cujuscunque etiam eſſent ſtatus, ſexus, religionis, vel conditionis, quod etiam probant valdè multa facta ſancta mirabilia, quæ JESUS publicè operatus eſt per illam.* Et ut ſolida cœleſtis ædificij fundamenta jaceret, altiúsque inde molem tolleret, in ſeipſam maximè deſcendit, operéque tanto ſe demiſit, ut ſuperbia erubeſceret, nec auderet cum illa in arenam humilitatis deſcendere. Hæc illius modeſtia mox traxit ſecum charitatem in omnes, quâ omnem à pectore ſuo livoris tumorem, & invidiam excluſit. Nec lenitas indignationi, nec patientia iracundiæ locum dabat: nec ſomnum in divinis excubijs, nec inertiam & deſidiam in laboribus unquam obrepere ſibi paſſa eſt. Sordidiſſimum auri ſtudium, & veſanum pecuniæ amorem adeò contempſit, ut quo plus haberet, hoc plus in miſeros & afflictos erogaret, ipsáque ſæpiùs volens egeret, ut eſſet unde egentibus largiretur. Ventrem tam obedientem menti benéque moratum habuit, ut nec delitias eſuriret, nec vilia poſtremorum hominum prandia recuſaret. Pudor & caſtimonia tantoperè in ea eluxêre, ut præter jus thori cum Virginibns, & cœlitibus certaret. Nihil agimus verbis, niſi mores & vitam ejus per exempla proponamus. Demiſſionem ejus & liberalitatem miſericordiæ ac officijs pietatis junctam ex hoc diſces, quod olim in Magdalena, Eliſabetha, Hedwige, Catharina Senenſi ſtupuiſti. Ingreſſa Noſocomium cum una alterave pediſequa, ſpectante, hortante, & obſtupeſcente Adolpho conſcientiæ arbitro, fœda miſerorum ulcera tractare, ſcatentem ex corpore ſaniem exprimere, olentes vomicas, putreſcentes abſceſſus, horridas gangrænas, feram pſoræ ſcabiem, & impetigines, immedicabilem elephantiam abſtergere; aliásque id genus corporis peſtes curare, obligare, permulcere, lymphâ inquinata pauperum veſtigia eluere, ficcare non linteo, nec panno, non telâ, ſed paſſo promiſsóque capillo. Quid vis ampliùs? Lavit Magdalena plantas non mendici, non Apoſtoli, ſed Chriſti. Hæc Regia Imperatoris filia, Principis nobiliſſimi Uxor, aulicis munditijs innutrita, ſordes mendicabulorum, fœtores putreſcentium, qui non oculos tantùm, ſed ſtomachos aliorum averterunt & everterunt, Regiis manibus contrectavit, naribus hauſit, oculis curiosè luſtravit. Teſtis Adolphus vitæ ejus cenſor & ſcriptor: *Verum eſt, quod ipſa Domina fuit mihi confeſſa, quòd aliquando vulnera infirmorum ſive infirmarum erant omnia ita horrida, & fœtida, quòd ipſa ex ſola apertione ſive vulnerum detectione & inſpectione (niſi JESUS ipſam adjuviſſet) evacuaſſet omnia, quæ erant in ſuo corpore; ſed reducens ad memoriam, quomodo Catharina de Senis viriliter aliquando talem tentationem vicit,*

ipſa

ipſa viriliter erexit ſe contra ſe, & Dominum JESUM in adjutorium invocavit, & citò tentatio illa ceſſavit. Refert deinde plurimos ab ea (quorum numerus ſoli Deo cognitus ſit) præter ſpem ſanatos, vel ſolâ benedictione, vel ſtatim poſtquam obligati & mundati fuiſſent. Defuncto Carolo marito, tota ſe convertit ad opera miſericordiæ, & in Caſtello ac oppido Eneid ſuæ dotis Xenodochium erexit, in quo cœptum vitæ tenorem proſecuta eſt, ut plurimi ex varijs partibus Principes, Prælati, plebeij ejus Sanctitatis famâ excíti accurrerint ad eam ſolùm videndam. Jam verò, quàm ſanctè familiam ſuam omnem ad pietatem formaverit, quibus legibus vivere voluerit, quomodo diurnum tempus diſtribuere ſolita, magnam partem devotioni & precibus impenderit, longum foret percenſere. Id fuſiore ſtylo proſecutus eſt vitæ Author, & poſt eum Raderus. Marito cum hoſtibus numero ſuperioribus pugnante, ſacellum ingreſſa, non ſemel victoriam prodigiosè fertur impetraſſe: profitentibus ipſismet adverſarijs ſe non arma Caroli, ſed MARGARITÆ Duciſſæ aciem præeuntis expaviſſe. Obijt demum ſanctiſſima matrona, unica fortè ſui ſeculi gemma,

Anno 1434. die 27. Auguſti, Nancei in æde D. Georgij tumulata.

DIE

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. ADELINDIS VIDUA ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Chifflelij.

Godefridus Dux Sueviæ.

Houchingus Dux Sueviæ.

Nebi Dux Sueviæ.

Imma, Uxor N. Comitis in Suevia.

S. Hildegardis Uxor Caroli Magni.

S. ADELINDIS Abbatiſſa.

Ludovicus Pius Imperator, à quo cœteri Carolingi & Habſpurgici.

N. Uxor N. Comitis Altorffij.

Iſenbertus Warinus Pinceps Altorffij.

Welphus Comes Altorffij.

Uxor——Juditha Altorffenſis.

Nexus II. ex mente Bruſchij & Raderi.

Hildeprandus Dux Sueviæ.

Gotfridus Dux Sueviæ.

Hobingus Dux Sueviæ.

Nebus Dux Sueviæ.

Imaus Dux Sueviæ.

Hildebrandus II. Dux Sueviæ. Uxor Regarda Bavara Andecenſis.

S. ADELINDIS Abbatiſſa.

S. Hildegardis Imperatrix.

S. Udalricus gemellus cum Hildegarde, Epiſcopus Lauſanenſ.

Chifletius geneſim ex Thegano vetuſto ſcriptore protraxit; verùm Raderus oſtendit Theganum erraſſe. Ego inter eos non ero arbiter. Sufficit hoc loco, quòd S. ADELINDIS *fuerit affinis S. Caroli Magni, à quo recta ſerie procedunt Habſpurgici.*

Acta Synoptica.

NObilitatem generis ſuperavit ADELINDIS nobilitate virtutis. Elocata Otthoni Comiti Caldarienſi ſeu Keſſelbergenſi, quatuor ei filios peperit, egregios juvenes Beringerum, Reginolphum, Gerardum, Hattonem. Accidit verò, ut cùm hi adoleviſſent, irruerent in Germanias *Hunni effera ac omnino barbara gens*, minitans Germaniæ extrema omnia. Admoniti à Carolo Magno Germaniæ Principes, prodeunt Hunnis obvij. Commiſſum eſt atrox prælium propè Biberacum, in quo Ottho Comes cum tribus filijs fortiter dimicando occubuit, ſolo Hattone ſuperſtite, relictâ viduâ Adelinde. Locus ipſe, in quo pugnatum eſt, vallis Planctus (vulgò Blanckenthall) à planctu ADELINDIS & accolarum cognominatus eſt. Hatto religioni addictus ac Diaconus factus, paulò pòſt mœrore animi contabuit. ADELINDIS trucidata mariti & filiorum corpora collegit, & eorum memoriæ Buchovienſe Monialium Auguſtinianæ profeſſionis Cœnobium fundavit: ubi dein honorificè tumulo illata ſunt. Ipſa tædio rerum humanarum, redditis Deo omnibus facultatibus ſuis, ſeipſam quoque incluſit, facta prima Cœnobij moderatrix: annumerata poſt obitum Sanctorum Catalogo propter inſignem vitæ ac morum innocentiam. Feſtum ejus celebratur 28. Auguſti ipſo die S. Auguſtini. Ea die ſolet Abbatiſſa loci in ejus memoriam diſtribuere per ſuas Virgines Comitiſſas & Baroniſſas accurentibus ex tota regiuncula peregrinis panes ſiligineos, vocant panes Divæ ADELINDIS, quod pietatis genus ipſa haud dubiè exercuerit, & in reliquam poſteritatem transmiſerit, ita enim antiquitus ejus effigies depicta viſitur. Claruit circa annum Chriſti 800.

Rader. Bav. S. To. 2. Bucelin. Menol. ad hanc diem. Bruſch. de Monaſt. German. Arnold. Wion. Molan. Munſter. & alij.

DIE XXIX. AUGUSTI.

B. ALEYDIS V. PRINCEPS POLONIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

FIlia fuit Caſimiri Regis, ſed quia annus, quo vixit, non additur à Bucelino, ſtatuere non poſſum, cujus Caſimiri filia fuerit. Si Caſimiri Jagellonis filia fuiſſet, matrem habuiſſet Auſtriacam, & fratrem S. Caſimirum: ſed veroſimilius eſt, fuiſſe filiam Caſimiri II. qui obijt Anno 1205. cujus mater etiam ALEYDIS ſive Adelheydis nominata fuit. Interim hæc Geneſis ſufficiat.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum,
ex Carolingis.

Carolus Dux Lotharingiæ.
|
Ermingardis Uxor Alberti I. Com. Namur.
|
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Loth.
|
Itha Uxor Radepotonis Com. Habſpurgici.
|
Wernerus I. Comes Habſpurgicus.
|
Otto Comes Habſpurgicus.
|
Wernerus II. Comes Habſpurgicus.
|
Wernerus III. Comes Habſpurgicus.
|
Adelbertus I. Comes Habſpurgicus.
|
Rudolphus Comes Habſpurgicus.
|
Adelbertus II. Comes Habſpurgicus, parens Rudolphi I. Imperatoris.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
|
Gerberga Uxor Germanni Ducis Sueviæ.
|
Giſala Uxor Conradi Salici Imperatoris.
|
Henricus III. Imperator.
|
Adelheydis Uxor Boleslai II. Regis Polon.
|
Caſimirus II. Rex Polon. obijt An. 1025.
|
Leſco Sapiens Rex Pol. — B. ALEYDIS Virg.
|
Boleslaus Pudicus Rex Poloniæ.
|
Leſco Niger Rex Poloniæ.
|
Uladislaus Locticus Rex Poloniæ.
|
Caſimirus III. Magnus Rex Poloniæ. Obijt Anno. 1371.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 29. Aug. Menol. Ciſterc. Tabul. SS. Polon.

IN Trebniacenſi Cœnobio Ordinis Ciſtercienſis, vixit inter alias illuſtriſſimas Virgines ALEYDIS, filia Caſimiri Regis (hoc nomine ut reor ſecundi) quæ mundi contemptis illecebris, voluntariam amplexa paupertatem, ſub ſacro velamine mores ſuos ſanctiſſimè compoſuit, & Chriſtum cunctis ſeculi delitijs præponens, carnem ſpiritui ſubjiciens, dignum bonæ converſationis fructum Altiſſimo obtulit; & tandem virtutibus & gratiâ miraculorum coruſcans, ad regnum cœleſte perpetuò victura migravit. Hæc Bucelinus, non adjecto anno, ex quo colligi poſſet, cujus Caſimiri filia fuerit. Sed ex eadem radice cum Habſpurgicis pullularunt omnes Caſimiri Poloni, ut tabula Genealogica oſtendit.

Eadem

Eadem DIE XXIX. AUGUSTI.

S. VERONA VIRGO SANCTIMONIALIS

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ. — Carolus Calvus Imperator, à quo cæteri Carolingi & Habſpurgici.

S. VERONA Virgo.

Acta Synoptica.

NObiliſſima & ſanctiſſima, planéque cœleſtis Virgo VERONA, patrem habuit Ludovicum Regem, primùm Boiariæ, pòſt Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ Regem appellatum, Ludovicum Pium Imperatorem avum, Carolum Magnum proavum. Hæc cùm permittente, ut Wion tradit, patre apud Rhenum Monaſterium ex ſuo nomine Veronhove nuncupatum conſtruxiſſet, illud ipſum ingreſſa, & ſanctimonialis conſecrata, ita piè & ſanctè converſationem ſuam inſtituit, ut poſt mortem Divorum Catalogo adſcripta meruerit etiam à mundo honorari die 29. Auguſti, quo ex hac vita migravit, Anno ut putatur 908. Moguntiæ, unde poſtea translata eſt ad Monaſterium S. Crucis inter Lovanium & Furam, ubi nunc digno honore quieſcit.

Rader. Bav. S. To. 2. f. 140. Bucelin. Menol. Molan. in Natal. SS. Belg. Jac. Menlius in SS. Auſtr.

DIE XXX. AUGUSTI.

B. ASSUERUS ABBAS PRUMIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacis.

GENEALOGIA.

Fuit Pipini Regis conſanguineus, quibus autem parentibus, & qua ſanguinis neceſſitudine illi conjunctus, nondum reperi. Interim

Pipinus Rex Francorum,
|
Carolus Magnus Imperator, à quo cæteri Carolingi, & Habſpurgici.

B. ASSUERUS Abbas, Pipini Regis conſanguineus.

Acta Synoptica.

QUod hactenus de hoc Beato reperi, eſt ſimul Genealogia ejus & Elogium apud Gabrielem Bucelinum his verbis: Beatus ASSUERUS Comes Andegavenſis, Pipini Regis conſanguineus, vir planè Apoſtolicus, ab ipſo Pipino nominatus Abbas I. Prumienſis, vitæ maximis meritis & miraculorum gloriâ clarus. Præfuit annis quadraginta quinque: fundavítque Eccleſiam, & Monaſterium S. Goaris, ad præmia æternitatis vocatus Anno 829. Si fuit conſanguineus Pipini Regis, utique etiam Habſpurgo-Auſtriacorum, qui ab ijsdem fluxerunt Majoribus.

Bucelin. Germ. To. fol. 260. de Monaſter.

Eadem

Eadem DIE XXX. AUGUSTI.

B. M. OTTHO COMES HABSPURGICUS, EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

GENEALOGIA.

Ottobertus Comes Habspurg. Obijt An. 667.

|

Babo Comes Habspurgicus Anno 688.

|

Rotprechtus Comes Habspurgicus An. 724.

|

Hettobertus Comes Habspurgicus An. 766.

|

Rampertus Comes Habspurgicus An. 814.

|

Guntramus I. Comes Habspurg. An. 824.

|

Luithardus Comes Habspurgicus. An. 855.

Luitftidus Comes Habspurgicus, à quo cæteri nunquam interruptâ lineâ ad hodiernos Archi-Duces descendunt.

B. M. OTTHO vel Ottobertus Comes Habspurgicus, electus Episcopus Argentinensis Anno 906.

Laz Gen. Piesp. Stemm. Reusner. Henning. P. 1. fol. 204.

Acta Synoptica.

ANteccessit in Episcopatu Argentinensi OTTHONEM Baltrannus Episcopus oriundus ex Norico, qui fertur cum civibus controversias quasdam habuisse, ut innuit Rhegino in fine sui Chronici ad annum 905. Sed quæ illæ fuerint controversiæ, nec Rhegino exprimit, nec qui de Episcopis deinceps scripserant. Facilè est conjecturare, non aliam civium cum Episcopo fuisse controversiam, quàm quòd immunitatem Ecclesiæ tueretur, ut passim accidere solet multis alijs. Datus Baltranno successor OTTHO, pro sui muneris debito eadem à civibus exigens, graviora passus est. Nam sexennio functus eo munere, tandem (ut loquitur Guillimannus) *resuscitata cum Argentinensibus contentio, eò dementiæ & impietatis processit, ut primò urbe exactus* OTTOBERTUS *; mox immissis sicarijs in ea, in quam confugerat, arce Rotenburgo, fraude & parricidio suorum contrucidatus, vitam & dignitatem eodem tempore amiserit.* Cædem ejus Erckenbaldus successor in Episcopatu carmine deflevit, in quo non dubitavit eum Martyrem appellare; ex quo ipso colligere licet causam cædis fuisse defensionem jurium Ecclesiæ, quibus rude vulgus & sæpè avara nobilitas obniti solet. Martyris etiam nomine eum compellavit Wimphelingius, qui & addit: *tanti Præsulis indignos fuisse Argentinenses.* Arcem Rotenburgum, veluti flagitij perpetuam maculam & opprobrium, ipsi Argentinenses demum everterunt Anno 1368. Hæc de OTTOBERTO Præsule, quem plerique agnoscunt Habspurgicum, licet Guillimannus ejus originem dissimulaverit: notavit tamen obitus diem. *Pium & laudabilem* Episcopum nominant Beyerlinck, & Gualterius: ab alijs plura exspectamus.

Guillim. lib. de Episc. Argent. fol. 127. &c. Wimphelingius. ap. Guillim. Beyerl. Theatr. vitæ. lit. E. f. 175. Bucelin. P. 1. Germ. de Episc. fol. 6. Piesp. in Stemm. Austr. Laz. Comment. Gen. lib. 1. cap. 7. Gualter. in Chron. Chronic. Eccles. Polit. f. 834.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. BRUNO ASTENSIS EPISCOPUS SIGNINUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator, à quo post 2. gradus Bertha Lotharinga, Uxor Luitfridi Comitis Habspurgici, à quo cæteri.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Hedwidis, alijs Luitgarda, Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Magnus Imperator.

Alda vel Adelhais, Uxor Sigisberta Marchionis Astensis, qui obijt Anno 992.

Hugo IV. Marchio Estensis Obijt 1014.

Carolus Calvus Imperator, à quo post 6. gradus Itha Lotharinga, Uxor Radeponis Comitis Habspurgic, magna avia hodiernorum.

Aldobrandinus Marchio Astensis vel Estensis.

Azo IV. Marchio Atteſtinus, obijt 1071.

Obizo III. Marchio Astensis, Obijt Anno 1046.

Azo VI. Marchio Estensis, Uxor Mathildis filia Henrici III. Imperatoris.

Welpho IV. à quo Duces Bavariæ.

Bertholdus Marchio Astensis factus Dux Carinthiæ, Uxor Sophia Habspurgo-Zaringica, filia Bertholdi III. Ducis. Obijt Anno 1118.

Hugo V. Marchio Estens. Ob. A. 1142.

Fulco II. Marchio Estens. flor. A. 1111.

S. BRUNO Astensis unius ex his filius vel frater vel patruelis, qui obijt Anno 1124.

Acta

Acta Synoptica.

LIguria BRUNONEM protulit, illuſtri ortum proſapiâ Principum Aſtenſium, qui primos adoleſcentiæ annos bonis æquè literis ac moribus impendit. Canonicus deinde ſub Aſtenſi Epiſcopo, rigidioris vitæ deſiderio Romam contendit, Urbano II. Pontifice, qui animadverſo ſpiritûs fervore in Brunone, vacanti Signienſi ſedi deſignavit Antiſtitem. Verùm BRUNO longè alia volvens animo, cum diu reluctaretur, id ſaltem obtinuit à Pontifice, ut Signiam pergeret, nominaturus quem ipſe vellet paſtorem vacantis Eccleſiæ. Interim clàm monitis Signienſibus mandavit Pontifex, ut BRUNO, non alius ei Cathedræ imponeretur. Id ille ſagaci animo perſpiciens, intempeſtæ noctis ſilentio, B. Mariæ V. Eccleſiam egrediens fugam arripit. Sed non eſt conſilium contra Dominum. Fugienti in trivio ſe ſiſtit Virgo ſolis inſtar radians, cujus nomen dum quærit, reſponſum accipit: *Sponſam quam non benè fugis me novi ſi eſſe. Quapropter ut ad Eccleſiam redeas, ex Dei Omnipotentis nutu præcipio; & cave ne ejus ulterius reſiſtere pergas voluntati.* Dixit & diſparuit: BRUNO perculſus hoc prodigio, paruit imperanti, reverſus cum omnium applauſu cathedram cónſcendit. Sedente verò Romæ Paſchale II. priſtino impulſus ſpiritu, cum ſocijs aliquot Caſinum ſe contulit, & dimiſſo Epiſcopatu Monachum induit. Doluêre Signini clandeſtinum diſceſſum, & illicò per Pontificem egerunt, ut juberetur redire. Sed tantâ efficaciâ argumentorum ſuum propoſitum BRUNO tutatus eſt, ut indulgendum ei cenſuerit Papa. Electus deinde Caſinenſis Abbas, ſimul egit Epiſcopum, donec obortis inter Pontificem & Imperatorem diſſidijs, cùm BRUNO libertatem Eccleſiaſticam ſartam tectam ſervari vellet, ac in nonnullis acta Pontificis reprehenderet, juſſus eſt ad ſuum redire Epiſcopatum, dimiſsâ Prælaturâ Monaſticâ. Reverſus in ſancta converſatione partes boni Paſtoris implevit, & obdormuit in Domino pridie Calendas Septembris, ut habet Petrus Diaconus, vel uti Bernardinus Calinus in alia vita quintodecimo Cal. Aug. Pontificatus Calixti Papæ II. anno quinto, Epiſcopatus quadrageſimo quarto, id eſt Anno Chriſti 1124. in vita & poſt obitum clarus miraculis: canonizatus à Lucio Papa III. anno 40. poſt obitum.

Pet. Diac. lib. 4. Chro. Caſin.

Bernard. Calin. in vita ſeu legenda.

Maurus Marcheſ. in diſſert. Hiſtor.

Philip. Malabayla. in Diſquiſ. de ortu & receſſu à Caſinat.

S. Bruno Bucelin. Menol. ad 31. Aug.

Eadem

Eadem DIE XXXI. AUGUSTI.

B. ISABELLA SANCTIMOAIALIS.

Habſpurgo - Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Ludovicus VIII. Rex Franciæ.

S. ISABELLA.	S. Ludovicus IX. Rex Franciæ.	Rudolphus I. Imp. Habſpurg
	Philippus III. Rex Franciæ.	Albertus I. Imperator Auſtr.
	Blanca, cujus Maritus ———	Rudolphus III. Auſtriacus.

Alios nexus vide in S. Ludovico Rege, die 25. Auguſti.

Acta Synoptica.

Sauſſay. in Mart. Gall. Bucelin. Menol. ad 31. Aug. Bolland. ad 23. Feb. in præter.

NAta eſt ISABELLA Ludovico VIII. Franciæ Rege patre, Blancha matre, & ſanctis formata moribus, germani S. Ludovici virtutes æmulari ſtuduit. Fundavit Longicampi Cœnobium, & in eo contemptâ ſeculi vanitate velum ſacrum ſuſcepit: cujus eximia virtus divinæ teſtificationis indicijs comprobata impulit Leonem X. Pont. Max. ut ei honorem Beatis proprium decerneret, & ſolenni officio honoraret. Injunxit enim Adriano Cardinali Boiſiſio, ut officium de ea recitandum componeret. Cúmque obierit die 23. Februarij, ob tempus Quadrageſimale translata eſt ejus feſtivitas ad 31. Auguſti, qua die Bollandi Commilitones ſuo tempore plura de ea producent.

Finis Menſis Auguſti in Anno Sancto Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
SEPTEMBER.
Sive
MAXIMILIANUS II. OMNILINGUIS.

Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

REmanſit hactenus Septembri ſuum nomen, tametſi plures aliud conati ſint ſubſtituere. Commodus Imperator dici voluit Herculeum; Senatus Romanus primò Tiberium, deinde Antoninum; Domitianus Germanicum: ac denique Tacitus, quòd hoc menſe natus, & Imperator electus eſſe Tacitum appellari juſſit. Sed in ſilentio hactenus remanſit hæc nomenclatura. Nobis erit Herculeus & Germanicus ſub nomine MAXIMILIANI: minimè Tacitus, cùm ei præficiamus Omnilinguem. Is eſt

MAXIMILIANUS II. OMNILINGUIS.

Amor & Delitiæ Generis humani,
Omnium loquutus linguis, omnium dignus laudari linguis.
Felices Auguſti Calendæ!
Quæ ſi nomen habent ab Auguſto Octaviano,
Ornamentum accipiunt à MAXIMILIANO,
Has quippe
Et initiat Natali ſuo, & dedicat, cùm Imperio initiatur.
Sub patrui Caroli ſemper Victoris auſpicijs
Rudimenta militiæ ſic poſuit,
Ut jam in Tyrone veteranum agnoſceres:
Hæc illi lauros
Germinarunt pariter & geminarunt.
Hinc Smalcaldico bello Germania,
Illinc Tranſylvanus cum Solymanno
Victori Auſtriaco

Guillim. in MS. ap. Lequil.

Porrexit herbam, vel herbam momordit.
Belgium, Hispania, Hungaria, Germania,
Heroicarum ejus Virtutum Orchestra fuerunt.
Ubique
In factis Magnus, glorioſus in faſtis.
Hiſpano inſuper felix Hymenæo,
Ducta in conjugem Maria heroidum feliciſſima,
Quæ Cæſarum abneptis, proneptis, filia, nurus:
Cæſaris conjunx, duorum Cæſarum mater,
Septem Auguſta diademata una tulit.
Ipſe uno anno,
Quod ſoli anteà Alberto II. fortuna indulſerat,
Tribus Coronis, Ungariæ, Bohemiæ, Germaniæ,
Velut tricorpor Gergon caput ſubdidit.
Quartum à fluctuante oblatum Polonia,
Generosè rejecit.
Cùm nullum eſſet, quod extra ſuam Fortunam
Sperare poſſet incrementum.
Sic magnum nomen majoribus explevit actis
Eo ſolùm Maximiliano I. inferior,
Quia poſterior:
Par tamen videri poterat, quia ſecundus:
Imò & ſuperior,
Quia duos orbi dedit filios
Imperatores.

Duas in Septembri Coronas meruit MAXIMILIANUS Bohemicam die 20. Ungaricam die 8. ut meritò hic menſis ejus Nomini conſecretur, præſertim cùm illum etiam natalitijs ſuis adornent magna Principum capita, Antonini, Aureliani, Honorij, Pompeij Magni, Octaviani Auguſti, & ipſius Romæ conditoris Romuli, qui omnes unâ linguâ loquuti cedere debent MAXIMILIANO Omnilingui.

CA-

CALENDIS SEPTEMBRIS.

B. GEROLDUS MARCHIO AVSTRIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Joan. Jacobi Fugger.

Sigebertus Austrasius, Theodoberti, vel Theodorici, vel Clotharij II. Regis Francorum filius, quem alij Exulem appellant.

Ottobertus Comes Vindonissæ, Author Habspurgicorum.

Guntzo Dux Sueviæ Anno 645.

Velibaldus. Erckenbaldus.

Gotfridus Dux Sueviæ Anno 709.

Luitfridus Dux Sueviæ Anno 722.

Odilo Dux.

Theobaldus Dux Sueviæ.

Hildebrandus Dux Sueviæ.

B. GEROLDUS Marchio.

B. Hildegardis Uxor Caroli Magni.

Nexus II. ad mentem Jo. Jac. Chiffletij.

Godefridus Dux Sueviæ.

Houchingus Dux Sueviæ.

Nebi Dux Sueviæ.

Imma Uxor N. Comitis Sueviæ.

N. filia Uxor N. Comitis Altorffij.

B. GEROLDUS Marchio.

B. Hildegardis Imperatrix, Uxor Caroli M.

Isenbertus Warinus Princeps Altorffij Anno 780.

Ludovicus Pius Imperator.

Welphus Comes Altorffij, Uxor Irmentruda Saxonica.

Carolus Calvus Imperator, à quo Carolingi, & Habspurgici juxta cap. 22. Proleg.

Juditha Uxor Ludovici Pij Imperator.

Conradus Dux Burgundiæ.

Robertus Fortis, à quo Capetini.

Nexus III. ex Munſtero.

Gottfridus Dux Sueviæ.
|
Hohingus Dux.
|
Nebus Dux.
|
Imaus Dux.
|
Hildeprandus Dux.
|
B. Hildegardis,

Nexus IV. ex Bruſchio.

Hiltprandus Dux Sueviæ.
|
Gotfridus Dux.
|
Hobingus Dux.
|
Nebus Dux,
|
Imaus Dux.
|
Hildprandus II. Dux, Uxor Regardis Bavara.

B. Adelindis Fundatrix Canoniſſarum Buchaugienſium.

B. Hildegardis Imperatrix.

B. Ulricus Gemellus, cum D. Hildegarde Epiſc. Lauſannæ.

De B. GEROLDO hi poſtremi tacent, ſed Walafridus Abbas vicinus ejus ætati canit de HEROLDO: *Cui Regina ſoror Ludovici chara genetrix Hildegardis erat.*

Acta Synoptica.

INter tot Geneographorum diſſidia, de origine B. GEROLDI, id extra dubium verſari videtur, quod frater fuerit B. Hildegardis Imperatricis, teſte coævo, aut certè proximo illis temporibus Walafrido Abbate Augiæ ad Acronium lacum, quod Cœnobium GEROLDUS plurimum dotaſſe & coluiſſe fertur. Puſſenium Comitem appellant Annales. Cùm liberis careret, amplum patrimonium locis ferè ſacris Augienſi prædicto & Sangallenſi dilargitus eſt. Paderbornæ etiam opus ejus memoratur ſacra ædicula, quam poſt annos ducentos vetuſtate fatiſcentem Meinwercus Epiſcopus reſtituit. Exauthorato Thaſſilone Duce Bavariæ, Carolus Magnus, cùm Boicam in Provinciæ formam redegiſſet, GEROLDUM affinem limiti Marchiæ Orientalis, qui partem Boicæ complectebatur, præfecit, quo in munere inſignem prorſus navavit operam. Anno 799. ut Velſerus ſupputat, Hunnicum bellum recrudeſcens, veteri verbo fidem aſſeruit, metum non diuturni officij cuſtodem eſſe Ad primum tumultûs nuntium armati accurrerunt Ericus Foro-Julienſium Dux, GEROLDUS Boicæ Præfectus. Enimverò utriusque virtutem perfidiâ interceptam fortuna deſtituit, ut bellum Francis cœterà incruentum propemodum uni funeſtarint. Ericus Tharſaticam, quæ Liburniæ civitas ad mare ſita, obſidione cingens, multis victorijs clarus, oppidanorum inſidijs circumventus, ignavâ morte perimitur. Sigebertus à ſuis cæſum ſcripſit, nos plures, & ſine controverſia graviores teſtes, principem Eginhardum ſequimur. GEROLDUS nihil proſperiore caſu, acie inſtructâ manus jam conſerturus inter Ordines obequitans, dum captâ occaſione militum animos erigit, incertum cujus virtute an ſcelere improviſo cecidit. Nam equites eum comitati duo, ſimul interfecti ſunt: facti author latuit: corpus in Augiæ Monaſterio conditum cum Epitaphio:

Rader. Bav. S. To. 1. fol. 76.

Melch. Inchof. Annal. Ungar. ad an. 799.

Walafrid. Abb. Augien. ap. Velſer. in Anna. Boic. lib. 6.

Mole

Mole ſub hac Magni ſervantur membra GEROLDI,
Hujus jura loci cunctis qui viribus auxit;
Pannonijs veræ Eccleſiæ pro pace peremptus
Oppetijt ſævo Septembribus enſe Calendis;
Sideribúsque animam dedit. Artus Saxo fidelis
Abſtulit, hàc retulit, dignóque hîc clauſit honore.

Mortui ingens fuit exiſtimatio. Vetinus Monachus poſt hæc anno vigeſimo quinto, triduo priusquam vitâ excederet, viſo divinitus objecto martyribus annumerandum monuit, uti ab Hettone Baſileenſi Epiſcopo, qui Vetino familiariter uſus eſt, proditum: *De* GEROLDO *etiam quondam Comite, dixit idem Angelus, quod in requie eſſet, gloriæ Martyrum adæquatus zelo*, inquiens, *Dei in defenſione S. Eccleſiæ infidelium turbis congreſſus, temporalis vitæ diſpendia paſſus, ideò æternæ vitæ particeps eſt.* Ita ferè Velſerus.

Eadem DIE I. SEPTEMBRIS.

B. ADULA COMITISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imper.
Ermingardis Uxor Ragneri Magn. Ducis Lothar.	Carolomannus Rex Germaniæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Luitfridus Comes Habspurgicus.	Rapoldus Comes Andecensis.	Ludovicus Transmarin. Rex.
Hunifridus Comes Habspurgicus.	Rapato Comes Andecensis.	Carolus Dux Lotharingiæ.
Guntherus Comes Habspurgicus.	Fridericus Comes Andecensis.	Ermingardis Uxor Alberti I. Namurc.
Lanzelinus seu Betzo Comes Habspurgicus.	Aribo Comes Andecensis.	Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.
Radepoto Comes Habspurgicus. Uxor Itha.	B. ADELA seu ADULA Fundatrix Parthenonis Gössensis in Styria.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cœteri ad hodiernos.

Alios nexus vide in B. Ottwino *die 7. Januarij.*

Acta Synoptica.

ADULA Ottwini Goritiæ Comitis lectissima conjunx, in paternum castrum Comitatus Leobiensis Superioris Styriæ, cum filia Chunegunde, viduata marito recessit, ubi divinis rebus operam dare ac reliquum vitæ inter pia exercitia transigere instituit. Dum verò quadam vice in colle proximo precibus vacat divino amore æstuans, deliberare cœpit, quo pacto terrenas opes cultui divino impenderet, ac Cœnobium aliquod moliretur. Jámque resoluta velum capiti detrahit, auræ & vento committit, ut ex ejus casu locum Cœnobio designatum inveniret. Ventus sublatum velum in medio præterlabentis Muræ flumine deposuit, haud procul à Leobiensi castro, quod immobile & explicatum mansit, undis nihilominus subter labentibus. Ibi ergo divinam voluntatem interpretata, fluminis cursum avertit novo clivo

Hilarin. Orat. ad Leop. Aug. fol. 33. & in MSS. Annal. Bucelin. P. 2. Germ. f. 377.

vo clivo effoſo, & locum deſignavit Cœnobio. Velum ſublatum ex fluvio hodiéque ſervatur cum ejus tunica, quæ refert habitum Monialium Benedictinarum. Ferunt propoſitum illi fuiſſe aſſignare Cœnobio pro Inſignibus quidquid primum in effodiendis fundamentis occurreret. Inventa autem eſt anſa caldaria, quâ lebetes ſupra ignem ſuſpenduntur, cujus extremitates in orbem curvatæ figura fibulæ imitantur. Cœnobium Natæ Reginæ cœli, & S. Andreæ Apoſtolo dicatum eſt, & pars una Baſilicæ, quæ ampla & magnifica eſt, S. Margaretæ. Ad augendam fundationis dotem concurrerunt Aribo Moguntinus Antiſtes frater germanus ADULÆ, & S. Henricus Imperator cum conjuge Chunegunda donarunt integram vallem Tragöſs dictam, cum omnibus Juribus. Nomen Cœnobio Göſs, caſu an conſultò inditum, non liquet. In eo ADULA nobiles puellas magno numero collegit, eásque ad Religioſam vitam formavit, donec in ſtabilem ſtatum deduceret Cœnobium, & tum primùm Chunegundem filiam eis præfecit primam Parthenonis Antiſtitem. Ipſa verò divinis rebus ad extremum intenta, obijt Calendis Septemb. Anno 1024. Corpus defunctæ communi more tumulatum, pluribus annis in privato hæſerat conditorio, quod ſubinde Moniales exemptum majori volebant exponere veneration̄i. Paratis jam omnibus ad elevationem corporis neceſſarijs, B. ADULA moniali cuidam apparuit: monens æternæ ſe beatitudinis compotem cœleſti gaudio perfrui, nullum petere ſingularem cultum, ſed cupere, ut juxta fundationem, panis benedicti conſueta largitio pridie Natæ Deiparæ continuetur, ut ſolita integro octiduo pro mortuis divina officia decantentur, & Myſtæ priſtino more ad aras faciant, ut dictæ ſolennitati finis imponatur cantatâ Miſsâ de omnibus Sanctis, in quorum cultu ſe quoque partem habituram aſſeruit. Accidit verò, ut graſſantis per vicinium peſtis metu largitionem panis anno quodam Moniales intermittendam cenſerent, ſolicitæ ne fortè per eam diſtributionem contagio in Monaſterium ſe inſinuaret; ſed mox obſervatum fuit, ſacram ædem Cœnobij notabiliter in terram ſubſidere, quâ ex cauſa deinceps pia illa largitio, ſtabili munificentiâ continuatur. Fama etiam eſt illic campanam eſſe, quæ ſponte ſonet non impulſa, quoties alicui è monialibus mors imminet, idque noſtrâ ætate obſervatum. Venerationem habet eo loci ut Beatæ, ſic etiam eam appellat Bucelinus, de nullo tamen hactenus exhibito cultu publico conſtat. Vidi olim ejus ſarcophagum à terra elevatum marmoreum, & chlatris ferreis undique munitum in templi Baſilica.

DIE

DIE II. SEPTEMBRIS.

DAGOBERTUS REX MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Chilpericus Rex Francor.

Clotharius II. Rex Francor.

Dagobertus Magnus Rex Franc.

S. Sigebertus Rex Francor. in Austrasia.

S. DAGOBERTUS II. Rex Martyr.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Mosellani, Carolingi, & demum Habspurgici.

Acta Synoptica.

PArentes DAGOBERTI, de quo hic agimus, fuerunt S. Sigebertus Rex Austrasiorum, & Immechildis ab anno circiter 645. conjugati, Mortuo patre Anno 658. filius Dagobertus duodecimum ferè ætatis agebat annum, legitimus regni hæres, sed insidijs & factione optimatum in Clericum attonsus est, & in Hiberniam amandatus. Tandem post varias regni turbationes Anno 661. revocatus, regnum sibi stabilivit, uxore ductâ Mathilde Saxonica, ex qua genuit S. Irminam & alios liberos. Cúmque novemdecim ferè annis regnasset, à suis in suo regno ex insidijs, dum venationi operam daret, gladio in inguine merso occisus est: quod his verbis expressit Martyrologium auctum Adonis: *Passio* S. DAGOBERTI *Regis Francorum, qui quodam die pergens venatum, in saltu Vaurensi plenus Spiritu Sancto, in loco qui dicitur Scortias, tribus milliaribus distante à fisco Sathaniaco, in quo ipse morabatur, à filiolo suo nomine Joanne, 10. Cal. Januarij martyrizatus est, & ab Angelis deportatus est ad societatem Martyrum.* In vita ejus apud Alexandrum Wilthemium dicitur: *Præceperunt Episcopi per singulos annos celebrari solenniter diem Martyrij 10. Cal. Jan. & celebratur alacriter à circummanentibus fidelibus Christianis.* Ita quidem olim, at nunc celebratur 4. Nonas Septembris Sathanaci, Longuvici, & in tota Diœcesi Verodunensi; & variæ illi dicatæ sunt Ecclesiæ, uti ex eodem Wilthemio notavit Henschenius.

Eadmer. in vita S. Wilfridi Episc.

Fridegod. in carm. Martyrol. MS. Adonis auct.

Hensch. To. 3. Apr. Exegesi prælimin. fol. 9.

Alex. Wilhelm. in vita.

Eadem

Eadem DIE II. SEPTEMBRIS

B. LOTHARIUS IMPERATOR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

B. LOTHARIUS Imperator.

|

Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.

|

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, qui fuit atavus Radepotonis, à quo cœteri omnes rectâ lineâ descendunt, usque ad hodiernes Archi-Duces.

Acta Synoptica.

SI quæ LOTHARIO maculæ adhæserunt in juventute, has repudiato eluit Imperio. Filius Ludovici Pij, nepos Caroli Magni, Princeps bellicosissimus, & gloriæ cupidissimus, quam administrato quindecim annis Imperio fastidijt, stupente ad rei novitatem mundo universo, cùm rejectâ purpurâ cucullum amplexus est. In quo assiduæ pœnitentiæ & sacri rigoris profectu *id assequutus est, ut à morte* (sic Bucelinus loquitur) *sanctorum albo adscribi mereretur.* Ad ejus transitum cùm ingens Dœmonum multitudo convenisset, sperans ab eo, quæ in Imperio delicta commiserat, de LOTHARIO triumphum, novæ vitæ professione deleta inaudijt, & spe suâ frustrata est. Vixit in Religione annis decem, obijtque Anno 865. non ut plerique habent 855. qui unum tantummodò annum in Cœnobio exegisse arbitrantur. Credendum est potiùs domesticis, quibuscum vixit. Natalem ejus retulit Bucelinus ad 29. Septembris.

Bucelin. Menol. fol. 674. Henning. P. 1. Germ. f. 24. Otto Frising. lib. 6. c. 1. Theod. Rhay. in anima. Illustr. ad 5. Septemb.

DIE III. SEPTEMBRIS.

S. FIRMINUS UCETIÆ EPISCOPUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
Childericus Rex Francorum.
Clodoveus I. Chriſtianus Rex.
Clotharius I. Rex.
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
Walpertus I. Dux Franciæ Orientalis.
S. FIRMINUS Epiſcopus Ucetiæ.

Bolland. ad 1. Feb. fol. 210.

Alter Nexus ad mentem Bollandi.

Clotharius I. Rex Francorum.
Blithildis, cujus maritus — Ansbertus Senator.
Arnoaldus Dux Moſellanus, à quo Carolingi & Habſpurgici.

N. Ferreoli Præfecti Prætorio nepos, Fl. Aviti Imperatoris pronepos.
S. FIRMINUS Epiſcopus.
S. Ferreolus Epiſcopus.

Acta Synoptica.

HUjus Sancti nec acta, nec diem certum obitûs hactenus indagare licuit. Diverſus eſt à SS. FIRMINO, altero Epiſcopo & Confeſſore, altero Epiſcopo & Martyre, utroque Ambianenſi: hic enim Ucetiæ Epiſcopum egit. Eſt autem Uzetia (ut ait Bollandus) urbs Epiſcopalis, olim Galliæ Narbonenſi adſcripta. Ejus loci Epiſcopi celebrantur SS. FIRMINUS & Ferreolus, quorum ille habetur Ansberti Senatoris & Aigulphi Epiſcopi Metenſis frater, hic ejusdem Ansberti & Blithildis filius, patruus S. Arnulphi Epiſcopi Metenſis. Ita Bollandus, cœtera ab alijs exſpectamus.

DIE

DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. ADALBERTUS BRIGANTINUS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Juxta Menlium.

Utzo Comes Brigantij. Uxor Dietburga.

S. Gebhardus Episcopus Constantiensis.

Udalricus Comes Brigantij.

Ulricus II. Comes Brigantij. Uxor Bertha, filia Rudolphi Rhynfeldensis Imperatoris.

Rudolphus Comes Rhetiæ & Brigantij.

Rudolphus II. Comes de Pfullendorff.

Itha Pfullendorffensis, Uxor Alberti Habspurgici, proavia Rudolphi Imperatoris Habspurgici.

Lipfridus Dynasta in Wintherthur.

S. ADALBERTUS Dynasta in Wintherthur.

Alium nexum vide in S. Gebhardo, sup. 27. Augusti.

Acta Synoptica.

AUthor Chronici Constantiensis Jacobus Menlius, vel ejus Continuator, exhibens Genesim S. Gebhardi, etiam nepotem ejus ex fratre Lipfrido seu Luitfrido ADELBERTUM appellat sanctum: nihil verò aliud de eo refert, quàm quòd cum B. Leone Papa in Apuliam transierit, ibique pro causâ S. Petri contra Normannos, qui Apuliam invaserant, pugnans occubuerit. An fortè ex hac causa appellatus sanctus, quia veteres multos habuerunt pro Martyribus, qui in bello contra infideles extincti sunt, non possum statuere. Nolui interim hoc eum titulo, quo donatur ab alijs, privare, donec certiora nanciscar. Fide me exsolvo, dum authores allego. Jacobus Menlius Chron. Constant. ap. Pistor. fol. 645.

Eadem DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. FRIDERICUS ARDUENNENSIS ASCETA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator.

Ermingardis Uxor Ragneri Magn. Ducis Lothar.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Luitfridus Comes Habſpurgicus.

Hunifridus Comes Habſpurgicus.

Guntramus II. Comes Habſpurgicus.

Betzo Comes Habſpurgicus.

Radepoto Comes Habſpurgicus, cujus Uxor

Ricvinus Dux Lotharingiæ.

Gottfredus Comes Arduennæ, Uxor Mithildis filia Ottonis II. Imperatoris,

S. FRIDERICUS Aſceta.

Carolus Calvus Imper.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarin. Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ, Uxor Bona ſoror Gotofredi Arduennæ Comitis.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurc.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij, Ducis Lotharingiæ.

Itha Lotharinga nupta Radepotoni.

Wernerus I. Comes Habſpurgicus, & cœteri recta nunquam interrupta maſculina linea usque ad Leopoldum Imperatorem Auguſtum.

Acta Synoptica.

EX Ducibus antiquis Lotharingiæ natus FRIDERICUS, patrem habuit Gotofredum Comitem Arduennæ, qui ſecutus ſororium Carolum Lotharingium contra Hugonem Capetum dimicans, ob triplicem victoriam, triplici corona, laurea, civica, & murali ornatus eſt, & obijt Anno 1003. Florentiæ: matrem verò Mechtildem filiam Ottonis II. Imperatoris; fratrem Gotofredum II. qui ex Comite Arduennæ extinctâ prole Caroli Lotharingi factus Dux Lotharingiæ, confirmante electionem Henrico II. Sancto Impe-

Richard. Waſſeburg. in Antiq. Gall. Belg.

Arnold. Rayſius To. 2. SS. Ord. Ben.

Imperatore. Talibus editus majoribus FRIDERICUS, terrâ sanctâ magno devotionis affectu perlustratâ, cùm in patriam reversurus Rhemos transiret, à B. Richardo id temporis Decano S. Remigij hospitio exceptus est. Cùmque ambo de divinis rebus collocuti mirè exardescerent, consimili mox proposito ac voto, de mundi illecebris deserendis consilium inierunt. Itaque in S. Vitoni Cœnobio religiosum habitum induti, difficultates non leves experti sunt, ita ut alìò migrare prorsus statuerent; donec certiores facti Numinis voluntatem esse, ut loco illi honorem conciliarent, constantes perstitère. Cùm autem Richardus ob eximiam vitæ sanctitatem Vedastini apud Atrebates Cœnobij Abbas electus esset, FRIDERICUM etiam sibi adesse voluit, ac loci Priorem nominavit, qui eo munere aliquamdiu strenuè perfunctus, & magno virtutum profectu alijs prælucens, demùm Anno 1022. sanctissimè obijt: cujus sacrum corpus B. Richardus magno cum honore & pompa, relatis apud Vedastinos intestinis, ad S. Vitoni transferri voluit. Diem natalem cum titulo Beati ponit Bucelinus hac die 4. Septembris.

Bucelin. Menol. ad 4. Septem. Henning. P. 1. Germ. fol. 67. & 68.

Eadem DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. ROSALIA VIRGO PANORMITANA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

GEnus traxit è ſanguine Caroli Magni, ut habetur in Martyrologio Romano, cujus autem filia fuerit, & quâ generationum ſerie à Carolo Magno deſcenderit, hactenus reperire non potui. Sufficit eſſe natam ex eo ſanguine, quem pariter Habſpurgici participant.

Acta Synoptica.

Auguſt. Oldoin. in vitis Pontif. To. 4. col. 364.

HUjus ſanctæ Virginis corpus Panormi in Sicilia inventum eſt Anno 1625. intra cavernam montis, non arte humanâ, ſed vel naturæ prodigio, vel Dei providentiâ ita excavatam, ut corpus jacentis virginis integrè contegeret. Eo ipſo tempore Panormum peſte afflatum, ad recens inventæ Virginis patrocinium confugit, & ſanitatem obtinuit. Joannettinus Doria Archiepiſcopus Panormitanus & S. R. E. Cardinalis, beneficij accepti memoriam marmori ad valvas templi Cathedralis inſculpſit, teſte Oldoino in Vitis PP: & Card: ubi hæc habet: *Cùmque Panormus, imò Sicilia tota, ab epidemia* D. ROSALIÆ *patrocinio erepta fuerit, ad Cathedralis templi valvas tabula è marmore ſic inſculpta eſt.*

URBANO VIII. PONT. MAX.

IOANNETTINO DORIA S. R. E. CARDIN. ARCHIEP. REGIAM PERSONAM IN SICILIA TERTIUM TENENTE, CORPUS S. ROSALIÆ VIRGINIS AD PATRIÆ PROFUGIUM, ET PESTIS EXPULSIONEM DIVINA PROVIDENTIA RESERVATUM, PRO ANTISTITIS RELIGIOSISSIMI PIETATE, AC SENATUS POPULIQUE VOTIS NUPER IN MONTE PEREGRINO REPERTUM, MULTITUDINE MIRACULORUM CORUSCANS, TEMPLI, VIARUMQUE APPARATU, POST HOMINES NATOS ORNATISSIMO, ATQUE ARCU TRIUMPHALI MOLIS IMMENSÆ PRÆTER ALIOS EXCEPTUM, TRIUMPHO PER URBEM SPLENDIDISSIMO VECTUM RECEPTUMQUE. V. ID. JUNII M. DC. XXV.

Mox in gratiarum actionem pro depulſa peſte idem Joannettinus Card. Archiep. elegantiſſimum ſacellum S. ROSALIÆ conſtruendum curavit, cui hæc adjecta inſcriptio.

URBA-

URBANO VIII. PONT. MAX.
PHILIPPO IV. REGE NOSTRO CATHOLICO.

JOANNETTINUS DORIA S. R. E. CARDIN. ARCHIEP. PANORM. SICILIÆ PRO REGE TERTIO MODERATOR. S. ROSALIÆ VIRG. PANORM. CORPUS LAPIDE NON HUMANA ARTE ELABORATO CONCLUSUM AD ERCTÆ SPECUM INVENIT, DOCTIS VIRIS, CONSULIBUS, SENATORIBUS EXPOSCENTIBUS, OMNIBUS EXOPTANTIBUS, RERUM SUPRA OMNEM NATURÆ ORDINEM GESTARUM GLORIA COGNITUM RITE APPROBAVIT. S. P. Q. P. REDDIDIT, PUBLICE COLENDUM EXPOSUIT, INDICTO TRIUMPHO, SUPPLICATIONE INSTITUTA, CELEBRI POMPA, APPARATU CELEBERRIMO, OMNIBUS RETRO SECULIS NOBILISSIMÆ MAGNIFICENTIÆ EXEMPLO LONGE SUPERATIS: INTER CŒTERAS URBIS TUTELARES DIVAS COLLOCAVIT ANNO JUBILÆI M. DC. XXV. DIVÆ TER. MAX. CIVI OPT. PATRONÆ BENEMERENTISS. EXTINCTO PESTILENTIÆ MORBO INGENTIUM MERITORUM EXIGUUM INDICEM SACELLUM VOTO PUBLICO NUNCUPATO DICAVIT, LAPIDEM IN FUNDAMENTA PRIMUM INIECIT ANNO SALUTIS M. DC. XXVI. XIII. CAL. FEBRUARII.

Cæsar Baronius in Martyrologio Romano, authoritate Urbani Papæ VIII. recognito, ad diem 15. Julij hæc habet: *Panormi inventio corporis* S. ROSALIÆ *Virginis Panormitanæ, quod Urbano VIII. Pont. Max. repertum divinitùs, anno Jubilæi Siciliam à peste liberavit.* Et Dein ad 4. Septemb. ponit: *Panormi* S. ROSALIÆ *Virginis Panormitanæ, ex Regio Caroli M. sanguine ortæ, quæ pro Christi amore paternum Principatum Aulámque profugiens, in montibus ac speluncis solitaria cœlestem vitam duxit.* Nec plura hactenus de hac Sancta reperire licuit.

DIE

DIE V. SEPTEMBRIS.

B. OTTO EPISCOPUS FRISINGENSIS.

GENEALOGIA.

Carolus Dux Lotharingiæ, filius Ludovici Transmarini Regis Carolingi.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Hadwidis, cujus mariti duo

I. Chuno Comes Rhynfeldæ.

Rudolphus Imperator Rhynfeldensis.

Mathildis Uxor Ernesti Marchionis Austriæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Austriæ.

S. Leopoldus Pius Marchio Austriæ.

B. OTTO Episcopus Frisingensis.

II. Gerardus Alsatius Dux Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Wernerus I. Comes Habspurgicus.

Otto I. Comes Habspurgicus.

Wernerus II. Comes Habspurgicus.

Wernerus III. Comes Habspurgicus, & cæteri ad hodiernos.

Alios nexus vide sup. in B. Conrado Archiep. Salisburgensi die 3. Augusti.

Acta Synoptica.

Radevic. lib. 2. cap. 11.

Joa. Stab. in SS. Austr.

Jac. Menl. in SS.

Joan. Cuspin. in Austr.

Baron. ad an. 1159. To. 12.

Card. Bellarm. lib. de script. Eccl.

Hund. in Metrop.

Chron.

NIhil humile genuit Magnus Leopoldus. Octodecim illi proles enixa felix Agnes Imperatoris filia, neptis, soror, avia, Regis soror & mater; demum sancti Marchionis conjunx, & mater OTTONIS, qui magnus passim à scriptoribus appellatur. Fratres omnes ingenij magnitudine, eruditionis laude, historiæ editæ memoriâ superavit, fratris etiam Conradi, & Patris inter Divos censi, religionis zelo æmulus, *consecratione eadem nominis omnino dignus*, ut loquitur Raderus. Eum inter Divos Austriæ disertè collocant Joannes Stabius, & Jacobius Menlius, viri inter doctos ævi sui non postremi, & Maximiliano Imperatori ob eruditionem chari. Cardinalis verò Baronius etiam Sanctum appellare non dubitavit, hæc quippe illius verba: *Moritur hoc Anno* 1159. *insignis virtutibus & doctrinâ* OTTO *Episcopus Frisingensis, cujus cœptam historiam prosecutus est Radevicus. Subduxit magnâ misericordiâ Deus virum* SANCIUM, *ne in senectute sua schismaticorum communione inficiposset.* Hic admodum adolescens Neoburgensi ædi primùm Præfectus in paterna fundatione, sed ut rectè præesse posset, Lutetiam Parisiorum missus ingentes sapientiæ divinæ & humanæ thesauros sibi comparavit, ut facilè inter

totius

totius Germaniæ Præſules vel princeps, vel inter principes doctorum virorum haberetur. Poſt decurſa ſtudiorum ſpatia ad ædis ſuæ curam reverſus, multos Divorum cineres ſecum reportavit, quibus pater ipſe Leopoldus cum publica ſacrorum ordinum ſupplicatione venerabundus occurrit, & in templum deduxit, ubi in ara repoſitos ſanctiſſimè cuſtodiri voluit. Neque diù domi moratus, rurſus animum ad ſtudia ſed divina duntaxat retulit, & impleto ſapientiâ cœleſti pectore, religioſæ ſimul vitæ deſiderium hauſit. Morimundenſe igitur Ciſtercienſium Cœnobium cum quindecim lectiſſimis ſodalibus ingreſſus, S. Bernardi leges amplexus eſt: mox qui ad parendum alijs modeſtus venerat, ad imperandum vocatus, cœteris Abbatis honore invitus præeſſe eſt juſſus. Inde ad Pontificatum Friſingenſem Anno 1138 eum nota jam per Germaniam virtus evexit. Gratulata ſibi eſt Friſingenſis Eccleſia de tali Præſule, cùm experta eſt ejus cum Paſtorali ſolicitudine munificentiam. Unde meritò de eo vitæ Author: *Ejus Eccleſiæ non tam* RESTAURATOR, *quàm* FUNDATOR *extitit. Bona enim diſtracta recuperavit, collapſa palatia & ædificia reſtituit, religionem Monaſteriorum reparavit.* Anno 1147. cum Imperatore Conrado in expeditionem Hieroſolymitanam profectus, vix mortem evaſit. Arenpeckius de ejus religionis promovendæ zelo differens, paucis multa complexus eſt. *Cujus Ottonis, inquit, proba am vitam præceſſiſſe, mira quæ ad ipſi s Sepulchrum (ut fratres aſſerunt) miracula, quæ Deus operatur, teſtantur. Hic præclariſſi nus Pontifex duo M naſteria Ordinis Præmonſtratenſis in ſua Diœceſi fundavit, unum dictum Schefftlarn Anno Chriſti* 1140. *ubi olim fuit Cœnobium Ordinis S. Benedicti &c. alterum propè Friſingam Novæ Cellæ S. Petri, Anno Domini* 1141. *vigeſimo ſecundo anno ab inceptione ejusdem Ordinis. Inſuper Anno Chriſti* 1141. *Collegium Canonicorum ſecularium S. Sixti in Schlierſee fundavit &c. Hic Beatus Epiſcopus in ſua Diœceſi multas Eccleſias propriâ manu conſecravit, inter quas Baſilicam in Chiemſee . . . filialem, Parochialem in Ulſchaim in honore S. Magdalenæ dedicavit Anno* 1142. His ſimilia leges apud Hundium & Gewoldum. Feſſus demum laboribus, & annis gravis, cùm Ciſtertienſe Capitulum decrevit inviſere, licet æger itineri ſe dedit, Morimundenſe Cœnobium attingens, illic decubuit, & jam mortis inſtantis certus (quam divinitus prævidiſſe putatur) munitus ſacramentis, Fratres advocari voluit, in quorum præſentia ſe Catholicæ fidei aſſertorem, juxta ſanctæ Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ regulam profeſſus eſt: teſtamentum condidit, & ante fores Eccleſiæ, ubi ab omnibus calcaretur, ſepeliri petijt. Demum inter pijſſima ad Deum ſuſpiria *in medio multitudinis Sanctorum tam Epiſcoporum quàm Abbatum Domino ſpiritum reddidit.* Anno ſuprà memorato 1159. die 7. Septembris, ut habet Bucelinus, vel 22. Septemb. ut eſt apud Raderum, ex conſilio Abbatum, non ubi petierat, ſed *intra ſepta Eccleſiæ juxta majus altare honorificè tumulatus eſt, ejusque ſepulchrum à cunctis Fratribus honore ac veneratione dignum habetur.* Hæc Radevicus, qui præſens aderat, eique convixit: ut proinde fruſtra conqueratur Raderus, nullum ei cultum exhiberi. Si Friſingæ, ubi ſedit, neglectus eſt; Morimundi, ubi ſanctè deceſſit, *honorem ac venerationem* obtinuit, quod ad titulum Beati pro illis temporibus ſufficiebat.

Reicherſ. Arenpeck. MS. de Ducib. Auſtr. Rader. Bavar. S. To. 4. f. 80. Bucel. Menol. ad 7. Septemb.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

S. MADELBERTA VIRGO MALBODIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Bertharius Rex Thuringiæ.

S. Radegundis, Uxor Clotharij Magni Regis Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

S. Bertilia, Uxor Walberti IV. Comitis Hannoniæ.

S. Waldetrudis, Uxor S. Vincentij Madelgarij.

S. MADALBERTA V. Malbodienſis, cum Sorore S. Aldetrude.

Alios nexus vide in SS. Vincentio, & Waldetrude parentibus.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. fol. 621.

Bolland. To 1. Jan. fol. 515. & To. 2. Jan. fol. 1044. & To. 1. April. fol. 839.

Molan. in Natal. SS. Belgij.

Arnoldus Wion. To. 2. de SS. Ord. Bened.

Franc Roſier. &c.

NObiliſſimos parentes, utrumque ratâ vitæ ſanctitate celeberrimos Principes habuit MADELBERTA, alijs MALDEBERTA. Eorum virtutes & inſtitutum imitata filia, generoſiſſimo periturorum bonorum contemptu, calcatis mundi hujus illecebris, ſolidioribus & ſublimioribus animum adjiciens, in Cœnobio Malbodienſi religioſam vitam amplexa eſt. Illic tantis virtutibus excelluit, ut ſanctiſſimis Antiſtitibus Aldegundi matertera, & ſoror Aldetrudi, in Cœnobij ejusdem Præfectura ſuccedere mereretur. Cui in omni ſanctitate digniſſimè & utiliſſimè præfuit; memorando in primis ejusdem Cœnobij Malbodienſis ornamento: Tres nimirum primas (præter frequentiſſimam aliàs SS. Virginum copiam) pari & ſanguinis & ſanctitatis, celebritate longè illuſtriſſimas, fundamentum ſanctitatis, loco tam celebri poſuiſſe. Claruit MADELBERTA Anno Chriſti 612. eique natalis dies ſacra eſt 7. Septembris.

DIE

DIE VII. SEPTEMBRIS.

S. CLODOALDUS CONFESSOR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodoveus Rex Francorum Christianus.

Clotharius Magnus Rex.	Clodoveus Rex Aurelianensis.
|	|
Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.	S. CLODOALDUS.

Acta Synoptica.

SAncti CLODOALDI memoria adhuc hodie apud Gallos celebris est. Acta ejus brevissimè complexus Aimoinus, cùm de fratribus à Clothario patruo cæsis retulisset, inquit: *Reliquus qui supererat è fratribus vitæ potiùs, ac saluti, quàm regno intentus, promptâ fidissimorum sibi famulorum ope usus, fugâ se exemit periculo: ei nomen* CLODOALDO. *Qui postea Clericus factus, presbyterque ordinatus, dignè est conversatus: & finem vitæ sortitus Novigento villa territorij Parisiacæ urbis sedultus, multis miraculorum signis cœlo se vivere declarat.* Et in vita S. Remigij dicitur: *Novigentum villam in pago Parisiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, matri Ecclesiæ Parisiensis civitatis, ubi Presbyter extitit ordinatus, donavit* S. CLODOALDUS. *In qua villa plenus virtutibus migrans ad Dominum, in Ecclesia, quam ipse, ædificaverat corpore fuit in pace sepultus.* Addit Bucelinus, quòd tantis sanctitatis splendoribus enituerit, ut ob concursum hominum sæpiùs locum mutare cogeretur, illicò proditus famâ sanctitatis, etiam cùm S. Severino incluso Parisijs adhæreret: à quo procul fugiens in Provinciam secessit. Verùm ibi quoque proditus, *cùm pauperi eleemosynam roganti cucullum donasset, & ex ea veste nocturno tempore fulgidi radii exsplendescerent*, inde quoque profugit, & Lutetiam repetijt, ubi petente populo Eusebius Episcopus ipsum Presbyteratûs honore insignijt: quâ dignitate indignum se ratus iterùm se subduxit, & propè Sequanam in antro quodam vitam sanctè exegit. Quòd vestem Sancti CLODOADI cucullum appellet Bucelinus, id more suo facit, omnem antiquitatem cogens in Monasticam professionem, unde etiam ait: *Professus est Monachum in Monasterio Novigenti à se fundato, capillos sibi ipsi præscindens.* Sed neque Novigenti tunc ullum Monasterium, nec apud veteres, qui CLODOALDI meminerunt, ulla insinuatio de Monachi professione. Gregorius Turonensis vel maximè fidem meretur eorum temporum scriptor, qui solùm refert: *Tertium verò* CLODOALDUM *comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Is postposito regno terreno, ad Dominum transiit, & sibi manu propriâ capillos incidens* CLERICUS *factus est, bonisque operibus insistens*, PRESBYTER *ab hoc mundo migravit.* Nullum hic verbum de Monachatu, nec capillorum incisio communis Clericis & Monachis, & olim ferè similis, quidquam arguit pro Bucelino, qui allegans Gregorium Turonensem vel noluit intelligere, vel violenter in suas partes interpretatus est.

Aimoin. lib. 2. cap. 12.

Auth. Vitæ S. Remig. ap. Chesne To. 2. Script. Franc.

Bolland. To. 1. Feb. fol. 552.

Greg. Turon. lib. 3. hist. c. 18.

Claud. Paradin.

Franc. Belleforest

Mombrit To. 2. SS. Ord. Bened

Bucel. Menol. ad diem 7. Septemb.

Baron. in Martyrol. Rom: ad 7. Sept.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.

S. EDELBURGA REGINA NORDTHANYMBRORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

S. ETHELBURGA, seu Edelburga, Uxor S. Edwini Regis Nordthanymbrorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

Beda hist Eccl. lib. 2. c. 6. & 9. Capgrav. in vita B. Honorij Cantuar. Goscelin. in vita S. Wereburg. Bolland. To. 1. Feb. fol. 386. Cambd. in vita S. Wereburgæ. Boll. To. 2. Feb. fol. 178. & To. 3. fol. 473.

NON facilè degenerat radicata virtus: à sanctis progenitoribus non exspecta nisi sanctam progeniem. Ethelbertus Rex argumentum esto, qui ETHELBURGAM edidit, cui Nordthumbria Christianæ fidei initia debet. Hæc enim Edwino Regi nupta, suo hortatu, & S. Paulini Episcopi institutione, & Regem & gentem ad fidem amplectendam induxit. Edwinus cùm in maxima esset potentia, rebellantibus Cedwalla Britonum, & Penda Merciorum Regibus, cum Offrido filio peremptus est, Sanctorum deinde Albo adscriptus. ETHELBURGA post mariti cædem redux in Cantiam, à fratre Eadwaldo villam Limmingam non procul à mari & portu Dubrensi dono accepit, ubi ipsa Monasterium construxit, & à B. Honorio Cantuariensi Archiepiscopo velamine sacro induta, mater plurimarum Virginum & viduarum fuit. Vitæ sociam habuit & germanam sororem S. Eadburgam, cum qua in eodem Cœnobio requievit. Natalis ejus in hanc diem refertur ab Anglis, sorori S. Eadburgæ dicata est 13. Decembris, marito S. Edwino dies 12. Octobris. Plura de his apud Bedam, Capgravium, Goscelinum, & alios.

DIE

DIE IX. SEPTEMBRIS.

SS. NONNA ET CELSA VIRGINES.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Dicuntur fuisse de stirpe Carolidarum, sed quo sanguinis vinculo, id restat alijs inquirendum. Interim

Odelardus Comes Hombergensis ex Carolingis:
Uxor Nonna Soror S. Amandi Episcopi.

S. Berlendis Virgo. — Eligardus Comes, ab Hungaris occisus.

S. NONNA V. — S. CELSA V.

Acta Synoptica.

HArum Sanctarum notitiam habemus ex inventione Reliquiarum, de qua in libello miraculorum Merbecensis Ecclesiæ habetur: *Inveniunt cum Virgine præfata* (S. Berlende) *adhuc duo reliquarum corpora Virginum, sic in unum corio involuta cervino, ut nihil præter caput unius videretur deesse: quæ, ut ajunt, altera* CELSA, *altera* NONNA *vocitatæ sunt. De quibus itidem constat, quòd maximè in spiritu & veritate Deum coluissent: cætera quia nos latent, Deo, cui omnia scire est, committamus.* In MS. Carthusiæ Bruxellensis ad 9. Sept. hæc habentur: *Berlendis Virginis & sociarum ejus* CELSÆ & NONNÆ. *Fuerunt neptes ejus: hæc fuit filia Odelardi, Domini ibidem, & Nonnæ sororis S. Amandi.* Addit Bollandus: Videntur igitur fuisse filiæ Eligardi; & post patris cædem, sanctæ amitæ suæ cohabitasse. Facta verò est harum Virginum translatio hac die 9. Septemb. Inventio verò die 3. Februarij, ut diximus ibi, cùm de S. Berlende ageremus.

Lib. Miracul. Merbecens. Ferrar. Annot. ad 3. Febr. MS. Carthus. Bruxel. Molan. addit. ad Usuard. Saussay in Martyrol. Lahier. in Menol. Rosweid. hist. Eccl. Betus ad an. 687. Boll. To. 1. Feb. fol. 378.

DIE X. SEPTEMBRIS.

S. ODELARDUS COMES HOMBERGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

De filia ejus S. Berlende notant Martyrologia, quòd fuerit de ſtirpe Karolidarum, ſed quâ generationum ſerie, nondum reperi, nec quo die obierit.

Acta Synoptica.

CLaruit ODELARDUS Comes ſub Dagoberto Rege circa annum 640. Carolini ſanguinis tradux, unius tantùm filiæ pater, à quâ cùm ægrotus petiſſet aquæ potum, & bibiſſet, filiáque effusâ aquâ, quæ remanſerat, eluto poculo recentem ſibi infudiſſet; indignatus Odelardus conſcenſo curru Nivellam contendit, ibique filiam exhæredans, poſſeſſiones omnes S. Gertrudi obtulit, ſolenni ejus temporis ritu, quod ſic expreſſit Hiſtoricus: *Nivellam petijt, ibique S. Gertrudi, quidquid habebat in prædijs, cum omni familia ſervorum ancillarúmque cum ceſpite & ramo, cultellóque cum manubrio albo tradidit, ac filiam omni paternæ maternæque hæreditatis jure privavit.* Fuiſſe hoc facti genus divinæ providentiæ diſpoſitionem, eventus docuit, & in ipſa traditione viſum prodigium. Nam cùm ad feretrum S. Gertrudis acceſſiſſet ODELARDUS, tèrque quatérque ingeminans: *Sancta Gertrudis hoc munuſculum de manu mea ſuſcipe, & noli me peccatorem ante te flentem, & ejulantem ſpernere, niſi potiùs me alijs daturum vis abire.* Mirum dictu: tumba, in quâ corpus ſanctæ reconditum erat, ſeſe aperuit, corpúsque exanime brachium extendit ſpectante populo, ramum, ceſpitem, & cultellum de manu offerentis recepit, & mox tumba, ſicut priùs fuerat, ſeipſa occluſa eſt. Exinde filia Berlendis, occaſione vanitatis ſectandæ ſubtractâ, in Dei ſervitium tota ſe contulit, ODELARDUS verò tribulationum igne ad inſtar Beati Job exercitatus, æternam ſibi requiem promeruit: auditus à filia in cœlum deferri ab Angelis. Qua de re Florarij author: *Apud Merbeccam villam Brabantiæ S. Berlendis ſanctimonialis ac Virginis. Hujus pater* ODELARDUS *Comes fuit inter Antverpiam & Condacum: Mater verò ſoror extitit S. Amandi Epiſcopi. Hæc* (nempe Berlendis) *audire meruit voces Angelorum, animam patris ſui in cœlum deferentium.* Filium quoque habuit ex eadem conjuge Eligardum, qui ab Hunnis occiſus fuit, antequam pater filiam exhæreditaret, cùm ſcilicet Aſcum paternum caſtrum defenderet. Uxori Nonnæ hoc elogium tribuit Author vitæ S. Berlendis: *Quia vir iſte tam generoſa propagine, quàm divitijs atque prædijs, honorúmque dignitate ampliatus pollebat. Nam à portu Antverpienſium usque Condatum Comitatum regebat; puellam nobiliſſimam ſororem Beati Pontificis Amandi nomine Nonnam in matrimonium ſumpſit. Erat enim Virgo ſpecie nimis decora, moribus honeſtis compoſita, caſtitate pudica, fide Catholica, omnique Evangelicæ doctrinæ ſcientiâ ad unguem erudita.* Convixêre pij conjuges annis duodecim: præmortua Nonna tumulo illata eſt, & ODELARDUS ſeculo ulteriùs implicari noluit, eleemoſynis ac bonis operibus ſemper intentus. Sancti nomine eum honorat MS. Florarium apud Bollandum.

Anon. in vita S. Berlendis V. Florar. MS. Molan. addit. ad Uſuard. Rosweyd. in hiſt. Eccleſ. Belg. Bolland. Miræus. Sauſſay. ſup. cit.

DIE

DIE IX. SEPTEMBRIS.

B. LUDOVICUS LANDGRAVIUS HASSIÆ.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex Henninge.

Guilielmus I. Aureliæ Comes, ex sanguine Caroli Magni. Uxor Blanschida filia Ludovici IV. Imperatoris.

|

Ludovicus I. Barbatus, agnatus Conradi II. Imperatoris.

|

Ludovicus II. Saltator, Comes Thuringiæ.

|

Ludovicus III. Barbatus, Landgravius Thuringiæ & Hassiæ.

|

Ludovicus IV. Landgravius Thuringiæ & Hassiæ.

|

Hermannus Landgravius Thuringiæ & Hassiæ.

|

B. LUDOVICUS, cognomento Sanctus, Landgravius Thuringiæ & Hassiæ. Uxor S. Elisabetha Regina Hungariæ, cujus nexus cum Austriacis. 19. Novemb.

Nexus II. ex Carolingis.

Ludovicus Transmarinus Rex Francorum, atnepos Caroli Magni.

|

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

|

Gerberga Uxor Hermanni Comitis Sueviæ.

|

Gisala Uxor Conradi II. Imperat.

|

Henricus III. Imperator.

|

Henricus IV. Imperator.

Agnes

Agnes Uxor Friderici Ducis Sueviæ.

Conradus III. Imperator.

Juditha Uxor Ludovici IV. Landgravij Thuringiæ & Haſſiæ.

Hermannus Landgravius Thuringiæ & Haſſiæ.

B. LUDOVICUS Landgravius Thuringiæ & Haſſiæ.

Alios nexus vide in S. Eliſabetha die 19. Novembris, & paſſim alibi.

Acta Synoptica.

Hennig. Germ. P. 1. fol. 134.

Gualt. Chronic. Polit. fol. 1328.

Thuroc. Chron. Hung. p. 1. c. 73.

Boll. To. 2. Jan. fol. 897.

HAſſia quondam hanc gemmam tulit. Natus eſt LUDOVICUS patre Hermanno Landgravio, matre Sophia Palatina Anno 1200. ſeculari, cum ſponsâ quadrienni S. Eliſabethâ educatus, ad omnem virtutem à teneris aſſuevit: neque minùs partes omnes boni Principis executus eſt. Ex Italia reverſus Anno 1226. cùm quæſtores domeſtici conjugem accuſarent, quòd nimium in pauperes benefica opes prodigeret, ægerrimè tulit, & objurgatis ſuſurronibus palàm profeſſus eſt, optimè ſe contentum beneficentiâ conjugis, modò Wartbergam & Naumburgam non erogaverit egenis. Quendam de Saltza Regulum, quòd Monaſterio Reinhartsbornenſi gravamina impoſuiſſet, ſeverè caſtigavit, deſtructo illius caſtro Aldenberga. In ſacram militiam abiturus, fratri uxorem & liberos commendavit: Hydrunti in itinere piè defunctus. Oſſa comites ejus reduces in Haſſiam retulerunt, Reinhartsbornæ tumulo illata. Sanctum appellat Gualterius: Pij & ſancti cognomen ei tribuunt etiam Acatholici. Thurocius verò teſtatur, feſtum ejus olim Hieroſolymis devotè ſolitum celebrari. Id in 10. Septembris nonnulli, plerique in undecimam ejusdem menſis referunt.

DIE

DIE XII. SEPTEMBRIS.

S. EANSWIDA VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius I. Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Hemma ex Regibus Francorum.

S. EANSWIDA Virgo.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Mosellani, à quo certa serie Carolingi & Habspurgici.

Acta Synoptica.

EANSWIDA, quam alij EANSWITHAM scribunt, cùm Monasterium Christi Virginibus in Folestone sive Folckstone agri Cantuarienſis oppido condidisset, satis non habuit, nisi eo quoque seipsam conderet, & Christo Virginum sponso consecraret. Ejus aliunde Cœnobij Abbatissa effecta, sacro vitæ exemplo suis splendidè præfulsit, & magno in se ipsam rigore, jeiunijs, & orationibus se exercens, coronam æternitatis promeruit. Claruit Anno Christi 640. Bucelin. Menol. ad hanc Diem. Bolland. To. 2. Jan. fol. 176. & To. 1. Feb. fol. 386.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

SS. KUENBURGA ET KUTHBURGA VV. SORORES.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberthi Regis Cantiorum.
|
Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici indubitata ſerie.

S. Eanfleda Uxor S. Oswij Regis Deirorum.
|
Alfridus Rex Nordhumbriæ. Uxor—

Kenredus Rex Saxonum Occidentalium.

S. KUTHBURGA. S. KUENBURGA.

Acta Synoptica.

DUÆ Sanctæ ſorores fratrem quoque Sanctum habuerunt Inam Regem Weſt-Saxonicum, cui dies 6. Februarij ſacra eſt. KUTHBURGA colitur 31. Auguſti, vel 15. Martij; at KUENBURGA, quæ & Quenburga & Cuanburga ſcribitur, diem 12. Septemb. ſortita eſt, quam nos hoc loco reponimus, eique jungimus ſororem Cuthburgam, quòd de illa, præter titulum Sanctæ, & diem cultûs, nihildum invenerimus. De Cuthburga verò teſtatur Chronologus Anglo-Saxonicus, quòd nupta Alfrido Regi Nordhanymbrorum, ſtudio vitæ Monaſticæ, ab eo fuerit ſeparata. Clariùs ea de re Capgravius in vita: *Rex Nordhanymbrorum Alfridus miſit Legatos ſuos ad Regem Ine Weſt-Saxonum, rogans ut ei ſuam ſororem* CUTHBURGAM *daret in conjugem. Advocans igitur Rex ſororem ſuam, Regis Legationem indicavit ei. Cui Virgo reſpondit: ſi mihi ad votum meum vivere licet, nullus certè in tota Britannia Rex mihi placere poteſt. Sed quia ſcriptura dicit, quòd, qui poteſtati reſiſtit, Dei Ordinationi reſiſtit, quæcunque tua Majeſtas de me ordinaverit, me ſibi obedientem, quamvis non voluntariè, inveniet. In Domino enim confido, quòd humilitatem ancillæ ſuæ reſpiciet, nec patietur violari clauſtra pudicitiæ meæ, neque unquam ſequeſtrabit me à caſtis complexibus dilectionis ſuæ. Potens eſt Dominus & Sponſus meus me ſibi etiam ſub Matrimonio cuſtodire incorruptam: & quamvis alicui ſecundùm leges hominum nubam, poteſt tamen me ſibi conſervare inviolatam.* Fratris interea ſive imperio ſive conſilio cedens, Alfrido nupſit. Sed, ut ait Malmesburienſis: non poſt multum conjugio ducto, primò apud Berkengum ſub Abbatiſſa Hildelitha, mox ipſa magiſtra regulæ Wimburnæ conſtruxit Monaſterium, & Domino placitam vitam transegit. Id ad annum 718. retulit Wigornienſis. Mortuam S. CUTHBURGAM Anno 720. ſcribit Bucelinus, qua ratione duos ſolùm annos Wimburnæ transegiſſet. De KUENBURGÆ vitæ ratione ſuggerent alij.

Chron. Angl-Sax. An. 718.
Capgrav. in vitâ.
Malmesb. 2. de geſtis Angl. c. 2.
Wigorn. Weſtmon.
Eduard. Meyhau.
Bucel. 31. Aug.
Bolland. To. 1. Feb. fol. 905.

DIE

DIE XIV. SEPTEMBRIS.

S. ROSWINDA VIRGO,

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

Ottobertus I. Comes Habſpurgicus.

Attico Dux Alemanniæ.

Adelbertus Dux Alemanniæ.

S. ROSWINDA Virgo.

Hiltrudis Habſpurgica, cujus maritus —— Luitfridus Comes Sundgoviæ.

Acta Synoptica.

DE Attico Duce Alemanniæ & Alſatiæ, â quo nonnulli deducere volunt Habſpurgicos, referunt Lazius, Pieſpordius, quòd fuerit duarum Sanctarum filiarum pater, nempe Ottiliæ & ROSWINDÆ, quæ velo ſacro conſecratæ in Cœnobio Hochburgenſi propè Seleſtadium fundatione materna Monaſticen profeſſæ, ob vitæ continentiam, poſt mortem miraculis claruêre, & in SS. numerum relatæ ſunt. Plura de hac Sancta non reperi.

Laz. lib. 8. de migrat. Pieſp. in Stem. Habſpurg.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

S. LUDMILLA DUCISSA BOHEMIÆ M.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

S. LUDMILLA Duciſſa, Uxor Borzivorij Ducis Bohemiæ.

Wratislaus Dux Bohemiæ, Uxor Drahomira.

S. Wenceslaus Dux Martyr.

Boleslaus Sævus Dux Bohemiæ.

Boleslaus Pius Dux Bohemiæ.

Boleslaus Dux Bohemiæ.

Jaromirus Dux Bohemiæ.

Udalricus Dux Bohemiæ.

Bretislaus Dux, cujus Uxor

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis, Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Imperator.

Otto II. Imperator

Juditha filia Ottonis II.

Lotharius Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.

Bertha Ux. Luithardi Comitis Habipurgici, à quo cœteri ad hodiernos.

Alios nexus vide in S. Przibislaua, in S. Adalberto, & alijs.

Acta Synoptica.

Laur. Sur. in vita ad 15. Sept. Bohusl. Balbin. in Epito. Bohem. lib. 1. c. 2. & 3. Theod. Rhay. in anim. illuſt. ad 15. Sept. Bolland. To. 2. Mart. fol. 33.

PRima ſuæ ad Chriſtianam fidem converſionis initia Bohemia debet LUDMILÆ, & ejus marito Borzivorio. Hic quippe in Moravia S. Methodij alloquio emollitus cum trigentia Proceribus ſuæ gentis Chriſto manus dedit, LUDMILLA mox piæ æmulationis ſtudio baptismi & fidei Magiſtrum expetente: quem nacta, virum inſignem Paulum à S. Cyrillo Sacerdotem ordinatum, ejus operâ & Eccleſias plures condidit, & magnam gentis partem ad veritatis lumen perduxit. Ipſi Cyrillo, an potiùs, ut Balbinus ſcribit, Methodio, cùm in Bohemiam veniſſet, obviam LUDMILLA cum filijs Spitignæo & Uratislao progreſſa eſt, pedibúsque ejus advoluta baptismum obtinuit, ac velut novum hominem induta, deinceps quæ coluerat idola confringere, delubra evertere, errores priſtinos deteſtari aggreſſa, magnis paſſibus

paſſibus in vitæ ſanctæ inſtituto proceſſit. Mirandum, ait vitæ author, LUDMILLAM in proſperrimo vitæ curſu id egiſſe, ut eminentiſſimo dignitatis faſtigio ſe ſponte unà cum marito abdicarit, quo commodius diutiúsque cœleſtibus rebus ſe impenderet. Nec ullis precibus Procerum aut populorum impelli potuit, ut vel Spitignæo filio poſt breve Principatus adminiſtrati tempus defuncto, ſive ipſa ſive maritus Borzivojus faſces reſumeret. Unde ad Uratislaum penè puerum rei ſumma devoluta, incrementis ſpem faciebat, niſi juveni Uratislao conjunx impia contigiſſet Drahomira: quæ cùm à priſcis ritibus averti non poſſet, Wenceslaum tamen majorem natu filium à LUDMILLA educari paſſa eſt, Deo jam tunc LUDMILLÆ pariter ac nepoti Lauream Martyrij deſtinante. Nam mortuo Uratislao, ferox mulier Drahomira, per ſubornatos viros impios ſpecie viſitationis LUDMILLAM oppreſſit. Velo, quod ei è capite detraxerant ſicarij, ſuffocata, & ad ſaxum, cui orans inniti ſolebat, attracta, ſæpiúsque capite illiſo, ſpiritum Deo reddidit: ad tumulum poſteà ſpiritum mortuis redditura. Paſſa eſt Anno circiter 920. Feſtum ejus ſolenni officio celebratur per Bohemiam die 16. hujus menſis.

Eadem DIE XV. SEPTEMBRIS.

VEN: SOPHIA BELÆ UNGARIÆ REGIS FILIA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Carolus Calvus Imperator.
|
Ludovicus Balbus Imperator.
|
Carolus Simplex Rex.
|
Ludovicus Transmarinus Rex.
|
Carolus Dux Lotharingiæ.
|
Ermingardis Uxor Alberti I. Com. Namurcenſis.
|
Hadwidis, Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
|
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo recta linea ad hodiernos Archi-Duces.

Ludovicus Rex Germaniæ.
|
Carolomannus Rex Bavariæ.
|
Arnulphus Imperator.
|
Arnulphus malus Dux Bavariæ.
|
Arnulphus Rex Bavariæ.
|
Bertholdus Comes Schyrenſis.
|
Babo I. Comes Schyrenſis.
|
Babo II. Comes Schyrenſis.
|
Rupertus Comes à Rietenburg.
|
Henricus Landgravius in Stephling.
|
Adelheidis, Uxor Almi Regis Hungariæ.

Bela II. Rex Hungariæ, — N. filia, Uxor Adelberti Marchionis Auſtriæ filij S. Leopoldi.

VEN. SOPHIA Monialis. — Conſtantia Uxor Premislai Ottocari III. Regis Bohemiæ.

B. Agnes Monialis. — Wenceslaus Ottocarus IV. Rex Bohemiæ.
|
Ottocarus V. Rex Bohemiæ, occiſus in prælio contra Rudolphum Imperatorem.

Wenceslaus VI. Rex Bohemiæ, Uxor Guttha filia Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici.

Agnes nupta Rudolpho II. Habſpurgico filio Rudolphi I. Imperatoris, Duci Sueviæ.

Acta

Acta Synoptica.

SOPHIA Belæ Hungarorum Regis filia, Conradi III. Imperatoris filio Henrico Romanorum Regi deſponſata Anno 1150. magno in Germaniam comitatu deducebatur. Cùm verò interea Cæſar confectis Imperij negotijs ſolennes filio nuptias apparat, ſubſiſtere juſſa eſt SOPHIA in Cœnobio Admontenſi Styriæ, ubi nuntiatâ paulò pòſt ſponſi Regis morte, ſponſum ſibi Regum Regem elegit, ſolenniſſimáque legatione ad regnum repetita, miranda prorſus conſtantiâ de ſponſo deque regno alio nihil audire voluit, Monaſticénque in Parthenone Admontenſi (quod eo tempore adhuc extabat diverſum à virorum Cœnobio) profeſſa, totam Germaniam & Hungariam admiratione replevit. Strenuè autem ſe ſe in miniſterio Domini exercens, non ſine opinione magnæ perfectionis conſummata, in Domino requievit. Monim. Admont. Bucelin. in Menol. ad diem 15. Sept.

DIE

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

B. EDITHA V. ANGLA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

|

Lotharius I. Imperator, avus Berthæ Habſpurgicæ.

Carolus Calvus Imperator.

|

Juditha, Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.

|

Elfleda Uxor Edgari Pacifici Regis Angliæ.

Ludovicus Balbus Imperator, à quo poſt 5. gradus Itha, Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

S. EDITHA Virgo.

S. Eduardus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

EDgaro Pacifico Rege Angliæ nata eſt EDITHA, ut non æquè certum ſit, quâ matre, nam vitæ author Vulftrudem Regij Ducis filiam; Henninges verò Elfredam vel Elgifredam filiam Balduini Ferrei, nominat. In baptiſmo ſortita nomen amitæ ſuæ paternæ, ſororis Edithæ ſanctiſſimæ Virginis, quæ in Monaſterio Polleluvortenſi meritorum ſignis clarebat. Ejus partu ſoluta mater, conſenſu Edgari ſacrum velum apud Wilthoniam è manibus S. Ethelwoldi Epiſcopi ſuſcepit, ubi exemplis & virtutibus proficiens, Virginibus multis ſpiritualis mater effecta eſt, quas inter etiam ipſa EDITHA maternæ diſciplinæ ſe ſubdidit. Quindecim annos natam pater Edgarus ad terna Cœnobia Abbatiſſam deſtinabat, ſed illa ſubeſſe maluit quàm præeſſe, & ubi primùm Deo ſervire cœperat, inde avelli non potuit. Cilicio aſperrimo ad nudam carnem utebatur. Crucem Chriſti ubique comitem adhibebat; crucem in fronte, in pectore, in itinere, in omni opere præferebat. Cùm aliquando eſcas ſuo more in diſco efferret in ſinu pauperis condendas, à latere puer accurrit eleemoſynam petens; porrexit illa cum ſolito crucis ſigno: móxque puer diſparuit. Cùm toties eam manu crucem pingere vidiſſet Dunſtanus Antiſtes, apprehenſo ejus pollice, nunquam putreſcat (ajebat) hic pollex. Id quod poſtea factum vidit Anglia, cùm à morte (quæ ut ſuavis eſſet, cantu ſuo fecerunt Angeli) trigeſimo die matri, tum anno tertio decimo Dunſtano ſpectandam ſe dedit; monuítque corpuſculum tolleret integrum, ſi membra quibus in molli ætate ad levitatem abuſa eſſet, exciperet. Itum, & inſpectum monumentum eſt, fidémque fecerunt præter oculos, pedes, & manus omnia reliqua à tabo immunia. Sed & in dextra pollex à putredine fuit eximius. Cùm id miraculum Canutus Rex rideret, reſerato iterum loculo, media ſepulchro EDITHA ſe extulit, manúmque injicere improbo paravit. Supplicem tamen & in gratiam recepit, & inter undas poſtea ſervavit. Magni hæc olim Anglia miracula faciebat, pluris ego Angliam, ſi in vitam nobis revocaret EDITHAS.

Franc. Haræ. in vita. And. Brun. in aſt.

Laurent. Sur. in vita.

Henning. P. 1. Germ. f. 77.

Bucelin. Menol. ad 16. Sept.

Boll. To. 2. Mart. fol. 639.

DIE

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

S. JURMINUS ANGLIÆ PRINCEPS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, a quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum.

Ercombertus Rex Cantiorum, cujus Uxor——S. Sexburga.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici, certa & indubitata serie.

Annas Rex Anglorum Orientalium, Uxor S. Hereswida.

S. JURMINUS.

Acta Synoptica.

S. JURMINI acta nuspiam hactenus deprehendi. Inter liberos Regis Anglorum Orientalium recensetur à Bollando, qui ait, Annæ Regi ex S. Hereswida sorore S. Hildæ, genitos liberos S. Sexburgam, S. Etheldredam, S. Ethelburgam, S. Witburgam, Adulphum Regem, & S. JURMINUM. Ab alijs exspectandus certus ejus dies natalis cum elogio. Bolland. To. 1. Jan. f. 627.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

S. RICHARDA IMPERATRIX V.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

B. Lotharius Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolus Craſſus Imperator, Uxor S. RICHARDA.

Carolus Calvus Imper.

Ludovicus Balbus Rex,

Carolus Simplex Rex, à quo poſt quatuor gradus, Itha Lotharingica, Uxor Radepotonis Habſpurgici.

Acta Synoptica.

DE RICHARDÆ parentibus diſceptent quibus plus otij, an Scotorum, vel Hiberniæ Regis filia fuerit, an ex Alſatia oriunda, ut ſuſpicatur Raderus. Illud certum veterum ſcriptorum conſenſu, Carolo Craſſo Imperatori per leges connubij junctam convixiſſe decennio, ſed intactam. Quis curſus vitæ RICHARDIS fuerit, qualis adoleſcentiæ, conſtantiorisque ætatis virtus, Religio, modeſtia, innocentia, quamvis nemo ſcriptorum aperiat, ex decurſu tamen matrimonij, & actu vitæ extremo, qui omnes priores illuſtrat, divinare licet. Carolo elocata eſt Anno 877. ut Rheginoni placet, vel 875. ut Hermanno Contracto. Auguſta Romæ cum Carolo ab Joanne Pontifice faſciâ Imperatoriâ Anno 881. dum Chriſti faſciæ adorantur, inſignita eſt. Virginem Carolus toto connubij tempore nunquam delibavit, nec jure ſuo ſacrisque thori legibus unquam uſus eſt, virtúsne Caroli hæc fuerit, an alioqui à conſuetudine conjugij abhorruerit, an alia cauſa extiterit, in obſcuro manſit. Nullum Carolo naturale ſterilitatis fuiſſe vitium liquido conſtat, quod ante matrimonium ex neſcio qua puella filium Bernardum ſuſtulerit. Anno porrò 887. cùm Carolus per ſuos Palatinos Suevos in fraudem ſuſpicionis (quæ verè eſt peſtis conjugij) de ſtupro ab RICHARDE cum Luithardo Pontifice Vercellenſi commiſſo, eſſet conjectus: primùm ille præſtantiſſimum virum Epiſtolarum Magiſtrum Luithardum, per quem omne Imperium feliciſſimè adminiſtrabat, à latere ſuo amovit, ex aula ejecit, omnibus honoribus ſpoliavit, & tantùm non occidit. Cauſam prætexebant adverſarij familiaritatem nimiam, & multam conſuetudinem cum Auguſta. Præclara in ſpeciem, & digna cenſurâ delatio, ſi à vero animo profecta eſſet. Illuſtris & ſanctæ integræque famæ erat Luithardus, & principe loco apud Auguſtum, ut unus omnia poſſet, & per illum omnia ageret ſemper Carolus. Hoc uſſit Proceres, hoc invidiæ fomes erat, quâ ad artes aulicas impulſi,

Rhegino in Chron. Herman. Contract. in Chron. Trithem. in Chron. Molan. addit. ad Uſuard. Arnold. Wion. in ligno vitæ Gabr. Bucelin. Menol. Cuſpin. in Carolo Craſſo. Aventin. in Annal. Rader. Bavar. S. To. 3. fol. 73. Stangef. lib. 2. Circ. Weſtphal. Guilim. lib. de Epiſc. Argentin. n. 27. fol. 124.

pulſi, & optimum Præſulem in ultimum conjecerunt periculum. Nam remoto Luithardo, Cæſar conjugem publicè in crimen apud purpuratos concionemque totam, adulterij, aut certè ſuſpicionem vocavit, cùm juratus dixit, Richardem nunquam à ſe devirginatam ; an ab alio, inquiebat, conſtuprata ſit, ipſa viderit, ſuas ſanè ſibi res habeat, ego hanc repudio, & ab illa diverto. Auguſta & publicâ infamiæ notâ aſperſa, & adulterij ſtuprique inſimulata, & repudij contumeliâ affecta, ſeipſam minimè neglexit, ſed optimo & certiſſimo conſcientiæ teſtimonio freta, & virginitatis flore integra, ipſa ſuam cauſam agit, &: Bene eſt, inquit, ab Cæſare intacta, illius etiam jurejurando virgo ſum, ab nemine verò alio læſam unquam aut reſignatam, Divûm hominúmque fidem teſtor, parata vel obſtetricibus corporis integritatem explorandam afferre, vel ferro duellóque crimen diluere, vel per candentes igne vomeres nudis veſtigijs incedere, vel dextrâ ferrum è foco raptum contrectare, vel exitialem noxijs aquam haurire. Jam ſunt qui tradunt, igni exploratam ejus innocentiam, alij aquâ execratâ innoxiè hauſtâ purgatam : veteres nullum genus indicij exprimunt, niſi quod Hermannus Contractus divino indicio ipſius virginitatem comprobatam affirmat. Illa certè, deletâ maculæ & ſuſpicionis infamiâ, facto divortio omnes ad ſui commiſerationem permovit, ſimúlque in Alſatiam ſeceſſit, & in Cœnobio Andelavenſi, quod ipſa poſuerat, ſacro ſe velo obnupſit, ſacramentúmque cœleſti ſponſo per votum dixit ; ac deinceps religioſiſſimè vivens meruit, ut etiam in Antiſtitam ab Sodalibus legeretur. Quo in munere, & omni reliqua vita ita ſe geſſit, ut ab exequiis cœlitum faſtos auxerit. Bruſchius memorat, RICHARDAM etiam in Italia Ticini, & in Suevia Seckingæ antiſtitam egiſſe. Obiit 14. Cal. Octob. incertum quo anno. Laudatores habet eximios, tam veteres quàm Recentiores.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

S. GOËRICUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childericus Rex Francorum.
|
Clotharius I. Rex Francorum.
|
Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.
|
Arnoaldus Dux Mosellanus.
|
S. Arnulphus Episcopus.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
|
Walpertus I. Dux Franciæ Orienta.
|
Walpertus II. Hannoniæ & Arduennæ Comes.
|
S. GOERICUS Episcopus Metensis.

Acta Synoptica.

Auth. vitæ S. Adalber. ap. Phil. Labbe To. 1. Biblioth. fol. 782.

Henning. P. 1. Germ. f. 19.

Bucelin. P. 1 Germ. de Epis. f. 36. ad 19. Sept.

Franc. Haræ in vitas SS. ex Surio ad 19 Sept.

Masen in Epito. Annal. Trevi.

AUthor vitæ S. Adalberonis Metensis Episcopi, S. GOERICUM sanguine & carne affinem fuisse asserit S. Arnulphi Episcopi; sed nexum non ostendit. Henninges GOERICUM cum Godone fratre Walperto seu Vauberto I. Hannoniæ Comiti filium tribuit, sed id Chronologiæ repugnat, quia in Catalogo Episcoporum Metensium Arnulpho successit GOERICUS, & obijsse scribitur Anno 667. atverò S. Arnulphus obijt Anno 641. & Vaubertus I. obijt Anno 528. proinde neque Valperti II. filius fuisse potuit, sed tertij, vel alterius ex familia Mosellana. Ut ut sit, saltem sanguine junctus S. Arnulpho, hic locum habere debet. verba authoris allegati sunt hæc: *Domnus Papolus, cui S. Arnulphus in Episcopatu successit, qui eidem loco* (Ecclesiæ S. Symphoriani extra urbem Metensem) *multa prædiorum beneficia contulit, & Beatus* GOERICUS *nostris temporibus memorabilis miraculorum operator, & S. Godo germanus ejusdem Pontificis* GOERICI, *qui sancti Arnulphi etiam sanguine & carne affines in Episcopatu successerunt.* Author vitæ ejus apud Surium, refert GOERICUM primò militem egisse, & contra barbaros gloriosè pugnasse; dein oculorum usu privatum, mirâ patientiâ divinæ se providentiæ commisisse, dicere solitum: *Deo gratias, sicut Domino placuit, ita factum est.* Nempe clausi sunt illi oculi seculo, ut acutiùs æterna intuerentur. Quiescenti quippe Angelus Domini apparens monuit, Metensem urbem adiret, limina S. Stephani devotus ingrederetur, lumen amissum recepturus, Arnulphum charum amicum

cum & propinquum revelante Deo adfuturum, & Dei voluntatem pluribus manifeſtaturum. Paruit viſioni,& cùm recepiſſet miraculo viſum à S. Arnulpho deſignatus in Epiſcopatu ſucceſſor, jejunia & vigilias,quibus jam antè aſſueverat,duplicavit,ſine cibo & ſomno in alterum ſæpè diem orationes continuans. Interim S. Arnulphus amatam ſuam eremum repetierat, & ſancto fine obdormiſcens à GOERICO ad tumulum non ſine prodigijs deportatus eſt. Ipſe verò plenus meritis ad Sanctorum contubernium tranſijt circa annum 660. ut habet Surius vel 667. ut eſt apud Bucelinum, decimo tertio Cal. Octobris. Ad ejus tumulum multa patrata prodigia, narrat author vitæ S. Adalberonis.

Eadem DIE XIX. SEPTEMBRIS.

B. M. ADOLPHUS DUX I. CLIVIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.



Acta Synoptica.

Heimeric. in vita. Theodorus Rhay in animab. illuſt. ad 9. Septemb. Henning. P. 2. Germ. fol. 366. Bucel. To. 1. Germ. Geneal. fol. 71.

Ella quæ feliciter geſſit ADOLPHUS, totius penè Europæ ſenſu victorioſus & prudens habitus, alij proſequantur, nos pietatem æſtimamus. ADOLPHO Marcano & Margarita Bergenſi parentibus natus, Anno 1399. Roberti Comitis Palatini Electoris filiam uxorem duxit brevi defunctam, deinde Mariam Joannis Intrepidi Burgundiæ Ducis filiam, plurimarum virtutum & divitiarum heroinam. Anno 1417. die 3. May in Conſtantienſi Concilio primus Cliviæ Dux à Sigismundo Cæſare creatus, cum Imperij Principibus epulo Cæſareo accubuit non alio quàm familiari ſuo & modeſto veſtitu indutus. Rogat Cæſar: *Eccur lautiori in fortunâ lautiori veſte non uteretur?*

tur? non aliam cauſam dedit, quàm, *ſe à teneris edoctum, virtutem non veſtitum militem virúmque bonum efficere. Ecquem ergo* (urget Cæſar) *tu militem cenſes? Illum*, inquit, *qui non tam ante periculum velox, quàm in eodem intrepidus eſt.* Reſponſo delectatus Imperator inſtat: *Et quem virum bonum æſtimas? Illum*, ſubdit ADOLPHUS *qui ſeſe & alios rectâ ratione juſtéque gubernat, ac malle bubulcum ſe, quàm Principem agere, ſi ſubditis ex ratione & juſtitia non poſſet aſſiſtere.* Hac prudentiæ ſignificatione Imperatori factus eſt perquam charus. Ejus opera in promovendo divino cultu ſunt Monaſterium Regularium in Valle pacis propè Ringelbergam Anno 1438. conditum, nunc Crucigerorum: plura item domicilia Monialium, & pro meritis Aulæ Miniſtris in omnibus ferè Cliviæ urbibus erecta. Cartuſia item Gravia, nunc Sanctos translata, ad quam erigendam Dux cùm laterum, calcis, lignorúmque copioſam vim coacervaſſet, Conſiliarijs propoſiti ignaris, & *cui bono*, rogantibus, reſpondit: ſe Paraſitorum, lenonum, adulterorum, omnisque generis impoſtorum (non ſine panico interrogantium metu) carcerem ergaſtulis diſtinctum moliri. Hos verò poſtmodum Cartuſianorum cellulas aptari conſpicatos, & ingentes eos ſumptus Principi patriæque nihil aut parum emolumenti allaturos, regerentes ſapientiſſima hac voce confudit: *Si vos amici panum & carnium micas pauperibus ſpe mercedis à Deo conſequendæ promptè largimini: annon ego jure longè potiori ad alendas Sanctas Religioſorum animas hic ſucceſſivè perpetuò habitaturas, pro me, meis, ac ducatu hoc aſſiduè apud Deum interpellaturas iſta conferam? maximè cùm non tam accipientibus quàm dantibus eleemoſyna proſit?* Fuit ADOLPHUS candoris & pectoris verè Germanici, adeóque cane pejus & angue veriſpelles, vafros, bilingues, Pſeudo-Politicos, qui in ſimulationis & diſſimulationis puncto, Fortuna & fato prudentiæ ſuæ medullam conſtituunt, fugiebat ac deteſtabatur. Hinc fides ejus apud Deum, & homines nunquam dubia, ſemper certa, ſemper infracta, ſemper integra, ut nudo ſuo dicto omnia poſſet apud omnes, plusque verbis ejus, quàm aliorum ſignatis literis tribueretur. Emenſo denique longioris ævi curſu, ætatis anno 77. regiminis 50. arthritide laborans, tabulis teſtamentarijs confectis, quibus præcipuè cavit, ut Principes filij aſſignatâ à ſe portione contenti, lites familiarum peſtes extremè fugerent. Quibus ritè conſtitutis, animo excelſo mundana omnia deſpiciens, quanta potuit virium contentione, ſe in nobiliſſimis virtutum actibus, liberè exporrecto in Deum pectore explicuit; ſæpiùs altum ſuſpirare auditus: *Mi Jeſu quando venies? Mi Jeſu fac ut amem te, ſicut dignum eſt te à me amari!* Inde ad matrem JESU (cujus dulciſſimo nomini inſigniter erat devotus) converſus, frequenter illud ingeminabat: *Monſtra te eſſe matrem. Iter para tutum!* quo fine Helmichio Gadesdunchano Priore evocato, totius vitæ maculas animosâ confeſſione deterſit, ac pridiè, ut dignè divino ſe pabulo reficeret, jejunium ſibi indixit. Demum deficiente indice vitæ pulſu, piiſſima ejus conjuge Maria, filijs, Arnoldo Herrenhavio Priore Carruſiano adſtantibus, à Confeſſario paſtus, *Mi dulciſſime*, inquit, *Jeſu ecce cum Magdalena pœnitente peccata mea gravia deploro; & cum eâdem ad ſacros tuos pedes abjectus veniam demiſsè poſtulo.* Eo in voto extremis doloribus obrutus, ſuſpirando Jeſum & Mariam, vixit die 19. Sept. Anno 1443. in Gravienſi à ſe fundata Cartuſia depoſitus. Beatus omninò vir qui ſic moritur: dignus cujus memoria in Benedictione ſit. Facem prætulit, ad quam poſteri cœlum petituri, viam rectam calcarent.

DIE

DIE XX. SEPTEMBRIS.

S. ADELPHUS ABBAS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Oriundus fuit ex posteris Pharamundi Francorum Regis, à quo Merovingi & Carolingi, ex his verò Habspurgici. Certa tamen majorum series indagari à nobis non potuit.

Acta Synoptica.

ADELPHUS Illustrissimo natus sanguine avunculum habuit S. Romaricum ex Regibus Franciæ oriundum. Cujus vitæ institutum, mores, & sanctitatem æmulatus, in ejusdem celebri Cœnobio, quod mons S. Romarici dicitur, Monasticen professus, S. Arnulphum Metensem Pontificem magistrum habuit, & Cœnobij deniqne Abbas electus est. Quo in munere exhibuit se se (ut ait vitæ Author) lenem in verbis, hilarem in aspectu, mitem & affabilem cunctis, patientiæ & modestiæ sectatorem. Sæpius ad varias eremi solitudines se recepit, & secretis lacrymis animi piacula eluebat. Præsagus appropinquantis sui exitus, *accito sacerdote, si quid se meminit deliquisse, prostratus humo exhomologesim fecit, poscens animæ suæ pœnitentiam.* Inde Luxovium properans, ut à Fratribus ejus loci veniam erratorum peteret, gratanter susceptus, non longo pòst tempore cùm horâ surgendi ad orationem se vellet comparare, *brachium illius dolor ingens perculit, statimque præpeti verbo ait: Surge, accede huc Frater, quia sævissimus dolor percassit brachium meum, & vexillum Crucis supra frontem & corpus suum conabatur facere, & dicebat, Christe adjuva, Christe adjuva. Et hâc voce emissâ, atque signo Crucis ab eodem facto, illius sancta egressa est anima.* Cùm corpus ejus transferretur ad Habindense Monasterium, sancta Tetta, quæ & Ebetrudis Abbatissa occurrit obviam unà cum sanctis sororibus gestantibus Sanctorum reliquias cum cereis & crucibus. Auditæ sæpius ad tumulum Angelicæ voces. Aliquot pòst annis elevatum corpus, insigni miraculo repertum est incorruptum, & apparens cuidam S. Romaricus ter præcepit, ut ejus ossa penes sua lipsana collocarentur, quod factum, insignibus eo ipso tempore miraculis populi devotionem augentibus. Diem ejus natalem ad 11. Septemb. reponit Bucelinus. Vitæ author, tumulo illatum asserit die festo S. Amati Abbatis, cui dies 3. Septembris sacra est. Nos hoc loco reposuimus.

Bucel. ad 11. Sept. Anon. auth. vitæ apud Labbe To. 1. Bibl. fol. 683.

DIE

DIE XXI. SEPTEMBRIS.

S. URSINUS EREMITA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

Richomer Princeps, Uxor S. Gertrudis
filia Theobaldi.
|
Gerberta Uxor Ægæ vel Ægani majoris Domus,
ſecundùm Blondellum.

Erchinoaldus Præfectus Palatio Clodovei II. Regis.
|
Leodiſius major Domus, Uxor N. ex ſanguine S. Sigismundi Regis.
|
Attico vel Ethico Dux Alſatiæ, Uxor Berſuindis ſoror Bilthildis Reginæ.
|
Adalbertus vel Albericus Dux Alſatiæ.
|
Luitfridus Dux Alſatiæ, Uxor Hiltrudis Habſpurgica Hæres Comitatus, quæ adoptavit nepotem.

S. Adalbaldus Dux Duacenus, Uxor S. Rictrudis, ex Regio Francorum ſanguine. Hieron. Henning. P. 1 Germ.
|
S. URSINUS cum ſororibus. — S. Maurontus. Theodor. Pieſp. in ſtemma: Auſtr.

Acta Synoptica.

POſt opulentas nuptias URSINUS mundo & uxore relictis, Deo uni ſerviturus in eremum ſeceſſit, & dives meritis migravit ad ſuperos. Solum hoc de eo compertum hactenus ex Henninge & Pieſpordio. Dubitat Henſchenius, eò quòd cœteri authores, qui proles S. Rictrudis annotarunt, de URSINO ſileant: ſed non credo Henningem & Pieſpordium ex vano hauſiſſe hoc nomen. Multorum liberorum nomina prætereunt hiſtorici, cùm de parentibus agunt, eorum præſertim qui humanarum rerum tædio ſecretius vivendi genus amplexi ſunt, quod in hoc opere ſæpius obſervavimus. Henn. & Pieſp. cit. Henſch. To. 1. Feb. fol. 295.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

B. IRMGARDIS V. COMITISSA ZUTPHANIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.	B. Lotharius Imperator.	Carolus Calvus Imperator.
	Ermingardis Uxor Ragneri magni Ducis Lotharingiæ.	Ludovicus Balbus Imperator.
Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici, à quo cæteri usque ad Radepotonem.	Ricvinus Dux Lotharingiæ Moſellanicæ.	Carolus Simplex Rex.
	Godefridus I. Dux Moſellanus, Comes Arduennæ.	Ludovicus Dux Lotharingiæ.
Gothelo Dux Moſellanus & Lotharingiæ.	Gerbirga Uxor B. Mengoſi Dynaſtæ Geldriæ, Comitis Zutphaniæ, obijt circa annum 1010.	Carolus Dux Lotharingiæ.
Godefridus III. Dux, Uxor Agnes Habſpurg. Luitfridi II. filia.	B. IRMGARDIS Zutphanienſis, cognata B. Mengoſi, claruit Anno 1007.	Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
		Hadwidis, Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
		Itha, Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos rectâ lineâ.

Acta Synoptica.

Theod. Rhay. in Anim. illuſt. ad 4. Sept. Bucel. Menol. ad eand.

IRMGARDIS, quam & IRMTRUDEM appellant, illuſtriſſimo Zutphaniæ Comitum ſanguine oriunda, fratrem habuit Hermannum, qui Coloniæ S. Pantaleonis Abbatem egit: cujus virtutum æmulatrix ter Romam peregrina inviſit; & ut fama conſtans narrat, quoties ex urbe rediret, toties campanæ ſuaptè impulſæ adventum meritáque ejus indicarunt. Addit ſcriptorum nonnemo, illam ſecunda in peregrinatione, cùm Pontifici chiro-

chirothecam terrâ ex Cœmeterio 11. millium Virginum plenam obtuliſſet, viceverſa caput S. Sylveſtri Papæ, & Martyris ab eo obtinuiſſe, illudque à S Heriberto Præſule Agrippinenſium infinito populi plauſu ac veneratione, publicâ ſupplicatione honoratum; demum in Hoſpitali Haebortzenſi, quod ipſa ædificaverat, annis, meritis, virtutibúsque plenam, extremum diem clauſiſſe. Majorum quoque traditione non interruptâ circumfertur, illam manibus ſuis nobile illud & prodigioſæ magnitudinis Quadrageſimale velum Collegiatæ B. Virginis Reſſenſis utriusque teſtamenti Biblicis figuris inſigne confeciſſe. Hoc indubitatum, rerum divinarum contemplatione, aſſiduis jejunijs, vigilijs, precibus, ac magnæ Matris principe ſtudio excelluiſſe, eique Roſſenſe templum erexiſſe, utdubium non ſit, eam Virginis ductu cœli templa ingreſſam. Obijt ſexûs ſui miraculum, utriusque templum, die 4. Septemb. ut habet Joannes Molanus, vel 10. Novemb. ut eſt apud Cratepolium. Corpus ejus Coloniæ in Baſilica trium Regum digno honore reconditum, quotidie omnibus videndum patet. Et licet nondum in numerum Sanctorum relata ſit, ſolenni tamen campanarum compulſatione Coloniæ honoratur. Beatæ titulo eam donant Bucelinus, Haræus, Rhay, & alij.

Molan. in ad lit. Uſuard. Cratepol. Hugo. Menard. Wion. Necrol. S. Pantal. Colon. Franc. Haræus in vita.

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

S. HADEMUNDA DUCISSA CARINTHIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imper.
Ermingardis, Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.	N. Soror, vel frater Arnulphi Imperatoris.	Carolus Simplex, Rex, cujus atneptis, Itha Lotharingica magna avia hodiernorum Habſpurgo-Auſtriacorum.
	Sighardus Comes de Sempta & Eberſperg.	
	Ratholdus Comes ab Eberſperg.	
	Adalbero Comes ab Eberſperg.	

S. HADEMUNDA, Uxor Marquardi Ducis Carinthiæ.

B. M. Udalricus Comes ab Eberſperg. Uxor B. Richarda Carinthiæ Ducissa.

Acta Synoptica.

HADEMUNDA Comitiſſa ab Eberſperg, Adalberonis filia, nupta fuit Marquardo Juniori Marquardi I. Ducis Carinthiæ filio, qui in primo ætatis flore raptus HADEMUNDAM deſtituit, & viduam reliquit. Illa non abuſa tempore, & occaſione, deſertis & in pauperes diſtributis facultatibus, peregrina ad Chriſti incunabula, Hieroſolymam profecta eſt, ibidémque religioſiſſimè defuncta pluribus à morte prodigijs inclaruit. Nec plura de hac Diva ſcriptis mandata. Ejus exemplo motus Udalricus frater, & ipſe defuncta conjuge peregrinationem ad ſacra loca terræ ſanctæ meditabatur, ſed obſtiterunt conſcientiæ arbitri, quibus optimè notum erat quid potiùs Udalrico expediret. Nec enim omnibus omnia Sanctorum exempla conveniunt: alia nobis Deus imitanda, alia veneranda & admiranda propoſuit. Dies ejus obitûs ignoratur, nec conſtat de cultu: Sanctæ tamen nomen meruit apud Eberſpergenſes, & Raderum.

Rader. Bavar. S. To. 2. fol. 183.

Arcenbech. Chro. Fundat. Mont. Hund. in Metrop. Avent. lib. 5. Annal. Boico.

Henning. P. 1. Germ. fol. 315. & 542.

DIE

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

S. ALFWOLDUS REX NORDTHUMBRIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum

GENEALOGIA.

Nordthumbriæ Reges cum Francis cognatos, ſæpius oſtendimus. Quo patre verò vel avo natus ſit Alfwoldus, nondum licuit indagare. Interim hic nexus ſufficiat.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha, Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Ethelburga, Uxor S. Edwini Regis Nordthanymbrorum, à quo alij.

Blithildis, Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

Alla Rex Nordthumbr.

Ava Uxor Ethelfridi Regis, Nordthanymbrorum, à quo alij plures.

S. ALFWOLDUS Rex Nordthumbriæ.

Acta Synoptica.

ALFWOLDUS Rex Nordthumbriæ & Martyr, hoc ſatis elogij eſt: donec alia ſuppeditent, quibus auctior hiſtoriarum ſuppellex. Ad diem 6. Aprilis inſcriptus eſt Martyrologio Anglicano primæ editionis, & hujus exemplo Catalogo Ferrarij generali. Verùm in ſecunda editione dicti Martyrologij cum approbatione Michaëlis ALFORDI in Annalibus Anglicanis transfertur ejus memoria ad diem 23. Septembris. Bolland. vel Henſchen. ad diem 6. Apri. in præterm.

Eadem DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

B. PAULA DE GONZAGA VIRGO.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Habſpurgicus Imperator.

|

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

|

Ludovicus IV. Imperator, Dux Bavariæ.

|

Stephanus Fibulatus Dux Bavariæ.

|

Joannes Dux Bavariæ.

|

Erneſtus Dux Bavariæ.

|

Albertus Pius Dux Bavariæ.

|

Margaretha Uxor Friderici Gonzaga, Marchionis Mantuæ III.

|

Franciſcus Gonzaga Marchio Mantuæ IV.

|

B. PAULA Virgo, Sanctimonialis.

Nexus II.

Barnabas Vice-comes Mediolanenſis.

|

Agnes Uxor Franciſci Comitis Gonzagæ.

|

Joannes Franciſcus Gonzaga primus Marchio Mantuæ.

|

Ludovicus Marchio II. Manruæ.

Viridis Uxor Leopoldi III. Probi Ducis Auſtriæ, qui fuit nepos Alberti I. Imperatoris.

Guliel-

Guilielmus Gonzaga Dux Mantuæ III. — Franciſcus Gonzaga Dux Mantuæ II. ſine prole. — Ludovicus Gõzaga Dux Niverſius per uxor.

Vincentius Dux IV. Mantuæ. — Carolus I. Dux VI. Mantuæ Niverſius.

Franciſcus Dux V. Mantuæ. — Leonora Uxor Ferdinandi II. Imperatoris.

Maria Gonzaga hæres Mantuæ, cujus maritus — Carolus II. Dux Niverſius, patri & ſocero præmortuus.

Carolus III. Dux Mantuæ VII. — Leonora Uxor Ferdinandi III. Imperat.

Carolus IV. Dux Mantuæ VIII.

Acta Synoptica.

ILluſtriſſimo thoro nata PAULA illuſtriorem reddidit familiam Gonzagam ſuâ virtute. Adoleſcentula Monialibus S. Claræ Mantuæ in Cœnobio, à corpore Chriſti & S. PAULA nuncupato, quod abavia ejus Paula Malateſta uxor Joannis Franciſci primi Mantuæ Marchionis Anno 1420. condiderat, adjuncta, miros in virtute fecit progreſſus, ut ſororibus quaſi ſpeculum ſanctitatis eſſet, ab ijs in ſumma reverentia habita, quæ miraculis quoque illam claruiſſe teſtatæ ſunt. Diem ejus natalem hac die conſignat Martyrologium Franciſcanum. Annum obitûs non reperio. Pater ejus obijt Anno 1519. unde & ipſa eodem, aut non multò pòſt, deceſſerit. De ea ſuppeditabunt alij plura. Beatam appellant Arturus, & Wolffgangus Högner.

Wading. Annal. Minno To. 5. Arturus de Monaſt. in Martyr. Högner in Martyr. German. Lequile de reb. Auſtr. P. 3. fol. 363.

DIE

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. RUDOLPHUS REX BURGUNDIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Pieſpordij.

Ramprechtus Comes Habſpurgicus.

|

Hugo I. Comes Habſpurgicus.

|

Hugobrechtus Comes Habſpurgicus.

|

Hugo II. Comes Habſpurgicus, Dux Burgundiæ Transjuranæ.

|

Conradus Habſpurgicus Dux Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Habſpurgicus Rex Burgundiæ.

|

S. RUDOLPHUS II. Rex Burgundiæ.

Nexus II. ad mentem Henningis.

Luithfridus Comes Habſpurgicus.

|

Ermenthrudis Habſpurgica, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

|

S. RUDOLPHUS II. Rex Burgundiæ.

Nexus III. ad mentem Gabrielis Bucelini.

Atticus vel Ethico Dux Alemanniæ ex Regibus Francorum, Uxor Berſuindis Regiæ ſtirpis.

Albe-

Albericus vel Adelbertus Dux.

Eberhardus Dux. — Luitfridus. Uxor Hiltrudis hæres Habſpurgi.

Etho Comes Briſiacæ.

Albericus Comes Leberthallenſis.

Ottobertus Comes Habſpurgicus, adoptatus ab Hiltrude.

Warinus Dux Alemanniæ & Alſatiæ.

Iſenbardus Princeps Alemanniæ.

Guelfo I. Princeps Alemanniæ, Uxor Irmentrudis, ſoror S. Hildegardis Imperatricis.

Conradus Comes Altorffij.

Conradus Junior Altorffenſis.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. RUDOLPHUS II. Rex Burgundiæ.

Nexus IV. ad mentem Chiffletij.

Carolus Magnus Imperator
Regina concubina.

Hugo I. Abbas, Dux Burgundiæ.

Adelheydis Uxor Conradi ſenioris Ducis Burgundiæ.

Conradus Junior Dux Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. RUDOLPHUS II. Rex Burgundiæ.

Acta Synoptica.

Rhay in Animab. Illuſt. Cliv. fol. 70.

Pieſp. in ſtemmat. Auſtr.

Laz. in Migrat.

Henning. P. 1. Germ. fol. 57.

INter Sanctos familiæ Palatinæ B. Richelzæ Reginæ Poloniæ, numerat Theodorus Rhay etiam B. RUDOLPHUM Regem Burgundiæ. Eundem Sanctis adnumeratum affirmat Pieſpordius, & obijſſe anno 937. Sanctum etiam pluries appellavit Lazius, quin & Henninges, licet heterodoxus, hæc de illo habet: RUDOLPHUS *Dux* (putat enim fuiſſe filium Rudolphi II. Regis, fratrem Conradi Regis) *cui portio Regni Jurenſis conceſſa fuit, ob vitæ continentiam in numerum Divorum relatus. Uxor Beatrix Comitiſſa Friburgenſis in Briſgoia, S. Romarici Monaſterij in Cluniaco locupletatrix, cum marito in Paterniaco humata.*

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

B. ADALRICUS MONACHUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator.

Ermingardis, Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.

Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis, Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus Anceps Imperator.

Henricus Dux Bavariæ.

Luitgardis, Uxor Burchardi II. Ducis Alemanniæ.

B. ADALRICUS Monachus Confessor.

Carolus Calvus Imper.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis, Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis, Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos Archi-Duces.

Acta Synoptica.

ADALRICUM filium fuisse Burchardi II. Ducis Sueviæ certum est, de matre lis aliqua est. Lazius Hedwigem vocat filiam Henrici Aucupis Imper. vel secundùm alios Henrici Rixosi, sororem S. Henrici Imperatoris. Aventinus Luitgardem nominat filiam Henrici Ducis Bavariæ, neptem Luitholphi Ducis Sueviæ: alij Luitgardem sororem S. Uldalrici Episcopi Augustani. Denique Bucelinus putat fuisse nominatam Regulindam, & quidem Beatam, Conradi I. Imp. filiam. Quocunque te vertas, Habspurgo-Austriacis cognatum deprehendes. ADALRICUS verò juvenili ætate Monasticen in Cœnobio Einsidlensi professus, eximiâ vitæ sanctitate enituit. De li-

Bucel. Menol. fol. 675. Monum. Cœnob. Einsiden. Laz. Migrat. lib. 8. fol. 487. Avent. ap. hunc. Bucelin. Const. Chron. f. 179.

centia dein ſui Abbatis in Uffnovu Thuricenſis lacûs inſula ſolitariam vitam colens, magnam loco reverentiam conciliavit. Lacu aliquando nimiùm excreſcente, cùm ope deſtitutus humanâ neceſſaria exhauſiſſet, ab ignoto, qui Angelus fuiſſe creditur, panem & vinum allatum accepit. Memorabile & illud, quod fertur, dum frequentiùs ad ſuum regrederetur Cœnobium, lacum ſiccis pedibus calcaſſe: cùm verò quadam vice ſtipitem è ſepimento alieni horti, cui per declive inniteretur, extraxiſſet, & ad lacum accurreret, aquas pro conſueta Numinis gratia calcare nequiviſſe, donec ſtipitem loco ſuo redderet. Monitus fuit etiam ab Angelo, S. Wiboradam à nimio rigore retrahere, multisque clarus virtutibus Anno 973. ad præmia æterna avolavit. Miraculis à Numine honoratus; magnâ fidelium devotione in Uffnovu colitur, à Theodowino S. R. E. Cardinale Beatorum albo adſcriptus Anno 1141. diem natalem refert Bucelinus ad 29. Sept. nos hodie.

DIE

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

S. SIGEBERTUS REX SAXONUM ORIENTALIUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francor.

- Blithildis, Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.
- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha, Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Eadwaldus Rex Cantiorum, Ux. Emma ex Regibus Francorum.
      - Ercombertus Rex Cantiorum, cujus Uxor. — S. Sexburga.

Uuffa Rex Anglorum Oriental.

- Tytilus Rex Anglorum Orient.
  - Redwaldus Rex Anglorum Orientalium.
    - Earpwaldus Rex Anglorum Orientalium.
      - Annas Rex Anglorum Orientalium.
    - S. SIGEBERTUS Anglorum Orientalium.

Acta Synoptica.

MUltis nominibus de regno ſuo meruit SIGEBERTUS, eóque inprimis, quòd liberalium artium propagator, viros eruditione præſtantes maximis impenſis evocavit, publica literarum ſtudia inſtituit, & celeberrimam Cantabrigiæ Univerſitatem condidit Sed illud multò illuſtrius, quòd inductis virorum Apoſtolicorum colonijs, fidem Chriſti latiſſimè propagarit; inanium Deorum cultum, & quidquid ſuperſtitionis apud eas gentes vigebat exterminarit: dignis denique tanto Rege virtutibus & factis omnium ſibi animos conciliarit. Tandem regni & mundi pertæſus, admirantibus univerſis Chriſtum in Cruce nudum nudus ſecutus eſt, & Regum delicias in duram & aſperam vitam commutavit, quam in Cœnobio Cnobhersburgenſi profeſſus, glorioſiſſimo poſtea fine coronavit. Cùm enim Penda Rex Merciorum Chriſtiani nominis hoſtis numeroſo cum exercitu in fines Anglorum Orientalium irruiſſet, Egricúmque Regem graviter premeret, illi inferiores ſe conſpicati, Sigebertum è Monaſterio eductum, ut ſuâ præſentiâ militum animos confirmaret, copijs præfecerunt: qui de Cœnobio egredi compulſus, ne religioſi inſtituti reverentiam violaret, eodem habitu, quo in Monaſterio utebatur, ſolam manibus virgam præferens, exercitum moderatus, cúmque hoſte pro patria & religione congreſſus: permittente Numine, fuſo ab infidelibus Chriſtianorum exercitu, ipſe quoque cum Egrico Rege trucidatus, glorioſo

Matth. Weſtmon. in hiſt. Anglic.

Eduard. Meyhev. Polyd. Virgil.

Arnold. Wion. in ligno vitæ.

Yepes To. 2. SS. Ord. Benedict.

Bucelin. Menol. ad Aug.

Chronol. Anglo-Sax. ad an. 632.

Malmesb. lib. 2. de geſt. Angl. PP. Wigornie. ad an. 636.

Martyrio Victor ad triumphos feliciſſimæ æternitatis evolavit, Anno Chriſti 652. Diem natalem ad 7. Auguſti retulit Bucelinus cum Martyrologio Gallicano, at Anglicanum habet 27. Decemb. Venerab. Beda paucis ejus complectens elogium ait: *Accepit regnum Earpvvaldi frater* SIGBRECHT, *vir per omnia Chriſtianiſſimus ac doctiſſimus: qui vivente adhuc fratre, cùm exularet in Gallia fidei Sacramentis imbutus eſt. Quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam ſuam Provinciam facere curavit.* Addit deinde, uſum fuiſſe operâ S. Felicis Epiſcopi Burgundi natione, qui ei in Gallia exulanti familiaris effectus, ad fidem Chriſti converterat, de quo latè Henſchenius ad diem 8. Martij. Acceſſit etiam in adjumentum S. Furſæus, de quo idem Beda: *S. Furſæus, cùm ad Provinciam Orientalium perveniſſet Anglorum, ſuſceptus eſt honorificè à Rege* SIGEBERTO, *& ſolitum ſibi opus Evangelizandi exequens, multos & exemplo virtutis, & incitamento ſermonis, vel incredulos ad Chriſtum convertit, vel etiam credentes amplius in fide atque amore Chriſti confirmavit.*

Cambde. in hiſt. Cãtabrig. Capgrav. in Legend. SS. Boll. vel Henſchen. ad 8. Mart. f. 781. Beda hiſt. Angl. lib. 2. c. 15. Beda cit. lib. 3. c. 19.

Eadem

Eadem DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

B. JOANNA LUCEMBURGICA ABBATISSA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Henricus Phundelus Comes Lucemburgicus.

Henricus VII. Imperator.
|
Joannes Rex Bohemiæ, Uxor Eliſabetha neptis Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici.
|
Carolus IV. Imperator.
|
Sigismundus Imperator.
|
Eliſabetha Uxor Alberti II. Imperatoris Auſtriaci.

Valeranus I. Comes Lucelburgicus.
|
Valeranus II. Comes Lucemburgicus.
|
Joannes I. Comes Lucelburgicus.

Henricus Comes Lucelburgicus.
|
B. JOANNA Lucelburgica Abbatiſſa.

Joannes II. Comes Lucelburgicus.
|
B. Hanydis Lucelburgica Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

HEnrico Marchione ſeu Comite Lucemburgenſi edita JOANNA, contemptu tanti generis generoſiſſima, Religionem Zelúmque amitæ ſuæ Beatæ Hanydis imitata & aſſecuta, eodem quo illa in Cœnobio Clariſontis Monaſticen profeſſa, adeò ſe univerſis probavit, ut poſt illius deceſſum ſecunda loci ejusdem Abbatiſſa eligi meruerit. Vitam duxit in terris verè cœleſtem, adeò ut ad tam dignum ſpectaculum cœlo cœlites deduceret, & familiares in mortali etiamnum corpore degens haberet, quos inter ipſa etiam Auguſtiſſima cœlitum Imperatrix ſpectabili forma ſæpè adfuit, & familiariter JOANNÆ ſuæ collocuta eſt. Cernitur in hodiernum diem in porticu Eccleſiæ Monaſterij imago Deiparæ lapidea, quæ JOANNÆ Abbatiſſæ, dum ipſam tranſiens oraret, per capitis inclinationem, ſive etiam ſalutationem reddidiſſe, certiſſimâ traditione (ut Fundationis ejus domûs hiſtoria habet) celebratur. Obijt pijſſimè: annus tamen obitûs ignoratur: ibidem cum duabus ſororibus in marmoreo condita monumento. Beatam appellat Bucelinus, & hanc ei diem natalem aſſignat. Geneſim ejus veroſimiliter diſpoſuimus: de cognatione cum Auſtriacis dubitari non poteſt, cùm inter hos & Lucemburgicos ſit multiplex nexus.

Jacob de Vaux. Chryſoſt. Henriq. in Menolog. Ciſt. Bucelin. in Menol. ad hanc diem.

Eadem

Eadem DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

VEN. MAGDALENA DUCISSA PALATINA NEOBURGICA.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Ferdinandus I. Imperator Austriacus.



Acta Synoptica.

Theod. Rhay. in annmab. illustr.

ERat Heroina MAGDALENA Wilhelmi glorioſæ memoriæ Ducis Bavariæ, ejus nominis V. & Renatæ Lotharingæ filia, Mariæ Annæ Ferdinando II. Imperatori elocatæ ſoror, ſui contemptu, præcipuè verò charitatis æſtu in Deum, pupillos, pauperes, ægros, admiranda; Priores victu, veſtitu, pecuniâ manu effusâ; poſteriores pharmacis à ſe præparatis (indulgentiſſimæ matris inſtar) fovebat, alijs benigna, ſibi dura: utpote ſolita corpus ſuum cilicio reticulóque nodoſo aurea ſub veſte affligere, flagris cædere, ſomnum humi capere, inter preces integris diebus ſine cibo ſubſiſtere, jejunia legibus Chriſtianis imperata, vel ab anno ætatis duodecimo ad decretorium usque diem exitûs ſervare. Optabat illa ætatis florem non mundo, ſed templis, aris, Deo in Monaſterio conſecrare, niſi votis ſereniſſimi parentes, conſcientiæ arbitri, & ſperatum infinitarum per tot nobiles ampliſſimásque Provincias, jam in pluribus divinâ benignitate nepotibus firmatum animarum lucrum, obſtitiſſent. Amburbales, imò & remotas ad quinque ſæpè Germanica milliaria peregrinationes, pro ſereniſſimi conjugis, publicáque Orthodoxorum ſalute, non ſemel pedes graviſſimè fatigata ſuſcepit. Porrò binis quotidie ſacris, Dominicis verò feſtisque diebus etiam prolixiſſimis in Eccleſia peractionibus maximo pietatis guſtu intererat: Amori ſuo ſub pane latenti conjunctiſſima, ut apud eundem precibus reos flammis purgantibus eximeret, dicere ſolita: *Quam opem vivi mortuis ferimus, etiam & nos ipſi olim ſentiemus.* Horam quotidie meditationi & conſcientiæ examini impendebat. Et cùm quinque linguas latinam imprimis calleret, horas Canonicas, curſum Deiparæ, preces jacu-

jaculatorias, Roſaria, aliáque pietatis exercitia Deo quot diebus obtulit. Cùm verò præcipuè Divorum cultu teneretur, inter reliquos S. Ignatium Loyolam ita impensè coluit, ut ejus pervigilium jejunio, feſtum ſacrâ ſynaxi ſumptâ quotannis ingenti pietatis ſenſu celebraret, afferens, ejus ſociorúmque operâ hac tempeſtate religionem Catholicam, contra ſectarios potiſſimùm conſervatam eſſe. Hinc ipſius aliorúmque Sanctorum templa ſacrilegè ab Acatholicis violata reſtituit, altaria nudata veſtivit, & pro decoro ſacrificiorum, manibus ſuis confecta indumenta pretio & opere viſenda ſubmiſit. Hæreſim animarum capitalem peſtem ita piâ ſuâ eruditione confixit, ut vel ipſi Acatholicorum eruditiſſimi faterentur, eam ingenio, quinque linguarum, ac vel maximè latinæ inſigni peritiâ certare, & viris invidiam facere potuiſſe. Fortè non obſcuri nominis ſanguinísque Dynaſta familiari in menſa *Purgatorium Cleri Pactorum, Euchariſtiam Catholicorum cruſtum potiùs quàm Chriſtum*, indigitabat. Subridens ad ea Magdalena repoſuit: ſic Tagum Miniſtellorum veſtrorum profanas Confeſſionum exceptiones auriferas: & cænam Calviniſtarum purum fruſtum, Lutheranorum azymum gutturis cruſtum dixerimus. Annuo ferè morbo exercita, ad noviſſimum illud æternitatis negotium ſeſe comparans, nullos niſi de Deo ſermones admittebat, id imprimis curæ habens, ut ſereniſſimo conjugi Düſſeldorpij agenti ſupremis literis, filium, Religionem Catholicam, & fidei bono ſocietatem JESU commendaret. Inde quod reliquum erat vitæ cum Chriſto crucifixo ac Virgine Matre colloquijs dedit: neque unquam ſupremo vitæ tempore Confeſſarium ſuum à latere dimiſit, duo quædam ſeriò ipſi imponens. Primùm ut Catholicæ fidei Profeſſionem, quam pridem latinè ſuísmet manibus pergameno inſcripſerat, à morte è collo ſuſpendi ſibi curaret, ut Romanæ Eccleſiæ viva, & defuncta ſe devotiſſimam filiam profiteretur. Alterum ut funeris pompâ, laudibus, encomijsque neglectis, ſilenter inter Cleri piorúmque vota in templo Beatiſſimæ Virginis PP. Societatis JESU deponeretur. His ordinatis, mortem imminere ſentiens ſtuduit, ut ſereniſſimum unicúmque Principem filium Philippum Gulielmum, ad Dei, ſereniſſimi Parentis, Eccleſiæque Catholicæ ardentem obſervantiam ſupremis vocibus inflammaret, magno verborum pondere ſeriò monens, ut mortem potiùs, quàm ullum lethale peccatum admitteret; inde vel umbram ejus ſolicitè fugeret: Miſericordiæ matrem MARIAM pleno affectu, loco Matris ſe infinities præſtantioris in terris adſciſceret: quo in dicto tenerrimo Matris ſenſu eundem poſtremum complexa inter aſtantium profuſas lacrymas mortuali dextra, ultimâ benedictione extremóque vale datis, dimiſit. Inde extremis Sacramentis juxta morem Eccleſiæ piè munita, tota in Chriſto JESU de Cruce pendentis imagine contemplandâ hærens, Sacerdoti illum verſiculum *Eſto nobis Domine turris fortitudinis*, clara voce oranti, animosè reſpondit: *A facie inimici*; animámque ſanctiſſimè exſpiravit Anno 1628. die 27. Septemb. Totius morienti adſtantis Aulæ vox erat: *Nunquam ſe ſe mortalium quenquam ita piè & religiosè de ſtatione vitæ migrantem vidiſſe*: ut proinde eam Heroidem priſcæ virtutis, Nepotum ac familiæ ſidus, alterámque orbis *Juditham, de qua non eſſet qui loqueretur verbum malum*, dictitarent. Hinc tale ejus tumulo adſcripſit Elogium Theodorus Rhay.

Sunt Genus, & Virtus, Ars, Mors tua gloria: de Te
Nemo malum verbum, qui loqueretur, erat.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. WENCESLAUS DUX BOHEMIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

S. Ludmillla Uxor Borivorij Ducis Bohemiæ.

|

Wratislaus Dux Bohemiæ, Uxor Drahomira.

S. WENCESLAUS Dux M.

Boleslaus Sævus Dux Bohemiæ.

|

Boleslaus Pius Dux Bohemiæ.

|

Boleslaus III. Dux Bohemiæ.

|

Jaromirus Dux Bohemiæ.

|

Udalricus Dux Bohemiæ.

|

Bretislaus Dux Bohemiæ, Uxor Juditha filia Ottonis II. Imp.

|

Uratislaus Rex I. Bohemiæ.

|

Uladislaus Princeps Bohemiæ.

|

Uladislaus II. Rex Bohemiæ.

|

Premislaus Ottocarus Rex Bohemiæ.

|

Wenceslaus Ottocarus Rex Bohemiæ.

|

Ottocarus V. Rex Bohemiæ.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

|

Wenceslaus Rex Bohemiæ, Uxor — Juditha ſeu Gutta Habſpurgica.

Alium nexum vide in S. Ludmilla die 15. Sept. in Uratislao Duce Bohemiæ 13. Febr. in B. Agnete Principe Bohemiæ 7. Junij. in B. Henrico Epiſcopo Pragenſi die 14. Junij, & alibi.

Acta

Acta Synoptica.

ALimentum converti in alitum, non tam verum eſt, quàm ab altricibus alterari naturam. Documento ſint WENCESLAUS & Boleslaus fratres, Bohemiæ uterque Dux: illum avia Ludmilla ſanctiſſima matrona, hunc monſtrum mulieris Drahomira mater educavit. Uterque imbibit altricis ſuæ mores. Fratres negares, tam iſte pietatem oderat, tam ille amavit. Boleslaus junior divina humanáque omnia ſusque deque habere; at WENCESLAUS nudis pedibus ſummâ hyeme templa obire, & facienti ad aram Sacerdoti miniſter aſſiſtere. Oſtendit cœlum gratum ſibi eſſe hunc zelum, quo cives ſui Angeli delectarentur. Cùm enim in Ratislaum moveret WENCESLAUS, parcus ſanguinis ſuorum, ſed prodigus ſui, hoſti duellum obtulit, enſiculo brevi ſuccinctus, ſed benè lorica è cilicio & cruce armatus. Adeſt ille totus ferreus haſtâq; ingenti & machærâ timendus; verùm pugnam ſibi non cum homine eſſe, ſed Angelo, videt adverſarius, qui proinde territus ad genua WENCESLAI procubuit. Quin Otto etiam Imperator cùm comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi ad ſe WENCESLAUM vidit, comitatu profectò ipſis Imperatoribus invidendo. At mundus ſemper eos habuit odio, qui non ſunt de mundo: antiqua innovaturus ſcelera, commiſit fratres. Una odij cauſa pietas; incentivum mulier, & quod mireris, mater. Coævum penè mundo fratricidium apparatur in aula Bohemica. Cadit ad genialem menſam, tanquam ad aram victima ſimilis præcidaneæ mundi naſcentis, WENCESLAUS. Fraternus furor exulcera vit veſtigium primi in orbe vulneris: imò ſumpſit incrementum ſcelus, cùm ipſa mater viceverſa Neronem induit, ut perderet filium: auſa etiam ſuæ carnis portionem exanimatam projicere ad ferarum paſtum. Non tulit facinus impunè tellus; os aperuit pro tacente innocentia, & curru vectam Drahomiram cum omni comitatu (ſi aurigam excipias, qui audito ære campano ad aram accurrerat) vivam abſorbuit. Tantum nefas hiantis ad necem filij, hiatu plectendum erat: & ad tellurem vindicta pertinuit, quæ cùm natos ſuis alimentis educat, etiam mortuos ſinu complectitur. Parricidij verò Satellites agitati furijs, cùm ſecuritatem ſomniarent, ſecures in ſe ipſi ſtrinxerunt ſuas, non alio digni carnifice, quàm manu propria. Sanguis Martyris effuſus adhæſit parieti, ut deleri non poſſet, etiam poſteaquam deletus eſt hoſtis, qui eum fuderat. Acta hæc Anno 939. meruerunt cultum Sancti perpetuum, noſtrà ætate etiam per Auſtriacas extenſum Provincias.

Andr. Brunn. in faſtis.

Jo. Bapt Maſc. in Encom.

Joan. Dubr. lib. 4. & 5.

Laurent. Surius, & Franc. Hiræ. in vita Bohusl.

Balbin. in Epit. Boh.

Æn. Sylv. in Europ.

Gabriel Bucel. Menol. fo. 671.

Nuſſien. Can. in Chron. Belg. f. 78.

Eadem DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. THIEMO ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ex Welphis Ducibus Bavariæ originem traxit, Comes de Medling, & Frontenhauſen, ut ait Henninges, ſed quâ majorum ſerie incertum. Interim cum Carolingis & Habſpurgicis Welphorum nexum exhibere libet ex Bucelino & Chiffletio.

Welpho I. Princeps Alemanniæ Comes Altorffi.

- Ethico Princeps Alemanniæ Comes Altorffi.
  - Henricus Dux Bavariæ Com. Altorffi, Uxor Hattha ſoror B. Raſſonis.
    - Rudolphus Dux Bavariæ.
      - Rudolph. II. Dux Bavariæ.
        - Guelpho II. Dux Bavariæ. Uxor Irmentrudis, ſoror S. Chunegundis Imper.
          - Carolus Dux Lotharingiæ.
            - Ermingardis, Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
              - Hadwidis, Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
                - Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo omnes cœteri ad hodiernos.
- Judithia Uxor Ludovici Pij Imperatoris filij Caroli M.
  - Carolus Calvus Imper.
    - Ludovicus Balbus Imperator.
      - Carolus Simplex Rex.
        - Ludovicus Transmarinus Rex.
          - Mathildis, cuius maritus Conradus Rex Burgundiæ.
- Conradus Altorffenſis, Dux Burgundiæ Jurenſis.
  - Conradus Junior Dux Burgundiæ, Uxor Ehrentrudis Comitiſſa Habſpurgi filia Luitfridi.
    - Rudolphus I. Rex Burgundiæ.
      - B. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.
        - S. THIEMO ex Welphis Ducibus Bavar. ortus.

Acta Synoptica.

Henric. Canis. To. 4. antiq. lect.

Chron. Weingart. lib. de Guelph.

THIEMONEM, quem & Theodamarum, & Diethmarum nominant, ex illuſtri Comitum Medlingenſium ſtirpe, qui à Welphis trahebant originem, progeneratum omnes fatentur, qui de eo ſcripſerunt. Bucelinus, illuſtriſſimo Bavariæ Principum ſanguine procreatum aſſerit. Primam adoleſcentiam ingreſſus contubernio S. Benedicti in Cœnobio Altahenſi ſe addixit, ubi Deo ſanctiſſimè operatus, diſciplinis etiam liberalibus ingenium, quod

quod illi natura feliciſſimum indulſit, egregiè excoluit: literas nullo negotio perdidicit, plurium adhuc capax, pingendi, ſculpendi, cælandique artificia complexus (quorum unum ex ſculpturis videre merui & venerari Salisburgi ad S. Petrum) veluti mollis cera omnes formas recipiebat. Invidebat (ut ſolet, cùm futuros magnorum ingeniorum progreſſus auguratur) hoſtis cacodæmon, & conſtantiam ejus expugnare molitus, poſt plures luctas effecit, ut THIEMO tot arietibus impetitus, propemodum fatiſcens, ſepta clauſtri egreſſus abituriret. Sed mox pœnitens facti, cùm reverſuro quidam equum ſuum cedere vellet, inquiens; *Noli Domine mi injuriam hanc tibi facere: non eas, quia temetipſum degeneras. Cui* THIEMO: *ſine me, reducat pedibus ſubmiſſa humilitas, unde ſuperbia furioſa exploſerat.* Exceptus omnium gratulatione, nudum ſe ſtitit, & pro culpæ dignitate cædi petijt. Proximâ nocte, veluti proſtrato hoſte, cœleſti viſo recreatus didicit, Salisburgenſi Inſulâ ſe donandum, & olim Chriſti legem apud Barbaros teſtaturum. Magnis deinde cùm inclareſceret virtutibus, ad S. Petri Salisburgenſe Cœnobium, Iremberto Abbate ultrò cedente, poſtulatus, ſuſceptum onus ingenti curâ nec minore prudentiâ adminiſtravit. Sed cùm atrox in Eccleſia diſſidiorum orta tempeſtas orbis capita ſummum Pontificem & Imperatorem collideret, nec vellet THIEMO communicare Archiepiſcopo per Imperatorem Henricum intruſo, in Sueviam ſe recepit; Schaffhuſiani primum dein Hirſchaugienſis Cœnobij triennio inquilinus. Revocatus ad ſuos, cùm iterum à Bertholdo Archiepiſcopo quâ promiſſis quâ minis ad Cæſaris partes traheretur, ad Cœnobium Admontenſe in Styria ſeceſſit. Mortuo interim Gebhardo legitimo Archiepiſcopo, contra Bertholdum ipſe electus, cùm ad arma etiam ventum eſſet cognatis ſuppetias ferentibus, captus ab adverſa parte carcerem ſubijt. Immiſſus percuſſor, cùm ſecurim in cervicem ſancti viri vibraret, nihil egit repetito & fruſtrato ictu, ſecuri demum in ſuperimminens tignum impactâ & fractâ, ad pedes Præſulis concidit divinæ protectionis argumentum ſtupeſcens. Liberatus demum è cuſtodiâ, in Sueviam rurſus abijt ad Gebhardum Conſtantienſem Epiſcopum, inde cum cæteris Cruceſignatis ad terram ſanctam profectus cum Welphone Duce, quo in Papho Inſula extincto, ipſe Corozaim ex adverſo Capharnai ſitam appulit; ubi à Saracenis circumventus, & Chriſti præconem ſe profeſſus, oblatam Machometi ſtatuam malleo confregit, ob id crudeliſſimè tortus eſt. Nam cute primùm convulſa, dein digitis articulatim reſectis, præciſo demum umbilico, & viſceribus tractim evolutis, inter illa verba: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, victorem animam Creatori Deo transmiſit, Anno Chriſti 1101. die 28. Sept. ut Raderus, Bucelinus &c. alij 29. Auguſti. alij 15. Julij. Reſectas corporis particulas cùm equorum ungulis objicere barbari conarentur, nullâ vi movere potuerunt, uti neque beſtiæ propiùs accedere. Collecta igitur à Chriſtianis ſacra lipſana, & tumulo illata ſunt. Ædes deinde ibi magno ſumptu condita, ubi innumeris poſteà morbis, opem tulit Sanctus: eúmque ipſi barbari

Trithem. lib 4. c. 123. de vir. illuſt. Ord. Bened. Catal. Epiſc. Salisburg. Hund. in Metrop. Matth. Rader. To 1. Bav. Sanct. f. 122. Bucelin. Menol. ad 28. Sept.

venerati ſunt, ijs qui violare ſepulchrum præſumerent, vel irriderent, aut illicò arreptis à Dœmone, aut morte repentina corruentibus.

DIE XXIX. SEPTEMBRIS.

S. LUITWINUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani.

Arnoaldus Dux Mosellanus.

S. Arnulphus Dux Mosellanus.

S. Clodulphus Dux Mosellanus. — B. Ansegisus Dux Brabantiæ.

Gonza Uxor Getwini Ducis Austrasiæ. — S. Basinus Archiep. Trevirensis, secundùm alios filius Arnoaldi. — Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ, à quo Carolingi & Habspurgici.

S. LUITWINUS Archiepiscopus Trevirensis.

Acta Synoptica.

Jac. Masenius in Epit. Annal. Trev. f. 175. & seq.

Gabr. Bucelin. ad 29. Sept. in Menolog.

Franc. Rosier. in stemmat. Lotharing.

Gualt. de Episc. fol. 1450. ad diem 10. Sept.

Can. Nussiens. in Chron. Belg. f. 26.

GErvinum Ducem Austrasiæ, Gonzam S. Basini sororem parentes habuit LUITWINUS. Potentiâ & opibus amplissimis benè usus, Monasteria quæ reperisset destituta subsidijs liberalissimè dotavit, & juvit, Mediolacense verò Cœnobium juxta Saravum flumen sex passuum supra Saræburgi arcem millibus, eò loci condidit, ubi se in sole quiescentem, explicatis pennis Aquilam inumbrare conspexerat. Quin Monasticum sub D. Benedicti disciplina institutum complexus (ne opes quàm seipsum præstantiùs collocaret) pari religionis studio flagrabat, quo sua in Dei obsequium profundebat. Ex Abbate Mediolacensi Trevirensium Archipræsul effectus, cùm insigni beneficentiâ subjectas sibi Ecclesias complecteretur, Rhemenses etiam, nec multò pòst Laudunenses pro suprema illic Episcopalis Officij cura admittenda supplices habuit. Quorum ipse preces cùm aspernari vix posset, æquum censuit, quidquid in se operæ viriúmque esset, id Ecclesijs Dei non denegare: eveniséque memorant, ut uno die cùm Rhemis, tum Lauduni sacris Ordinibus impartiendis exspectaretur, divinitus factum sit, ut istic peracto munere, Lauduni idem, velut die ad votum prorogata, eadem sit visus luce præstare. Nihil divinâ potestate nixis arduum nimis aut remotum est, qui ei in Episcopatu suffectus, felix futurus, si uti bonorum, ita pietatis ac virtutis paternæ hæres successisset. Obijt LUITWINUS plenus meritis Rhemis, quem Treviri ceu suum Præsulem reposcebant. Quare navi impositus, & Saravi se se infundentis aquarum attigisset ratis consortium, hæsit adversus remiges immobilis; suóque demum permissa fortuito motui, toto impetu (quod in illa Diœcesi Sanctorum corporibus frequens) per obluctantes Saravi undas Mediolacum, quod ipse fundaverat, provecta est; indicante Divo, quo post fata loco vellet honorari. Id Anno Christi 718. evenisse censet Masenius; ad annum 670. retulit Bucelinus.

DIE

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

B. CONRADUS S. R. E. CARDINALIS PORTUENSIS.

Habspurgico-Zäringicus.

GENEALOGIA.

Betzo seu Landolus I. Comes Habspurgicus, obijt Anno 991.

- Landolus II. Comes Habspurg.
  - Bertholdus I. Barbatus Habspurcus Zäringiæ conditor.
    - Bertholdus II. Dux primus Zäringiæ.
      - Conradus Dux II. Zäringiæ.
        - Bertholdus IV. Dux Zäringiæ, obijt Anno 1186.
          - Agnes Zäringo-Habspurgica Uxor Eginonis Comitis ab Urach.
            - B. CONRADUS Comes ab Urach, Cardinalis Portuensis.
      - Bertholdus III. Dux Zäringiæ.
        - Bertholdus V. Dux Zäringiæ, obijt Anno 1218.
- Radepoto Comes Habspurgicus, Uxor Itha Lotharing., a quibus recta linea omnium ad hodiernos Austr.

Acta Synoptica.

DE majoribus B. CONRADI Cardinalis dissiduum est authorum, quia duo in unum conflantur. Volunt aliqui, hunc fuisse Bavarum Henrici Bavariæ Ducis filium, Henrici Superbi nepotem, ut Panuinus, Wion, Bzovius, Bucelinus; hic tamen Henrici Nigri filium, Welphonis IV. nepotem facit. Verùm, ut benè observat Raderus, huic opinioni Chronologia resistit. Melius alij existimant, è Zäringo-Urachica stirpe oriundum. Ita sanè Ciaconius in vitis Pontiff. cui potiùs credendum, qui documenta habuit ex Bibliotheca Vaticana. Alius fuit Conradus Henrici Nigri filius, de quo egimus ad diem 17. Martij. Et alius rursus Cardinalis Bavarus, ex familia Wittelspachia, Imperatoris Friderici Barbatossæ propinquus, qui reprobato Victore IV. ad Alexandrum Papam III. legitimum se contulit, cùm esset Archiepiscopus Moguntinus, ab eo creatus Episcopus Cardinalis Sabinus, & Anno 1205. obijt. Hic verò de quo agimus CONRADUS attigit tempora inchoati Ordinis Prædicatorum, cui eximiè faviisse scribitur. Solùm de vero patre ejus adhuc est difficultas; nam Henriquez vult fuisse filium Comitis de Seyne, ut est apud Bucelinum, quod alibi non legi: Henninges verò & Raderus putant Eginonem non Uracensem, sed Habspurgo-Zäringicum, parentem CONRADI. Sed credendum hic est Lazio & Ciaconio. Lazius disertis verbis de Bertholdo IV. Zäringico: *Cùm se magnificentius ageret, in suspicionem*

Onuph. Panvin. in Honorio III. Arnold. Wion. lib. 1. p. 68. Bzov. in Annal. ad ann. 1222. Bucelin. Menol. ad diem 30. Sept. Rader. To. 2. Bav. Sanctæ fol. 291. Alph. Ciacon. in Honorio III creat. Card. 2.

apud

Chryſoſt. Henriq. in Menolog. Henning. p.1.Germ. fol.266. Laz.Geneal.Auſtr. fol.156. Thom. Cantiprat. lib.1.c.9. Urſperg. lib.3.c.33. Avent. lib.7.p. 530.

apud eundem (Fridericum Barbaroſſam) *incidit affectatæ Burgundiæ, regnique Arelatenſis: quam ut dilueret, obſides dare coactus eſt, proprios ex filia nepotes, Uracenſis Comitis filios, Bertholdum videlicet &* CHUNRADUM, *poſtea Loſanenſem Epiſcopum, poſtremò Cardinalem Portuenſem.* Et poſt nonnulla: *Is ex Benigna Vogburgenſi Boiarica Marchioniſſa duas filias genuit, Juditham Eginoni Comiti ab Aurach nuptam; unde dictum eſt* CHUNRADUM, *Cardinalem, & Bertholdum Ducem natos: & alteram Agnetem Eginoni Comiti à Fürſtenberg collocatam &c.* Similiter ferè Ciaconius: *Is Bertholdi Zaringiæ Ducis fratris Eginonis filius, cum fratre Bertholdo olim obſes datus eſt Philippo Suevorum Duci, Cæſari deſignato, quo mortuo ambo fratres voti rei, quòd Monachiſmum in captivitate poſiti, ſi liberarentur, voverant.* CONRADUS *quidem Monachus Ciſtercienſis, Rudolphus verò Abbas in Luzirach facti ſunt.* Erravit ammanuenſis vel Typographus ponendo *fratris filius*, cùm deberet eſſe affinis filius: quod ex ipſomet colligitur, quia prius ſcripſerat: CONRADUS *Eginonis de Urach Suitonum Dynaſtæ filius.* An autem mater CONRADI vocata ſit Agnes, ut vult Pieſpordius, an Juditha, ut putat Lazius, parùm refert, cùm de familia conſtet. Porrò laudatiſſimus hic Præſul, quem Gregorius Papa IX. *virum honeſtate morum, literarum ſcientiâ, & generis nobilitate præclarum* appellabat, obſidis perfunctus munere in Villarienſi Burgundiæ Cœnobio Ciſtertienſibus adſcriptus, primis Tyrocinij menſibus magnus evaſit, cujus abſentis merita B. Simon Alnenſis per ſpiritum cognovit, ejúsque & cogitationes & orationes miro modo perſpectiſſimas habens, coronâ aureâ caput ejusdem redimitum intuitus eſt. Non multò pòſt Prior Villarienſis, dein Abbas electus, ad Leodienſem Epiſcopatum poſtulatus eſt nonnullorum votis: quibus alii Monaſticum regimen metuentes ſe oppoſuêre. Poſteà Claræ-vallenſis Cœnobij Abbas deſignatus, demum ad navandam Eccleſiæ univerſæ operam accerſitus, S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis S. Rufinæ Anno 1219. renuntiatus eſt. In Germaniam Legatus à Latere ab Honorio III. & in Galliam contra Albigenſes deſtinatus, in ea hæreſi opprimenda ſtrenuè deſudavit. Recens tunc Ordinis Prædicatorum inſtitutum mirificè juvit ac promovit, & contra plurimorum odio atque injurias paterno affectu tueri nunquam intermiſit. Cui tam gratæ ſibi operæ ipſa Cœlitum Imperatrix Virgo Deipara gratias habuit, incumbentíque in preces CONRADO adfuit, atque amicè alloquuta inter Angelorum frequentiam tam charæ ſibi familiæ res promoviſſe, & honorem curaſſe, peramanter gratulata eſt. Concilijs aliquot juſſu Romani Pontificis præfedit, Moguntino, Colonienſi, Leodienſi, & Clerum vitæ licentiâ peſſimè diffluentem, ad officium revocavit. Legatus quoque in Hiſpaniam miſſus, ea regna æterno ſibi beneficio devinxit. Ad tumulum B. Mariæ de Oegnies dum oraret, eam flexis genibus pro ſe orantem, in ſpiritu vidit, & labores ſuos conſolantem, mirâ animi recreatione attendit. Moriturus: *Utinam*, iuquiebat, *usque in hanc horam in Villario ſub diſciplina vixiſſem regulari, & cum culinæ hebdomadarijs ibidem ſcutellas abluiſſem.* Ejus digiti, cùm adhuc viveret, rariſſimo, & ad eam diem inaudito prodigio candelarum inſtar nitidiſſimo lumine collucebant, ita ut nocturno tempore ad ſacra ſtudia & librorum inſpectionem alio lumine non uteretur. Deceſſit meritis locupletiſſimus, ut habet Ciaconius, Anno 1234. Sed Abbas Urſpergenſis, Theodoricus, Monumenta Eccleſiæ Anagninæ, & Bucelinus ponunt A. 1227. pridie Idus Octob. Diem tamen ejus natalem in hanc diem rejecit Bucel.

Finis Menſis Septembris in Anno Sancto-Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
OCTOBER.
Sive
RUDOLPHUS II.
Acer Cognomento & *Prudens.*
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

MArti olim ſacer hic menſis, Domitiani Imperio dictus Domitianus, nomen iterum perdidit, cùm ille Imperium & nomen. Dictus etiam à Senatu Fauſtinus à Fauſtina conjuge M. Antonini: â Commodo Invictus, ſat commodè ſi RUDOLPHUM reſpicias, cui Fauſtitas & Victoria ſunt famulatæ, Mars ad votum rotavit ferrum. Igitur

RUDOLPHUS II.

Acer cognomento & *Prudens.*
Ipſo nomine Magnus,
Magni æmulus Genearchæ.
Ipsâ corporis ſymmetriâ Imperator:
Ipſo aſpectu,
Formoſus amicis, hoſtibus formidandus.
Ferunt Legatum Otthomannicum
Icone tantùm visâ RUDOLPHI, majeſtate perculſum
Contremuiſſe.
In Aula Hiſpanicâ,
Ad *Philippi Catholici* Coloſſæum exemplar formatus
Evaſit *Alexander* Auſtriacus.
Cui
Auguſto, orbis fuiſſet *Anguſtus*,
Niſi incidiſſet in tempora
Quibus totus penè orbis exorbitabat.
Adoleſcens cùm eſſet, jam Coronis adultus
Regnorum molem

Maturâ ante ætatem virtute ſuſtinuit.
Et ſui nominis æquè ac generis majeſtatem implevit,
Potentiam nactus,
Quæ etiam agere poſſet in diſtans.
Turbatam accepit Germaniam, reddidit pacatam.
Cupreſſos eradicavit, plantavit oleas.
In Lunam Otthomannicam
Miſſili fulmine exercituum ſuorum detonuit,
Quam famulantibus prodigijs,
Si non extinxit, plurimùm obſcuravit.
Isthuanf. in hiſt. Hungar. Sexaginta barbarorum millia uno prælio deleta ad Siſſegkhum,
Cùm non tot ſinguli Cæſareorum caderent,
Miraculi inſtar eſt habitum.
Vix unquam aliàs adeò feliciter Imperij Aquila fulminavit.
Sed Romana revixerat in RUDOLPHO virtus;
Sedendo Vincebat.
Nec alius ſitus *Auguſtum Sedatum* decuit,
Qui vellet Principi miſcere Patrem;
Ne dum inſolentes *Acer* caſtigat bellator,
Obſequentes ab amore avelleret,
Ferri aciem acuebat acies mentis,
Cùm Martem in hoſtes armaret:
Hebetabat eadem, cùm *Prudens* Patrem indueret.
Denique hæc princeps RUDOLPHI laus eſto:
Auſtriacum Imperium
Rudolphi I. fortitudine conditum
Alterius RUDOLPHI prudentiâ eſt
conſervatum.
Quod nondum *Tertium Rudolphum* tulerit Auſtria,
Ne mireris.
Phœnices non ferunt ſingula ſecula:
Servatur tertio duorum Synopſis.
A. D. S. I. T.
Quid ſi jam *adſit*, ſub alio nomine
Utriusque locum implens?
LEOPOLDUS
Anagramma
E DUPLO SOL.

Plura deberemus RUDOLPHO Muſarum nutritio, ſub quo refloruerunt omnes ſcientiæ, præſertim Aſtrologicæ, niſi alijs curis ſervaremus. Major ei laus à ſtudio Religionis Orthodoxæ conſervandæ, quæ Cæſarem aſtra dimetientem extulit ſuper aſtra. Hinc illi meritò ſacra, quæ hic ſacra,

CA-

CALENDIS OCTOBRIS.

S. BAVO CONFESSOR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Hasbanius Tongrorum Dux.

Carolomannus Dux Brabantiæ.
- B. Pipinus de Landi. — S. Uxor B. Iduberga.
  - S. Begga Uxor B. Anſegiſi Ducis Brabantiæ.
    - Pipinus Heriſtallus Dux Brabrantiæ, à quo Carolingi & Habſpurgici.

N. . . . Comes Hasbaniæ.
- Eilolphus vel Aigulphus Comes Hasbaniæ. Uxor B. Adeltrudis.
  - S. BAVO Confeſſor. Uxor.
    - S. Anglitrudis vel Agletrudis.

Acta Synoptica.

BAVO illuſtriſſimo ortus genere patrem Eilolphum habuit, potentiſſimum Hannoniæ & Hasbaniæ Comitem, Carolomanni Principis fratruelem, Adeltrudem matrem, à quibus pro dignitate & ſplendore generis educatus, Mauritij Imperatoris caſtra ſequutus, generoſitatem illi ſuam militando probavit. Reverſus in patriam pari nobilitate uxorem duxit, ex qua filiam Agletrudem ſuſcepit, quæ admirandâ vitæ ſanctitate ipſis quoque parentibus ſanctioris vitæ viam aperuit: cujus à morte conjugis exemplum ſequutus BAVO, ſeculo renuntians, celeberrimum Gandavi Cœnobium Principis Apoſtolorum Petri honori (quod ab ipſo poſteà S. BAVONIS nomina-tum eſt) condidit, in eodem ſe Regum Regi pleniſſimè emancipavit. Sed cùm perfectioris vitæ famâ celebratus à plurimis quotidie ſalutaretur, honoris & famæ faſtidio ſolitudinem petens, cùm nec ibi latere poſſet, Cœnobium repetijt, & facultate à Divis Amando ac Floriberto primo loci Abbate impetratâ, arctiſſimâ ſeſe in cellulâ recluſit, & vivum quaſi tumulo condens, Angelicam ibidem vitam vixit. Abſtinentiæ fuit planè admirandæ, pane infermentato, & pauxillo aquæ contentus. Continuatæ ad defectionem usque vigiliæ, ſomnus modicus, cùm humi in cinere decumbens, tectus cilicio, caput in lapide reclinaret. Addidit corporis voluntarijs cruciatibus, ut inter frequentes geniculationes plus laboris doloriſque perſentiſceret, immani pondere lapidem, quem brachijs ſuſtinebat: maximè ſolicitus, ne ſine Martyrio ſibi hora diffluereret. Memorabile illud tam chari Deo famuli humilitatis exemplum; cùm antequam includeretur, in quempiam è famulitio olim ſuo, incidens, quem ob delictum quoddam venalem exponi juſſerat, uberrimas effuſus in lacrymas, ſupplex & proſtratus ab eo enixiùs veniam rogavit, nec priùs conquievit, quàm ille (diu licet reluctatus) manibus pedibusque ligatum Dominum ſuum, toto corpore flagellis concideret. Neque hoc de ſe ſumpto ſupplicio conten-

Theodor. Abb. S. Trudon. Jo. Trith. in Annal. Cæſ. Baron. in Annal. Gualt. de de Epiſc. f. 1489. Bucel. Menol. ad 1. Octob. Jo. Mola. in addit. Jo. Bolland. To. 1. Jan f. 172. & To. 1. Febr fol. 787.

contentus, menſes quatuor pedes ſuos nervo, quem cippum vocant, arctari & conſtringi voluit, & quaſi de Chriſto vendito pœnituit. Moriturum Deus de corona beatitudinis certum eſſe juſſit, ad quem Domlinus religioſiſſimus ex Turholto Presbyter monente ac ducente Angelo advenit, ut moriturum ſacris præmuniret. Mortuus eſt Principum cùm ſui, tum ſeculorum omnium ſpeculum lucidiſſimum Anno 632. cùm manibus, oculis, & toto corporis habitu cœlum verſus erectis, concives Angelos ſibi occurrentes recognoſcens, Chriſtum denique ipſum, ſervo ſuo in occurſum venientem, intuens, in hæc ſuprema verba erumperet: *Vale ſervorum Dei Eccleſia; Chriſtus adeſt; egredere in occurſum ejus anima mea.* Ipſum & vivum, & mortuum illuſtriſſimâ miraculorum gloriâ Deus nobilitavit: cùm mortali etiamnum agens in corpore ſuis precibus mortuum ad vitam revocaſſet: à morte autem plurimis deſperatam à Medicis ſanitatem reſtituit.

DIE

DIE II. OCTOBRIS.

S. GUAYRENUS MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ad mentem Gabrielis Bucelini.

N. . . . . cujus Uxor S. Sigrada.

S. GUAYRENUS M. — N. Soror nupta N. viro nobilissimo. — S. Leodegarius Episcopus.

Clothildis, quæ & Bathildis, Uxor Theodorici Regis Francorum, filij Clodovei II.

Bersuindes Uxor Attici seu Ethiconis Ducis Alsatiæ & Alemanniæ, quam patri tribuit Henninges. Henn. P. 1. f. 265.

Albericus Dux Alemanniæ. Bucelin. P. 2. Germ.

Luitfridus Comes Sundgoviæ, Uxor Hiltrudis Habspurgica hæres Comitatus, quæ adoptavit Ottopertum, nepotem, ex aliquorum opinione.

Alium nexum vide in S Leodegario die 11. *Aprilis.*

Acta Synoptica.

GUAYRENUS, qui & GUERINUS, & GERENUS, frater S. Leodegarij, ab impio Tyranno Ebroino lapidibus obrutus, paulò antequam frater Martyrium subiret; unde Sigradæ filio privatæ consolatoriam scripsit Leodegarius, ut diximus supra ad 11. Aprilis. Utrique pariter hæc dies 2. Octob. sacra est; ut ait Piespordius. Acta me latent: sed hoc ipsum pro actis suffecerit. Sororem horum MM. facit Piespordius Bersuindem matrem Attici: sed Bucelinus Bersuindem Attico nuptam putat ex sorore anonyma S. Leodegarij genitam. Piesp. in stemma. Austr. Labbe To. 1. Biblioth. f. 777.

DIE III. OCTOBRIS.

S. FRANCISCUS BORGIA, SOCIETATIS JESU GENERALIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Ferdinandus Catholicus Rex Aragoniæ.

Alphonsus de Aragonia.	Joanna Regina hæres Aragoniæ, Uxor Philippi I. Archi-Ducis Austriæ.
Joanna de Aragonia, Uxor Joannis Borgiæ Ducis Gandiæ.	Carolus V. Imperator.
S. FRANCISCUS BORGIA Soc. JESU Generalis.	Philippus II. Rex Hispaniæ.

Acta Synoptica.

Andr. Brunn. in fastis.

Scip. Sgambatta in vita Hist. Soc. P. 1. lib. 9. num. 8.

NON priùs FRANCISCUS patrem aut matrem, quàm JESUM & MARIAM balbutiens salutavit. Puer vel facientem, vel dicentem Sacerdotem æmulatus est. Juvenis Gynæcæum non nisi cilicio armatus adijt, reputans se toties hosti loqui, quoties fœminæ. Jam Gandiæ Dux & Gothalaniæ Prorex, pervetustum familiæ morem annuum Patronos sortiendi in menstruum vertit; eúmque in societatem postea, & Marianos cœtus invexit; ipse tunc Patroni die pauperes mensæ suæ minister adhibuit. At verò cùm illud formæ miraculum Isabellam Augustam in sandapila attentiùs considerasset, honorum titulos, ut certissima mortis spolia, ultrò abjecit, & in Societatem JESU (cui universæ deinde præfuit) se abdidit, dicere abhinc solitus, tum vivere se cœpisse, cùm desijsset Isabella. Corpus tam durè habuit, & abstinentijs emaciavit, ut duplicari jam & indumenta & cutis possent. Ad purpuram non semel oblatam tam erubuit, quàm alij ad hujus repulsam solent. MARIÆ, quam D. Lucas depinxit, effigiem primus æri incisam spargi per omnem orbem curavit. Hanc cùm aspiciebat: *Mihi*, ajebat, *Virgo hoc onus gestat, mihi lac matris, mihi Filij bullit sanguis.* In vitam suam inquisivit horis singulis: reum ad Sacerdotis pedes bis quotidie se egit, quin neque voce neque literis alium se, quàm FRANCISCUM *peccatorem*, prætulit. In sui despicientiam intentus, Positiones Confusionis scripsit, eásque Emanueli Sà dedit: *Utinam*, inquiens, *nobis largiatur Deus hujus virtutis gradum, ut aliquando cum Propheta dicamus*: Pro nihilo salvi facti sumus.

Positiones Confusionis.

Ex nihilo factus sum.
Ad nihilum redactus sum.
Quid sim ignoro.
Si aliquid scio, hoc tantùm scio, infernum domum meam esse.
Problema. Ex meipso facio nihil.
Defendentur die crastino à prandio.

Beatorum numero adscriptus est ab Urbano VIII. Anno 1624. inter Sanctos solenni Canonizatione relatus à Clemente X. die 12. Aprilis Anno 1671.

DIE

DIE IV. OCTOBRIS.

S. ENYMIA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

S. ENYMIA Virgo.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici ortum habent.

Acta Synoptica.

FIlia fuiſſe perhibetur Clotharij Magni, quæ in territorio Mimatenſi Cœnobium Virginum, quod ab ea nomen habet, fundavit: mundum & pompas ejus aſpernata, ſpinoſum Chriſti diadema coronæ gemmatæ præpoſuit, & regnum æternum promeruit. Nec aliud de ea reperi. Ad 6. diem Octob. ejus celebritatem refert Bucelinus, quem biduo prævenimus. Martyro Gallic. Bucel. Menolog. ad diem 6. Octob.

DIE

DIE V. OCTOBRIS.

S. APOLLINARIS EPISCOPUS VALENTIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Flavius Avitus Imperator, abdicavit Anno 456.
& Ordinatus est Episcopus Placentiæ.

Bolland. To.1.Feb. fol.661.

N. filia nupta Tonantio Ferreolo Præfecto Prætorij Galliarum.

S. Isichius Senator, qui post susceptas proles factus est Episcopus Viennensis in Gallia. Uxor Audentia.

Papianilla Uxor S. Sidonij Apollinaris.

N..... Uxor N.....

Ansbertus Senator, Uxor Blithildis filia Clotharij Magni Regis, à quo Carolingi & Habspurgici.

S. APOLLINARIS Episcopus Valentiæ ad Rhodanum.

S. Alcimus Avitus Episcopus Viennensis.

Fuscina Monialis.

Acta Synoptica.

Baron. Martyrol. Sur. in vita. Franc. Haræ. in vita. Breviar. Eccles. Vienn.

NAtalium titulos mentis sublimitate superans APOLLINARIS, dum Pastorali curâ gregem sibi creditum paternè fovet, virtutes inserit, vitia eradicare contendit, Regiam incurrit indignationem. Stephanum quendam Sigismundi Regis fisco præfectum, quòd defunctæ primæ conjugis sororem illicitè in thorum assumpsisset, adnitente etiam Avito fratre Episcopo, à fidelium communione rejecerat, hæc odij causa, hæc indicti exilij; quod forti & æquo animo ferens, Deum habuit virtutis & innocentiæ suæ testem. Nam exsiccato penè Rhodano, ut ad sitim restinguendam aqua hauriri non posset, invocato SS. Triados nomine è terra fontem elicuit. Atque ut constaret, cui deservire plus ille jussus esset, post Sancti viri discessum, iterum exaruit. Rex verò cùm ardenti febre correptus, ad extrema penè deductus, salutem desperaret, ab eodem recepit, cui eam priùs sublatam voluit. Solicita pro marito Regina virum Dei adijt, ad ægrotum deducere conniſa est: sed abnuente APOLLINARI, profusis lacrymis ad pedes ejus prostrata vestem saltem ejus petijt, & obtinuit, quâ Regem tegeret. Vix lethalis febris tegumentum Sancti sensit, & illicò recedens incolumem reddidit conjugem Reginæ, non jam persecutorem, sed deprecatorem, & agnitâ virtute divinâ ad Sancti vestigia provolutum. Meritis tandem locuples, cùm Ecclesiam annos triginta quatuor solicitè rexisset, mundum, quem semper contempserat, deseruit, circa annum Christi 520. Dies illi etiam in Romano Martyrologio sacra 5. Octob.

DIE

DIE VI. OCTOBRIS.

S. MODESTA ABBATISSA HORREENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Chilpericus Rex.

Clotharius II. Rex.

Dagobertus Magnus Rex.

S. Sigebertus Rex.

S. Dagobertus Martyr.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

S. MODESTA Abbatiſſa Horreenſis.

S. Irmina Abbatiſſa Horreenſis.

Alij volunt MODESTAM *fuiſſe ſororem S. Willibrordi, alij neptem S. Modoaldi ex ſorore, cujus geneſim vide* 12. *Maij.*

Acta Synoptica.

QUod Irmina Dagoberti filia Cœnobium condiderat in Trevirenſi urbe dictum Horreenſe, ipſa primùm quoad vixit ſanctis moribus formavit. Succeſſit MODESTA ſoror an potiùs cognata; id enim variè arbitrantur, qui ſcribunt. Præfuit illuſtriſſimis cùm genere tum virtute Virginibus, quarum multas exemplo ſuo ad idem vitæ genus attraxit, digniſſima demum cœlo trophæa erigens, & inſignibus à Deo miraculis illuſtrata, ad Sponſum ſuum abijt circa annum 710. ut putat Bucelinus, vel uti alibi anno 680. præmonita à B. Gertrude de ipſo tranſitu, cùm ante altare magnæ Matris Virginis preces effunderet.

Bucel. Menol. ad 6. Octob.

Bolland. 7. Mart. fol. 630.

Jac. Maſe. Epit. Trev. Annal. fol. 177.

Bucel. Chron. Marian. f. 41.

Eadem DIE VI. OCTOBRIS.

S. DONOSUS PRINCEPS BURGUNDIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Calvus Imperator, nepos Caroli Magni.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis, cujus maritus

Luithfridus Comes Habspurgicus.

Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgundiæ.

S. DONOSUS Princeps Burgundiæ.

Acta Synoptica.

Laz. comment. Geneal Austr. fol. 140.

DONOSUS, ut est apud Lazium, filius fuit Conradi Regis Burgundiæ Transjuranæ, Princeps sanctæ conversationis, Fundator Ecclesiæ Viennensis in Gallia ad S. Mauritium, post obitum relatus in numerum Sanctorum. Aliud de eo nondum legi. Vixit circa annum salutis millesimum.

DIE

DIE VII. OCTOBRIS.

B. ARNOALDUS DUX MOSELLANUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, Ducis Mosellani.

B. ARNOALDUS Dux Mosellanus, à quo cæteri Mosellani & Carolingi, ex his verò Habspurgici.

Acta Synoptica.

ARNOALDUS, quem etiam ARNOLDUM & ARNULPHUM, cognomento Buggisum appellant, Marchionatum ad Scaldim obtinuit, & Mosellanum agrum Ducis titulo occupavit. Aquitaniam quoque incoluisse fertur, ubi plurima Monasteria Deo & Sanctis dicata condidit, inter quæ Glandarense S. Martini juxta longam villam. Conjugem habuit Odam filiam Gunzonis Sueviæ Ducis, si fides Henningi. Patrem ex ea fuisse S. Arnulphi Episcopi Metensis, veteres Genealogiæ testantur; unde nescio quâ ratione (an fortè errore Typographi) filium S. Arnulphi scripsit Stangefolius. Ut Beatum coli, & Sacellum ei dicatum alicubi in Lotharingia notat Bollandus ex Lahierio. Sanctum appellant Saussayus, Stangefolius, & Metense Martyrologium.

Stangefo. in Circ. Westphal. lib. 2. fol. 32.

Henning. P. 18.

Bolland. To. 1. Jan. fol. 1069. & To. 2. Jan. fol. 1135. & To. 2. Apr. fol. 476.

Eadem DIE VII. OCTOBRIS.

B. HANYDIS LUCELBURGICA ABBATISSA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Henricus Plundelus Comes Lucelburgicus.

- Henricus VII. Imperator Lucelburgicus.
  - Joannes Rex Bohemiæ.
    - Carolus IV. Imperator.
      - Sigismundus Imperator.
        - Eliſabetha Uxor Alberti II. Auſtriaci Imperatoris.
  - Catharina Uxor Leopoldi Archi-Ducis Auſtriæ cognom. *Equitum gloria.*
    - B. HANYDIS Abbatiſſa.
- Valeranus ſive Walramus Comes Lucelburgicus.
  - Valeranus II. Comes.
    - Joannes I. Comes.
      - Joannes II. Comes.
        - Theobaldus Comes à Finies.

Acta Synoptica.

Henric. in Menol. Monim. Clari-font. Bucel. ad 7. Oct. in Menolog.

CONtemptis ſeculi pompis, Monaſterio Clari-Fontis ſe incluſit HANYDIS Lucelburgica, & paulò pòſt ejus loci Abbatiſſa electa, nobilitatem generis nobilioribus virtutibus illuſtravit, ab Angelicæ vitæ converſatione, & admirandæ humilitatis ſtudio præcipuè commendata. Cujus exemplum plurimæ Virgines ſecutæ ſunt, & tantæ Principis imitatione mundum contemnere, & carnem triumphare didicerunt. Beatæ titulo eam donat Bucelinus.

DIE VIII. OCTOBRIS.

S. RAGEMFREDIS ABBATISSA,

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Pipinus Brevis Rex Francorum.
|
Carolus Magnus Imperator, à quo Carolingi, ex his Habspurgici.

Bernardus Dux.
|
S. Regina Uxor B. Adelberti Comitis Austrovandiæ.
|
S. RAGEMFREDIS Abbatissa.

Acta Synoptica.

NObilis radicis germen nobile RAGEMFREDIS Pipini Regis proneptis, delicias paupertatis omnibus divitijs potiores habuit, & fundato prope Valencenas Dononiensi Parthenone primam illic Abbatissam egit, auspicatissimum Sanctitatis ponens fundamentum. Traxit inter alias suo exemplo B. Avam Virginem æquè nobilem, quæ cùm opibus affluëret, sed oculorum usu destitueretur, multa Sanctorum loca adijt, donarijs honoravit, ut visum reciperet. Tandem ab Angelo monita, ut ad sepulchrum & reliquias S. RAGEMFREDIS contenderet, visum receptura. Paruit, & mox non tam solarem vidit lucem, quàm interno divinæ pietatis lumine illustrata, vidit quàm omnia sub sole vana sint. Quare omnes suas facultates obtulit S. RAGEMFREDI, Ecclesiam S. Mariæ meliorari, & ad eam beatæ medicæ suæ reliquias transferri fecit, séque ipsam velamine assumpto sub ejus tutela divinis mancipavit obsequijs. Ex decem, ut volunt, filiabus B. Aldeberti primogenita fuit RAGEMFREDIS, quæ post obitum media inter patrem & matrem collocata, honores meruit perpetuos apud Dononienses.

Dies natalis ejus signatur 8. Idus Octob.

Bolland. vel Henschen. To. 3. April. f. 73. & fol. 628.
Arnold. Rayss. in Hierogazoph.
Henricus d'Outreman. p. 3. c. 5. hist. Valencen.
Sausay. Willot. in Martyrol.
Bucel. Menol. ad diem 8. Octob.

DIE IX. OCTOBRIS.

S. GUNTHERUS ASCETA

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

REgio sanguine ortus, & S. Stephani Regis Hungariæ cognatus fuisse scribitur, parentum nomina silentio involuta sunt. Sufficerit hîc indicare nexum S. Stephani cum Habspurgo-Austriacis, juxta Henningem & alios.

Ermentrudis Habspurgica, filia Luithfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurensis.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

Conradus Rex Burgundiæ, Uxor Mathildis filia Ludov. Transmarini Regis Francorum Carolingi.

|

Gisela Uxor Henrici Hetzelonis Ducis Bavariæ.

|

Gisela Uxor S. Stephani Regis Hungariæ.

S. GUNTHERUS, cognatus S. Stephani, incertum an ex parte ipsius S. Stephani, vel ex parte Gisalæ.

Acta Synoptica.

Rader. To. 1. Bav. S. fol. 112. Bucel. Menolog. Henric. Canis. ant. lect. To. 2. Hund. in Metropol. Salisb. Car. Stengel.

RUrtus è Regia stirpe S. Stephani Hungariæ Regis, aut ei cognatus GUNTHERUS, cùm ex Ephebis excessisset, solutioris vitæ pœnitudine inductus, terrena fastidire, meditari cœlestia cœpit. Ad Cœnobium ergo properans laboriosum vitæ genus orditur, sed cùm fortunas, quibus abundabat, non rejicit, S. Gothardi Altahensis antistitis severâ monitione de periculo edoctus, etiam illis valesecit. Exinde ingentes in curriculo facere progressus, seipsum abjicere, parere non majoribus solùm, sed & inferioribus, severè in se animadvertere, nec legibus aliorum rigidis contentus, alias addere corpori afflictiones, & sensim in opinionem sanctitatis assurgere. Jam ad Stephani Regis aures fama delata, GUNTHERI coràm spectandi animum cupidine accenderat: ablegantur qui humaniter invitent in Pannoniam, ad Regem cognatum invisendum. Recusat ille, præfatus se in alterius Regis & Christi

Chriſti auctoritate eſſe, omnis defunctum parentelis. Sed iterum ac tertiò vocatus; tandem & Religioſorum adhortationibus motus in viam ſe dat cum Legatis. Salutatus à Rege ingenti lætitiâ perfuſo, Regio epulo adhibetur, ſed à carnibus omninò abſtinet. Sæpiùs à Rege fatigatus, ut ſaltem ex pavone appoſito aliquid guſtaret, ne durus in Regem videretur, caput alitis in manus ſumit, Deum interim precibus & lacrymis adiens, ut ſine Regis offenſa, ſalvis ſuis legibus à menſa ſurgeret: impetravit illico, ut avis è patina ingenti prodigio avolaret. Unde Rex & omnis Aula attoniti, de cætero eum ad carnes guſtandas urgere deſierunt. Ipſe cum aliquot familiaribus in ſaltum Narwaldenſem Bohemiæ bonâ Præſidis ſui veniâ ſeceſſit, ibique ſeptem & triginta annos religioſiſſimè vixit; quoad à Bretislao Bohemorum Principe venationibus intento deprehenſus, in alterum illi diem, ſuum è vita diſceſſum poſt longam ſermocinationem aperuit. Qui primâ luce cum Severo Antiſtite ad oſtium tugurij redijt, cœleſtem agnum in viaticum illi porrigi juſſit; quo ſumpto GUNTHERUS inter piorum lacrymas placidè expiravit Anno 1045. ſeptimo Idus Octobris. Corpus per jumenta jugi inſveta ad Brunovienſe Cœnobium deductum, multis prodigiis exactæ vitæ ſanctimoniam oſtendit. Ipſe cœleſti pòſt religione conſecratus.

Herm. Contract. Hund. de Monaſt. To. 1. in Brunon.

DIE X. OCTOBRIS.

S. BRUNO ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, & cæteri Duces Moſellani ad Carolum M.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo poſt 5. gradus Habſpurgici.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

S. BRUNO Archiepiſcopus Colonienſis.

B. Lotharius I. Imperator, cujus neptis Bertha, Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.

Acta

Acta Synoptica.

Galt. in Chron. Chronico. de Epiſc. fol. 1176.

REs in Regali ſanguine diſſimillimas conjunxit BRUNO, ſummam fortunam, & modeſtiam. Nobilitate nulli ſuppar, dignitate etiam plurimis præcellens, animi tamen & habitûs ſubmiſſionem ſectatus eſt. Primos ætatis annos ita transegit, ut non pœnituerit inſignes magiſtros Baldricum Trajectenſem, & Iſraëlem Epiſcopos, tali diſcipulo præfuiſſe. Litteris apprimè excultus, fratrem Ottonem magnum ad Imperij clavum admotum, aulæ aſſecla fideliſſimis juvit conſilijs: Bibliothecam ſecum ubique detulit, otio fallendo intentus libris, cœterà in divinis peragendis attentiſſimus. Mortuo Colonienſi Archiepiſcopo Witfrido ſucceſſor poſtulatus, & datus, tenuem tunc Eccleſiam regali munificentia auxit, Sanctorum lipſanis undique magno ſtudio conquiſitis ornavit, Clero ipſe lex pariter & Rex, cùm vitæ luxum, & veſtium pompam execraretur, ſuis exemplo præivit. Cúmque naturali polleret facundiâ, magno cum fructu ipſemet pro concione ad populum frequenter dixit. Diœceſim & Provinciam viſitavit: magnam diei partem (licet aſſiduis occupatus negotijs) ſacrarum literarum lectioni & precibus impendit. Otij oſor, in Monaſterijs providit, ut ſinguli aſſiduè occupati Dœmonis inſidias eluderent. *Illius ſtudio* (inquit Nuſſienſis Canonicus) *translata ſunt Româ Coloniam corpora SS. Eliphij, Patrochi, Privati, Gregorij, cum baculo S. Petri. Corpus etiam S. Euergisli Coloniam Bruno reduxit: & multorum aliorum Sanctorum corpora & reliquias, undecunque potuit, collegit, & eis loca & miniſteria cum omni ſumptu & apparatu copioſè præparavit. &c.* Sancti Pantaleonis reliquias per Hadamarium Abbatem Fuldenſem Coloniam quoque adferri fecit, & in eius honorem Monaſterium inſigne Ordinis D. Benedicti, ubi caſtrum Tuitienſe & Rhenanum pontem à Conſtantino Magno erectum demolitus eſt, condidit. Eum Agapetus Papa ob inſignem pietatem valdè dilexit, *Apoſtolorum conſortem, & propagatorem divinorum præceptorum* appellavit. Fratris filium Ottonem II. Aquisgrani Imperatorem elegit, & coronavit, & Luitholphum alterum filium patri conciliavit. Iterùm diſſidentes nepotes conciliaturus, cùm eſſet Compendij, languere cœpit, & prævisâ morte, condito teſtamento, commendatâ Clero Eccleſiâ, ſumpto SS. Euchariſtæ viatico, & ſacro oleo delibutus, integrâ mente vivere deſijt. Vir omni virtutum genere laudatiſſimus. Anno 965. Sexto Idus Octobris. ut habet Rhegino. alij, ut Gualtherius 5. Idus Octob. Anno 924. ſed errat, Nuſſienſis etiam 14. Cal. Novemb. Sancti titulo eum honorant Bollandus, & Gualtherius.

Nuſſien. Chron. Belg. f. 80.

Stange fol. lib. 2. Circ. Weſtphal. fol. 197.

Bolland. To. 2. Jan. fol. 347.

Albertus Crantz. Metrop. lib. 3. c. 7.

Rhegin. Chron. ad an. 965.

Boll. To. 1. Jan. fol. 1119.

DIE

Eâdem DIE X. OCTOBRIS.

S. TEUTECHILDIS ABBATISSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

N. Princeps ex Francorum Regibus.

S. Balda Abbatissa. | Belfridus sive Bertho Princeps. Uxor Agia. | Moda Uxor S. Autharij. | Abobinus.

S. TEUTECHILDIS. | Agilbertus Episcopus Parisiensis.

Acta Synoptica.

REgiâ Galliæ Monarcharum stirpe natam S. Agibertam, quæ filia fuit Abobini patrui S. TEUTECHILDIS, scribit Bucelinus, seriem generationum investigare non licuit. Hæc Berthonem sive Belfridum patrem (qui fuit frater Abobini & Modæ S. Autharij conjugis) pari nobilitate matrem Agiam, Agilbertum autem celeberrimum Parisiorum Pontificem fratrem germanum habuit. A teneris ad pietatem proclivis, religiosum statum in Regali Jotrensi Cœnobio supra Matronam fluvium amplexa est, in quo eximijs effulsit virtutibus, earúmque merito Abbatissa electa, tantâ vitæ perfectione creditas sibi virgines instituit, ut venerationi, & admirationi omnibus essent. Nam fama illarum, velut prodigiosi odoris fragrantia, toto passim regno diffundebatur. Excitarunt tam egregia exempla, potentissimam illam Reginam Bathildem, ut Regni gloriam, & pompam seculi fastidiret, nec priùs conquiesceret, quàm felici illâ Virginum sorte ipsa quoque bearetur. Condito proin spectatissimo Calensi Cœnobio in Diœcesi Parisiensi, colonias sibi destinari expetijt à TEUTECHILDE, cum quibus Regina optima velum sacrum suscepit, & religiosam vitam auspicata est. Fuit inter cœteras TEUTECHILDIS discipulas sanctissima illa virgo Berthilia, quam ad Calense Cœnobium destinans primam loci Abbatissam instituit. Cujus etiam Magisterio se Bathildis Regina submisit. Claruit TEUTECHILDIS circa annum Christi 700.

Bucelin. Menol. ad 10 Octob. Offic. prop. Jotrensis Cœnob. Hug. Menard. Chrò. Weingart.

Diem natalem, consignat Bucelinus hac die 10. Octobris.

DIE XI. OCTOBRIS.

S. EDELBURGA ABBATISSA BERKINGENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.
- Charibertus Rex Parisiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.
      - Ercombertus Rex Cantiorum.
        - Lotharius Rex Occidentalium Saxonum. Uxor N.... soror Regis Offæ.
          - S. EDELBURGA Abbatissa.
          - S. Erconbaldus Episcopus Londinensis.
- Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo certâ & indubitatâ serie Carolingi, ex his Habspurgici.
- Sigherus Rex Oriental. Saxonum.
- Offa Rex Anglorum Orientalium.

Acta Synoptica.

Jo. Capgrav. in vita S. Erconbaldi c. 1.

Auth. Martyrol. Angl.

Harpsfel. Spedus.

Alfordus ap. Hensch To. 3. Apr. fol. 780.

Beda in Hist. Angl.

Jo. Trithem.

Gabr Bucelin. Menol. ad diem 11. Octob

Boll. To. 2. Jan. fol. 749.

AUthor vitæ S. Erconbaldi Capgravius EDELBURGAM cum fratre natam asserit ex Offa Rege Ost-Anglorum: Spedus verò & Alfordus eam tribuunt Annæ Regi. Sed diversa fuit illa, quæ colitur 7. Julij. Offa igitur patre edita EDELBURGA fraternæ pietatis æmulatione à pueritia divinis rebus se impendit, Deo in sponsam destinata. Impositum ei nomen in baptismo ETHELBURGA, *ut tanquam rosa de rhamnis, fidelis de infidelibus, electa Virgo procederet, odorem sanctitatis posteris allatura.* Bonis initijs invidens hostis antiquus, patrem adhuc ineredulum contra filiam concitavit, ut de progenitore factus ei sit sævissimus persecutor. Cortamen puellæ in bono proposito perseverabat immobile, clam parentibus se recipiebat in capellam, in qua lavacrum regenerationis acceperat, ubi secretò crebris suspirijs suam castitatem Deo commendabat. Crescente ætate, cùm nubilis videretur, neque minis, neque suasionibus ullis parentum induci potuit, ut in amplexus sponsi carnalis consentiret; cúmque importunas parentis minas metueret, Regiâ excessit, unius pediseque servitio contenta, & ad fratrem Erckonbaldum se contulit, qui nihil prius in votis habuit, quàm sororem Deo intemeratam virginem conservare. Jam ille sua in Dei honorem impenderat, Cereteseyense Cœnobium sibi construxerat, & aliud pro virginibus Berkingam dictum, ad quod sororem dedu-

deduxit, ubi qualis futura eſſet, initio ſtatim manifeſtum fecit. Cùm enim trabs una certo loco deſtinata brevior eſſet, quàm poſtularet neceſſitas, manu prehenſam ETHELBURGA cum fratre prodigiosè protraxerunt, ut cœteris æquaretur, & uſui foret. Perfecto opere, vocata è partibus transmarinis S. Hildelitha, quæ ETHELBURGAM cum alijs virginibus ad religioſæ vitæ obſervantiam formaret: quod tam feliciter præſtitit, ut diſcipula Magiſtræ nihil virtute inferior, in Abbatiſſæ munus non multò pòſt eligeretur. Claruit miraculis in vita, & poſt obitum, quo inſtante viſa eſt à ſorore vigilante ſplendidior funibus aureis in cœlum trahi, Anno circiter 680.

Eadem DIE XI. OCTOBRIS.

S. GAUDENTIUS EPISCOPUS GNESNENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo post 6. gradus Itha Uxor Radepotonis, magna avia hodiernorum Archi-Ducum.	Ludovicus Rex Germaniæ. | Carolomannus Rex Bavariæ. | Arnulphus Imperator. | Luitgardis Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Lotharius I. Imperator, à quo post duos gradus Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici, qui fuit atavus Radepotonis.

Henricus I. Auceps Imperator. — Hemma Uxor Boleslai Sævi Ducis Bohemiæ.

|

Strzezyslava soror Boleslai Pij Ducis Bohemiæ, Uxor Slauunici Comitis Libicensis.

S. Adalbertus Episcopus Pragensis Martyr.	S. GAUDENTIUS Episcopus Gnesnensis.	Alij quinq; fratres MM. suprà 16. Aprilis.

Alium nexum vide in S. Adalberto die 23. Aprilis.

Acta Synoptica.

GAUDENTIUS, S. Adalberti fratrer uterinus, ut Balbinus ait, primò ejus laborum socius, deinde cùm Mieczislaus Polonorum Dux Adalberto Gnesnensem Episcopatum offerret, ipso recusante, & in fratrem onus reclinante, illi præsedit Ecclesiæ, ibique humatus est. Quamdiu sederit, aut quando obierit, nondum licuit indagare. Anno Christi 994. vel sequenti S. Adalbertum ingressum esse Poloniam, & Anno 997. in Prussia passum, acta docent. Translatum posteà ejus sacrum corpus Pragam in Bohemiam Anno 1038. pluribus ostendit Balbinus contra nonnullos Scriptores Polonos: & videtur omninò convincere ex Cosma illorum temporum fide digno Historico, qui inter alia etiam hoc miraculum refert de S. GAUDENTIO jam Pragæ quiescente. Verba ipsa Cosmæ libet adducere: *Nec tacere cupio, quod nobis adhuc in scholis contingit audire, & videre. Anno* 1060. *quâdam ego die dum Psalmiculos ruminarem, stans in crypta SS. Martyrum Cosmæ & Damiani, venit quidam vir portans cereum, & filum argenteum, quo secundùm jussum visionis, metitus erat sui corporis artus, & accedens ad me, heus, inquit, bone puer, indica mihi ubi jacet S. Radin* (ita Polonis & Bohemis appellatur S. GAUDENTIUS) *S. Adalberti frater? ad quem ego*

Cosmas Prag. in Bohemic. Pulkava. Hageck. Dubrav. apud Bohusla. Balbin. Epitor. Bohem. lib. 3. c. 4. Henisch. To. 3. Apr. die 23. in vita S. Adalb.

ego dixi, quem tu dicis Sanctum, adhuc non est per Apostolicam Sedem incanonizatus, Missam ejus ut pro defunctis celebramus. Et ille: Talia, inquit, ego nescio; sed unum scio, quia cùm essem KraKovu in urbe per tres annos positus in subterraneo carcere, in quo una fenestra desuper erat, quâ mihi panem rarò & aquam porrigebant; hac in angustia, dum vita mea versabatur, quadam die adstitit vir coram me, cujus vestes erant sicut nix albæ, & facies ejus sicut sol fulgebat (tantum memini) & statim fui in extasi, & quasi de somno gravi evigilans ante urbem stare me sensi. Et qui mihi in carcere apparuit, stans juxta me, dixit: Perge Pragam, ne timeas quenquam; & intrans S. Viti Ecclesiam in Crypta SS. Martyrum Cosmæ & Damiani offer munus tuum ad meam tumbam. Ego sum RADIN *S. Adalberti frater. Hæc mihi dixit, & statim ab oculis meis evanuit. Ecce isti crines, & vultus mei macies testatur, quia vera sunt, quæ tibi referuntur. Præterea sæpè in eadem crypta vident visiones custods Ecclesiæ, dum visitant candelam, quæ ibi accenditur nocte.* Hæc Cosmas Pragensis apud Balbinum: quæ ad contestandam veritatem, quòd Pragæ serventur lipsana S. GAUDENTII, videntur sufficere. Elogium ejus contexent alij. Celebratur in Pragensi Ecclesia die 11. Octobris, an verò hic sit natalis dies vel Translationis, me fugit.

DIE XII. OCTOBRIS.

S. EDWINUS REX NORDHANYMBRORUM.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
|
S. Ethelburga Uxor S. EDWINI Regis Nordhanymbrorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Carolingi & Habspurgici certâ serie.

Acta Synoptica.

Beda hist. Angl. lib. 2. cap. 20. & lib. 3. c. 15.

Malmesbur. lib. 1. cap. 3.

Galfridus Monumeten. lib. 11. hist. Brito.

Capgrav. Harpsfeld. Poly Virgil. &c.

Bolland. To. 2. Feb. fol. 180. & & To. 1. f. 892. &c.

NOrdthumbriæ Regnum fundatum traditur sub annum Christi 547. Idâ nobilissimæ prosapiæ viro regium sibi titulum arrogante. Huic Alla successit, è cujus regni Provincia Deira dicta, Benedicto Pontifice, pueri Angli Romam allati, venúmque exposiri, S. Gregorio occasionem præbuêre nominandi *Anglos Angelicos vultus habentes, in cœlis Angelorum concives fore, ac de irâ eruendos, inque Allæ regno Alleluia decantandum.* Allæ Ethelricus suffectus Idæ filius, huic Ethelfridus rei bellicæ scientiâ clarus, quem dein EDWINUS sive EADWINUS Allæ filius, auxilio Redwaldi Orientalium Anglorum Regis, oppressit, regnóque & vitâ exuit, adolescentibus filijs nutritorum diligentiâ ad Scotos fugâ elapsis, ubi & Christianis mysterijs imbuti sunt. EDWINUS verò S. Ethelburgæ uxoris hortatu, & S. Paulini Episcopi institutione eandem fidem amplexus, latè per Nordthumbriam primus diffudit. Tandem cùm in maxima esset potentia, rebellantibus adversus eum Carduella Britonum, & Penda Merciorum Regibus, in prælio occisus est. Cecidit etiam filius ejus Osfridus. Quâ de re Beda his verbis: *Occisus est* EDWINUS *die quarta Iduum Octobris Anno 633. cùm esset annorum quadraginta & septem, ejusque totus vel interemptus, vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfrid juvenis bellicosus cecidit: alter Eanfrid necessitate cogente, ad Pendam Regem transfugit, & ab eo postmodum regnante Osvvaldo contra fidem jurisjurandi peremptus est. &c. Paulinus assumptâ secum Ethilburgâ Reginâ, quam pridem adduxerat, redijt Cantiam navigio &c. duce Basso milite Regis* EDWINI *fortissimo, habens secum Eanfledam filiam, & Vasfream filium* EDWINI, *nec non & Jffri filium Osfridi filij ejus: quos postea mater metu Eadvvaldi & Osvvaldi Regum misit in Galliam nutriendos Regi, qui erat amicus illius: ibique ambo in infantia defuncti, & juxta honorem vel Regijs pueris, vel innocentibus Christi congruum, in Ecclesia sepulti sunt.* Sanctorum albo adscriptus Martyris honore colitur die 12. Octob. Oswaldus, de quo hic mentio facta, Rex Deirorum fuit nepos S. EDWINI ex Acca ejus sorore natus, & necem EDWINI ultus est, sed ipse quoque demum à Penda occisus inter Martyres numeratur.

Eâdem

Eadem DIE XII. OCTOBRIS.

S. JULIANA V. SANCTIMONIALIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Hujus certam seriem adhuc investigare non licuit. Fuit cognata S. Austrebertæ, de qua egimus die 10. *Februarij, & B. Badefridi, de quo* 23. *Januarij. Videantur ibi dicta.*

Acta Synoptica.

EX Regno Galliæ, Regum sanguine oriunda S. Austrebertæ Pauliacensis Abbatissæ cognata fuit JULIANA, & pari generositate mundum proterens, cognatæ sanctissimæ Magisterio se subdidit, ejúsque virtutes in terris imitata, particeps coronæ in cœlo esse meruit. Claruit tempore S. Philiberti Abbatis ejus Cœnobij Conditoris. Corpus ejus etiamnum Religiosè Pauliaei asservatur.

MS. Pauliac. Hugo Menard. To. 2. de SS. Bucelin. Menol. ad 11. Octob.

DIE

DIE XIII. OCTOBRIS.

S. REGINBALDUS EPISCOPUS SPIRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Ex Henninge.

Ermentrudis Habspurgica filia Luitfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ, quem etiam Habspurgicum fuisse, putant Piespordius & Lazius.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurensis.

|

Diethburga Uxor Hugobaldi Comitis Dillingani.

Theobaldus Comes Dillinganus.	S. Ulricus Episcopus Augustanus.
Richovinus Comes Dillinganus.	
Hartmannus Comes Dillinganus.	
Hugobaldus Comes Dillinganus.	
S. REGINBALDUS Episcopus Spirensis.	

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. Rader. Bavar. S. To. 1. fol. 115. Simonid. de Episc. Spiren. fol. 40. Annal. Laurish. Chron. Spiren. Demochares. Car. Stengel. Butelin. Menol.

REGINBALDUS ex illustrissima Dillinganorum Comitum stirpe genus trahens, primis annis Ascetam, & S. Udalrici Augustæ Vindelicorum Abbatem egit. Inde evocatus Eberspergam, pari solicitudine & diligentiâ Asceterium rexit. Eberspergâ ad Laurisheimense Cœnobium missus, à Conrado Salico Imperatore Cathedræ Spirensi impositus est, egitque Pontificem annos septem, qualem decebat illum, qui ex longa & religiosa disciplina ad Insulam invitus esset protractus. Laudatur ejus pensilis lychnuchus Spiræ, hodiéque in æde summa spectabilis, inscriptis circum orbitam antiquis ejus ævi versibus, quos Raderus post Simonidem exscripsit. Charum fuisse Conrado Imperatori, produnt multa Privilegia Clero Spirensi per REGINBALDUM impetrata, aucta suppellex Ecclesiæ, promota summæ ædis structura. Obijt vir sanctissimus die 13. Octob. An. 1039. deploratus â suis velut Pater, post obitum honoratus ob miracula ad ejus tumulum frequentia, velut Patronus. Anno 1012. & duobus sequentibus Abbatem egisse Augustæ; cœteris Eberspergæ & Laurishemij, docent vetusta monimenta; ut proinde in munere Abbatiali viginti omninò annos expleverit, septem in Episcopatu. Bucelinus ad diem 21. Aug. refert ejus natalem, sed nos potiùs Philippo Simonis, qui de Spirensibus Episcopis accuratè scripsit, assentimur.

DIE

DIE XIV. OCTOBRIS.

S. HERLINDIS ABBATISSA MASACENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Hujus certa connexio à nobis nondum est deprehensa, sufficit, quòd dicatur fuisse de stirpe Carolidarum, ut diximus ad 22. Martij in sorore S. Relindæ.

Acta Synoptica.

HERLINDIS sive HARLINDIS, quæ celebratur *cum sorore sua de nobili stirpe Karolidarum*, in Florario MS. hoc etiam breve habet elogium: *Nobilis genere, sed nobilior opere, ac nobilissima fuit vitæ sanctitate. Unde contigit, ut post hanc vitam Abrahæ illam sinus reciperet, & Angelorum chorus eam ad æterna gaudia perpetuò coronandam perduceret. Ex cujus sarcophago nunquam malus fœtor exhalavit, sed creberrimè vapor immensus instar incensi illic redolevit. Illic quoque diversorum languorum necessitas recepit sanitatem.* Adolescentula cum sorore tradita est disciplinæ Cœnobij Valentiniani ad Scaldin, ubi magnos illicò in virtute progressus fecit: ideóque parentes novum illis condere Monasterium decreverunt: in quo cum alijs virginibus Deo deservirent. Dum igitur opus fervet, suas quoque manus, & vires applicant Virgunculæ, non sine prodigioso eventu. Nam uti habetur in earum vita: *Cùm quadam die petras in sinu portarent, & patri occurrentes timerent, ne hic ægrè ferret: petræ in rosas ac flores fuerunt mutatæ, idque in ponte, qui etiammum Pons mendaciorum appellatur.* Perfecto Cœnobio, & collectis pluribus in eandem virtutis palæstram Virginibus, prima illis data est Abbatissa HERLINDIS, hâc translatâ ad superos, Reinula sive Relindis. Habuerunt diligentem earum curam sancti Wilibrordus, & Bonifacius Germanorum Apostoli, qui tunc vivebant; quorum ille dum ipsas aliquando inviseret, & pauxillum vini in vase reliquum esset, divinâ virtute ejus meritis ad summum usque excrevit. In Breviario Eikensi in quo ipsæ ceu fundatione paterna vixerunt & sepultæ sunt, his decorantur encomijs: *Fide recta instructæ, charitate repletæ, fraternitatis amantes, humilitate decoræ, religione laudabiles, largitate eleemosynarum hilares, otiositatem ut mortiferam pestem fugiebant; aliquando palliola contexebant, aliquando divinas scripturas honorifico opere scribebant, ex quibus nonnullæ perinde ac si recentes essent, hactenus conservantur.* Obijt S. HERLINDIS die 12. Octobris, superstite Reinula sorore. Claruerunt circa annum 740.

Auth. vitæ MS. Masacen. Flor. vet. MS.

Arnold. Rayss. in Menol.

Chrysost. Henriq. Saussay. in Martyr. Gallico.

Joa. Chapeavill. To. 1. Pontif. Tungrens.

Bolland. Hensch. To. 3. Martij fol. 385.

Bucel. in Menol.

DIE XV. OCTOBRIS.

S. HEDWIGIS DUCISSA.

Ex Majoribus Hbaſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.
Carolomannus Rex Bavariæ.
Arnulphus Imperator.
Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.
Henricus I. Auceps Imperator.
Otto I. Magnus Imperator.
Richlindis Uxor Chunonis Com. Oening.
Chunegundis Uxor Friderici II. Comitis Andecenſis.
Leopoldus Comes in Andechs.
Arnoldus Comes in Andechs.
Bertholdus I. Comes in Andechs.
Bertholdus II. Comes in Andechs.
Bertholdus III. Dux Merariæ.
S. HEDWIGIS Uxor Henrici Ducis Sileſiæ.

Carolus Calvus Imperator.
Ludovicus Balbus Rex.
Carolus Simplex Rex.
Ludovicus Transmarinus Rex.
Carolus Dux Lotharingiæ.
Ermingardis Uxor Alberti Namurcenſis.
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij.
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.
Wernerus I. Comes Habſpurgicus.
Otto I. Comes Habſpurgicus.
Wernerus II. Comes Habſpurgicus.
Wernerus III. Comes Habſpurgicus, & cœteri omnes rectâ lineâ usque ad hodiernos Archi-Duces.

Acta Synoptica.

Rader. Bav. Sanct. To. 1. fol. 147. Andr. Brunn. in Faſtis Chronic. Andecenſe.

QUi hæc legis, in Regium te Gynæcæum introduci crede, ſed ne terreare, ſi ad limina pauperes excubent. HEDWIGIS intus habitat, quæ ex illuſtri Andecenſium Comitum ſtirpe generata, Henrico Poloniæ ac Sileſiæ Duci nupta, poſt ſex editas proles, reliquum vitæ tempus annorum triginta, non invito conjuge, caſtitati dedit, maluitque à pauperum turba, quàm Principibus mater ſalutari. Ex illis tredecim quot diebus menſæ adhi-

adhibuit, flexo poplite in ijs Chriſtum, ac duodenos Apoſtolos adorans. Ajunt multos ex ijs, impoſitâ capiti Magnæ Virginis icunculâ, valetudini reſtitutos ab HEDWIGE. Certè inventam virginis effigiem multis ab obitu annis, interdigitos tres primores, eósque integros aſſeverant, magno ſive HEDWIGIS in Virginem, ſive Virginis in HEEWIGEM teſtimonio voluntatis. Porrò tam dura ſibi, quàm benigna alijs, pedes ferè nudos etiam hyberno tempore circumferebat, indormiebat aſſeribus, corpuſculum & ipſa verberabat, & quod pauci volunt, verberari ab alijs volebat. Sacerdotibus, quotquot ad aras ſacerent, aſſiſtebat, unde illi verſiculi:

In ſola miſſa non eſt contenta Duciſſa,
Quot ſunt Presbyteri, tot miſſas optat haberi.

Nullas alias voluptates unquam ſectata, quàm quæ preces inter animum demulcebant: quarum quidem ingens argumentum fuêre, nunc prodigioſus in vultu ſplendor, nunc cum animo ſuo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit, cùm ſic precanti è Cruce Chriſtus dextrâ clavo iconis ſolutâ bene precaretur, & rata ejus haberet vota. Horum ſcilicet compendium cœlum erat, quod ingreſſa eſt HEDWIGIS, à cœlitibus invitata, Cracoviæ Idibus Octob. Anno 1243. quarto & viceſimo poſt mortem Anno Divis adſcripta. Trebnicenſe in Sileſia Cœnobium condidiſſe fertur, & in eo vixiſſe poſt mariti obitum, ſcribit Bucelinus, qua de re nihil in vita apud Haræum.

Arnoldus Wion. To. 2. de SS. Ord. Ben.
Laur. Sur. in vita.
Franc. Haræ. in vita. Engelbert.
Monach. in vita.
Mart. Cromer
Montalbo.
Ang. Manriq.
Bucel. menol. ad 15. Oct.

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. BALDRICUS PRESBYTER.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à qno communis opinio deducit Habspurgicos.

Chilpericus Rex Suessionum.

Clotharius II. Rex Francorum.

Dagobertus Magnus Rex Francorum.

S. Sigebertus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatotis Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.

S. BALDRICUS Presbyter.

S. Bova Monialis.

Acta Synoptica.

Author vitæ MS. ex Cod. Reg. Suec. cap. 4.

Flodoar. hist. Rhem. lib. 4. c. 38. & 44.

Hugo Menard. To. 2. SS. Bened.

Gabr. Bucelin. in Menolog.

Hensch. ad diē 24. April. fol. 383. & seq.

SAncto patri sanctæ debebantur proles. Præter Dagoberrum II. natus est sancto Sigeberto Regi filius BALDRICUS vel BALDERICUS, & S. Bova, ut disertè testatur vitæ scriptor coævus, quin & Flodoardus non multùm junior, qui simpliciter Presbyterum appellat, sed vitæ author Levitam. Bucelinus Monachum fuisse contendit, & S. Bovam sororem Monialem Ordinis Benedictini: dubitat de hoc Mabillon apud Henschenium. Cœterùm BALDERICUS sacris initiatus totum se Deo dedit, & sua ejus honori impendens duo condidit Cœnobia, alterum gratiæ sororis Bovæ in Urbe Rhemensi, in qua nobiles virgines collegit, quibus Bova præfuit Abbatissa: Alterum Cœnobium erexit in monte Falconis sic dictum, quod cùm locum quæreret idoneum, ducem itineris falconem habuisset. Invigilavit sororis gubernationi, eámque verbo & exemplo animans quoad vixit, patrem se potiùs exhibuit, quàm fratrem. Nec illa facilè ejus privari præsentiâ tolerabat. Imminente ejus obitu cùm Rhemis ageret, ad fundationem suam Montis Falconis iter adornabat, quod ei frustra Bova rationibus & observationibus dissuadens, cùm actum ageret, ad preces cum Doda nepte effusa impetravit à Deo, ut subitanea exorta tempestas fulgura & tonitrua continuans iter Sancti præpediret. Qui die altero ægritudine correptus, illicò sensit fatalis horæ adventum, ad quam ritè præparatus seipsum pijs votis Deo immolabat. Inter hæc cœlo totis viribus intendens, pium JESUM in solio suæ Majestatis sedentem intuitus, coronam ab eo sibi porrigi vidit: ad quam toto animo anhelans carnis vinculis solutus est. Miræ mox suavitatis fragrantia replevit domum, quam cum admiratione senserunt præsentes: corpus etiam exanimatum insolito nitore resplenduit, ut constaret jam animam splendoribus Sanctorum illatam. Sed & miraculis illicò cæpit coruscare, cùm nemo penè languidorum sanctos attingeret artus,

artus, qui non illicò divinæ virtutis operationem perſentiſceret. Sepultus eſt Rhemis, & longo ibi tempore jacuit: translatus deinde ad fundationem ſuam in Montem Falconis, ubi cùm ipſum in Eccleſia S. Germani condere pararent, corpus movere nullo modo potuerunt, quoad ipſum in S. Laurentij, ubi dum viveret, locum ſibi delegerat, ſepelire decernerent. In translatione cùm Rhemenſes ſacrum pignus nollent dimittere, jámque vim pararent, divino miraculo prohibiti ſunt. Anno Chriſti 854. cùm è ſepulchro levaretur, caput ipſius velut vivi hominis tres roſeas eásque calidas ſanguinis guttas deſtillavit. Circumlatis aliàs ejus reliquijs, campanæ nemine pulſante ſponte ſonuerunt, aliquando etiam prædones rebus Eccleſiæ inhiantes ſponte fores impulſæ prodiderunt. Eædem ſiccitatis tempore cùm S. Jovini reliquijs circumlatæ, pluvias è cœlo elicuêre, eo majore miraculo, quòd pallia ipſa, quibus reliquiæ tegebantur, intacta prorſus ab aqua conſpicerentur. Obijt vir ſanctus die 7. vel 8. Octobris, quia, ut vitæ Author habet, die 9. ejusdem ſepulchro illatus eſt. Natalem tamen ejus Bucelinus hac die 16. retulit, cui ſubſcripſimus.

DIE XVII. OCTOBRIS.

SS. ETELBRICHTUS ET ETHELREDUS M. M.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus, Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Ermenredus Rex Cantiorum.

SS. ETHELBRICHTUS & ETHELREDUS MM. cum SS. sororibus.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo certâ & indubitatâ serie Corolingi, & ex his Habspurgici.

Acta Synoptica.

Auth. vitæ S. Wereburg. Jo. Boll. To. 2. Jan. fol. 176. Ranulph. Cestren. lib. 4. c. 18.

ERmredo seu Ermenredo Rege nati sunt duo filij ETHELBRICHTUS & ETHELREDUS, de quibus Author vitæ S. Wereburgæ: *Ermredo ex inclyta conjuge Oslava nati sunt* ETHELREDUS & ETHELBRICHTUS, *quos innocenter jugulatos splendida lucis columna de cœlo prodidit Christi Martyres.* Nec aliud hactenus de ijs legimus; nisi quòd natalem eorum hac die referat Bollandus.

DIE XVIII. OCTOBRIS.

S. AURELIA VIRGO RECLUSA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Lotharius Rex.

S. AURELIA.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cœteri omnes usque ad hodiernos Archi-Duces nunquam interruptâ lineâ masculinâ.

Acta Synoptica.

REgiæ Francorum stirpis nobile germen AURELIA; dubium sit quo patre nata, Lothario Rege, ut putat Bucelinus, an Hugone Capeto, ut vult Raderus, utrinqne influit in sanguinem Carolinum & Habspurgo-Austriacorum. In prima statim adolescentia futuræ sanctitatis dedit argumenta, cùm Sodalium lascivorum consuetudinem sedulò declinaret, & positas virginitati insidias eluderet. Ubi parentibus viro matura visa, Eluviano juventutis Francicæ facilè Principi in connubij fidem devota est. Erat formâ rarâ & invidendâ. Posteaquam ergo sensit id agi, ut vel invita marito jungeretur, jámque nuptiarum solennia apparari; fugæ consilium capit, rata tutiorem in exilio Virginitatem fore. Desertis igitur patriâ & parentibus, peregrino amictu Ratisbonam usque pervenit, ibique ad S. Ramuoldum præsidem ad S. Emerammum venit, stipémque ritu pauperis rogavit. Ramuoldus, ut erat vir eximiè Sanctus, suggerente cœlesti Spiritu didicit, quæ virgo, quibus natalibus orta esset, quantas fortunas, spes & thalamos virtutis causâ fastidijsset, tanquam filiam suscepit, & in sacrario procul ab hominum strepitu, extrà pomœrium, quod postea S. Andreæ nomini dicatum est, lubentem concluſit, ubi duos & quinquaginta annos in summa vitæ innocentia & religione traduxit, haud ignara sum-

Radef. Bav. S. To. 2. f. 161. Bucel. Menol. ad 16. Octob. Wolffg. Selender. Monum. S. Emerammi. Arnoldus Wion. Hugo Menardus, & alij. Bolland. To. 3. Feb. f. 670. d.

ra summam vitæ brevem, præmia laborum sempiterna esse: ad quæ capienda Anno salutis 1027. Idibus Octobris à cœlesti munerario evocata est, corpúsque Cœnobio S. Emerammi illatum in peristylio hodie altius è terra extans cum hac Epigraphe visitur:

Hic pia floreſcit AURELIA *Virgo ſepulta,*
Quæ pœnas neſcit, cœli dulcedine fulta.

Instaurantur illi quotannis funebria justa apud S. Emerammum jam ab annis quingentis octoginta novem, ut ait Raderus scribens Anno 1624. nunquam intermissa, teste Wolfgango Selendero, die 15. Octob. quâ eâdem die in Martyrologio Romano, & apud Molanum Argentinæ celebratur AURELIA Virgo, an eadem vel diversa, non constat. Verosimile prorsus est, quòd fuerit filia Lotharij Regis cujus fratrem Hugo Capetus in carcerem conjecit, ut ipse regno potiretur; & tunc AURELIA in Germaniam clàm habitu mutato profugerit. Cur enim, si fuisset Hugonis Capeti filia, profugisset è patria? cùm Hugo à pietate celebratus, non fuisset negaturus filiæ, quodcunque genus vitæ sibi deligeret.

Eâdem

Eâdem DIE XVIII. OCTOBRIS.

B. THEOBALDUS COMES BLOSII ET CAMPANIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.	Carolus Dux Lotharingiæ.
Bertha Uxor Ottonis Comitis Bloſij vel Bleſenſis.	Ermingarda Uxor Alberti I. Namurcenſis.
Theobaldus II. Comes Bloſij & Campaniæ.	Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
B. THEOBALBUS III. Comes Bloſij & Campaniæ.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

Nexus II. per deſcendentes.

B. THEOBALDUS III. Comes Bloſij & Campaniæ.

Theobaldus IV. Bonus.	Maria Uxor Eudi VI. Ducis Burgundiæ.	Henricus Largus Comes Campaniæ.
	Hugo III. Dux Burgundiæ.	Theobaldus V. Comes Campaniæ.
	Eudus IV. Dux Burgundiæ, Uxor	Blanca filia Theobal. V.
	Agnes Uxor Rudolphi I. Habſpurgici Imperatoris.	

Acta Synoptica.

THEOBALDUS cognomento Pius Comes Bloſij & Campaniæ, Briæ Dominus, ſub purpura cilicium, ſub ſeculari amictu, Religioſum animum ita occultabat, ut tamen ardens in ejus corde divini amoris ignis erumperet, quo paſſim ſanctus princeps audiebat. Eo aulici æquè ac milites, quos ducebat, accenſi; prophanæ militiæ, ſacram viſi ſunt raro & admirando nexu conjungere; cùm arma tractantes paſſim Monachi & Converſi appellarentur. Ipſe ampliſſimis, quas poſſidebat, opibus benè uſus, Baſilicas plures & Monaſteria liberaliſſimo ſumptu erexit, alia reſtaurans & locupletans: in omne pauperum genus ſummè munificus. Unde à B. Vincentio laudatus audit: *Pater Orphanorum, & Judex viduarum, oculus cœcorum, pes claudorum, ſingulariter munificus in pauperibus ſuſtentandis, in extruendis Monaſterijs, & erga Religioſos quosque largitate incomparabili.* Ab Hieronymo Henninge Heterodoxo brevius ejus texitur Elogium: *Magnus ob res præclarè geſtas; Sanctus ob morum probitatem, & pater pauperum ob beneficentiam appellatus.* Probavit ſervi tam pij ſtudia bonum Numen, & ſe in pauperibus ſuis coli memorabili exemplo prodidit. Solenne erat optimo Principi ad leproſorum tuguria accedere, alloqui ægrotos, manu ſua dignari, fovere, & quibus indigerent exquirere, ipſe impendere, affabilitate ſua omnium animos devincire. Repertus inter eos, qui in conſpectu Palatij tuguriolum ſibi ſtruere præſumpſit, quo liberius tam benevoli Principis familiaritate uteretur. Nec ægrè tulit THEOBALDUS, nec impediri potuit, quominùs quotiescunque tranſeundum erat, ad leproſum diverteret, & indignantibus ſæpè Palatinis obſequium impenderet. Evenit fortè ut per ejus abſentiam moreretur ac ſepeliretur leproſus, ignorante Comite, & nihil minus metuente. Reverſus proinde, & ex more equo deſcendens, ut amicum ſalutaret: *Oportet me*, inquit, *viſitare patrem meum* (verba ſunt Cæſarij) *intránsque non leproſum, ſed in leproſi forma & habitu contemplatus eſt Dominum. Cui cùm conſueta opera miſericordiæ impendiſſet, tantò devotiùs quantò inſpirabatur à viſitato fortiùs, hilaris exivit. Cumque ſuis dixiſſet, gaudeo me videre Leproſum meum, reſponderunt ei quidam: Domine ſciatis eum pro certo dudum eſſe defunctum, & in tali loco ſepultum. Quod ubi comperit Princeps pijſſimus, exultavit in ſpiritu, eò quòd videre, éique miniſtrare meruit præſentialiter, quem multo tempore in ſuis membris veneratus eſt.* Ita Cæſarius. Tota vita ipſius ſanctis operibus plena fuit. Sed cùm jam in ſenium declinaret, tumulatâ uxore, partitis in liberos poſſeſſionibus (quorum unus Cartuſianum inſtitutum amplexus, alter Archiepiſcopus Rhemenſis & S. R. E. Cardinalis factus eſt) ipſe contempto ſeculo cucullum amplexus, in Claræ-Vallenſi Cœnobio ſanctiſſimè vixit. Orationi ita deditus erat, ut ſæpè noctes integras flexis genibus orando conſumeret, & quaſi in extaſi perſiſtens non antè, quàm ſolis ſplendore veluti à dulci ſomno excitatus, recederet. Abjectis officijs & laboribus delectabatur: Religioſis humiliter ac devotè inſerviebat, eósque tanquam Patres & Dominos venerabatur. Præcognovit divina revelatione tranſitûs ſui horam, perceptísque ritè SS. Eccleſiæ Sacramentis ſancto fine deceſſit Anno 1156. cujus gloria poſtmodùm multis miraculis & revelationibus inclaruit. Beatum appellat Bucelinus, Sanctum Henninges. Dies ei aſſignatur in Menologio decima octava Octobris.

Cæſari. Heiſterb. Bern. Brito. Jo. Picard. Jo. Frasq. Vincent. Contin. Sigeberti Chryſoſt. Henrique. Gabr. Bucelin. in Menolog. Hie. Henning. P. 1. German. f. 38.

DIE

DIE XIX. OCTOBRIS.

S. OSITHA VIRGO MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.
|
Adilbertha Uxor S. Ethelberti.
|
Eadwaldus Rex Cantiorum.
|
Ercombertus Rex Cantiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurgici certâ ſerie.

Pendan Rex Mercior.

S. Ermenilda, cujus maritus — Wulphus Rex Merciorum.

Witteburga Uxor Frithebaldi Regis.
|
S. OSITHA Virg. M.

Acta Synoptica.

EX nobiliſſimis Anglorum natalibus originem ducens OSITHA, filia fuit Frithebaldi Regis Anglorum, & Witteburgæ filiæ Pendæ Merciorum Regis. Admodum puella tradita eſt à parentibus S. Moduvennæ Abbatiſſæ, ab hac verò B. Edithæ bonis moribus informanda; jam tunc amorem imbibit vitæ religioſæ, puellari ætate ſupra ætatem matura, circumſpecta, & ſpirans ſanctitatem, ut admirationi eſſet, etiam perfectis. Ab Editha aliquando ad Moduvennam cum ſacro codice miſſa, cùm incautius pontem tranſiret, rapidi fluminis hauſta vorticibus, poſt triduum Abbatiſſæ utriusque precibus è flumine revocata, ſtupendo prodigio illæſa atque incolumis cum codice prodijt. Poſt deceſſum S. Moduvennæ ad parentes reducta, jam nubilis à Sighero Saxonum Orientalium Rege in conjugem expetita, eique conjuncta eſt licet renitens & invita, Deo inſtanter ſupplicans ut ſe illæſam conſervaret. Quare ſponſum primis diebus piâ fallaciâ vario prætextu ludens, cùm ſemel is venatum abijſſet, advocatis Epiſcopis Ecca & Beduvino viris religioſis, velum ſacrum ſibi impoſuit: etiam velata reduci Regi ſe ſiſtens, efficaciſſimis precibus ab eo contendit, ut ſe intactam Deo ſervire permitteret. Vicit in Rege pietas amorem conjugalem, & OSITHÆ Chichenſe Cœnobium condidit, Regalique munificentiâ dotavit, in quo ſecurè & quietè virgo divinis ſe impenderet amoribus. Adjunctis igitur plurimis ſibi virginibus, ad exactam Religioſæ diſciplinæ normam ſe & alias componens, omnium virtutum exemplis cultiſſi-

Bucel. Menol. ad 7. Octob. Fr. Haræ. ad eand. Albericus Veer. in ejus vita. Anal. Benedict.

ma resplenduit. Irruentibus verò Anno 753. mense Octobris Danis idolorum adhuc cultoribus, & ad Chichense Cœnobium delatis, cùm omnia sacra prophanarent, cognitâ OSITHÆ conditione & religione, eorum Princeps Dei famulam ad cultum idolorum traducere annisus est. Sed Virgo sancta blanditias simul & minas aspernata, in fide constans perseveravit, donec ille furore accensus caput ei præcidi jussit, quo loco statim, ut supplicium peractum est, limpidissimus fons erupit, multis posteà morborum generibus salutaris. Sacratissimum ejus corpus plumbeo loculo inclusum, parentes Reges superstites Ailesbiriam primo transtulêre, ubi plurimâ miraculorum gloriâ à Deo illustratum est: inde ad Chichensem Basilicam translatum, & in pretioso scrinio reconditum, in ipsa translatione Roffensi Episcopo præsenti sanitatem contulit. Vitæ Author passam scribit Anno 753. at Bucelinus anno 653. reposuit, quod magis consonat Chronologiæ.

DIE

DIE XX. OCTOBRIS.

B. HUMBERTUS COMES SABAUDIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. cum Carolingis.

Henricus I. Auceps Imperator.

Gerberga Uxor Ludovici Transmarini Regis Franciæ Carolingi.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos rectâ lineâ.

Otto I. Imperator.

Otto II. Imperator.

Hugo Dux Saxoniæ.

Beroldus Sabaudiæ Pro-Rex.

Humbertus I. Comes Morianæ & Sabaudiæ.

Amedæus I. Comes Morianæ & Sabaudiæ.

Humhertus II. Comes Sabaudiæ.

Amedæus II. Comes Sabaudiæ.

B. HUMBERTUS III. Comes Sabaudiæ.

Lequil. de de reb. Austriac. P. 4. f. 74.

Nexus II. cum Austriacis.

B. HUMBERTUS Comes Sabaudiæ.

Thomas I. Comes Sabaudiæ.

Thoma sII. Comes Sabaudiæ.

|

Amedæus IV. Comes Sabaudiæ.

|

Catharina Uxor Leopoldi I. Auſtriaci, qui fuit filius Alberti I. Imper.

Acta Synoptica.

Author Geneal. Duc. Sabaudiæ. Bernard. Brito. Angel. Mauri. Chryſoſt. Henriq. Nicol. Reyſner. Bucelin. Menol. ad diem 16. Decemb.

HUMBERTUS ter maritus, ſemper divino addictus ſervitio, & niſi populorum amor ab eo hæredem popoſciſſet, pridem Aſceta futurus. Prima illi conjunx Mechtildis filia Theodorici Alſatij Flandriæ Comitis, per quam etiam in familiam Habſpurgo-Auſtriacorum tranſijt. Nullam hæc illi prolem tulit, nec defuncta alterius ducendæ deſiderium reliquit. Quare ſeculo valedicens in Cœnobio (quod in Alpibus condiderat) Ciſtercienſi familiæ ſe adjunxit, ubi cùm magna animi demiſſione in ſacro Tyrocinio ſe exercere, nec multò poſt ſolennibus Profeſſionis votis æternùm ſe Deo devovere geſtiret, ex placida ſolitudinis quiete, ad Principatûs ſummè periclitantis curas invitus ac renitens extractus, alteris nuptijs Añam Salignæi Ducis filiam ſibi copulavit. Verùm & hâc fine liberis defunctâ, cùm iterùm condito Altæcumbæ ad lacum Lemanum Cœnobio ſe vellet includere, ſummis ſubditorum precibus interpellatus tertiam duxit Petronillam Burgundiæ Comitis filiam, ex qua tandem Principatûs hæredem Thomam ſuſcepit, hodiernorum Ducum Sabaudiæ magnum proavum. Voti ergo compos effectus, de conſenſu uxoris in Altæcumbæ Cœnobio ſe abdidit, ſplendorem vitæ ſummum, cum ſumma humilitate, paupertate, & rigore permutavit, aſſiduíſque jejunijs & orationibus ſtrenuè domino deſerviens, ſacræ paſſionis ejus induſtrius imitator, cùm acribus perpetuò ulceribus, flagellis crudeliter ſe laniando ſcateret, admirabili profectu enituit, tandémque die & horâ obitûs ſui diſtinctè ac diſertè prædictis, placido ſomno pacis ſolutus requievit: cujus merita eximio miraculorum fulgore Numen comprobavit. Deceſſit Anno Chriſti 1201. Beati titulo inſignitur â Bucelino, & ad diem 16. Decembris refertur.

DIE

DIE XXI. OCTOBRIS.

B. VANDELINUS ASCETA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Senatotis Ducis Mosellani.

Arnoaldus Dux Mosellanus.

B. VANDELINUS Asceta.

S. Arnulphus Dux Mosellanus, à quo Carolingi, & ex his Habspurgici.

Acta Synoptica.

RElictis paternis laribus VANDELINUS, quem & WENDALINUM scribunt, ut ignotus, & à suorum consortio segregatus, ferventiùs Deo serviret, ad montes circa Treviros secessit, ibique viro nobili operam pascendis ovium gregibus locavit, ut dum pecus gramine, divinis ipse animum contemplationibus pasceret. Quo studio ad magnam cum Deo familiaritatem enixus, Theologiensi Monasterio se deinde addixit, brevique eâ sanctitatis emicuit gloriâ, ut vivus moriensque prodigijs inclarescceret. Unde ad ejus sepulchrum frequentiâ affluentis & adhærentis populi factum, ut ædificia habitantium plura, ac denique S. WENDALINI ab eo dictum assurgeret, quod etiamnum perstat. Sunt qui Abbatis etiam munere eximiâ laude functum referant, Monasticáque isthic disciplina complexum fuisse Grimonem Adalgisum, Regij Francorum sanguinis juvenem Dagoberti nepotem, qui deinde ad clavum ibidem sederit. Ita honor etiam fugientes assequitur, tantò illustrior, quantò minori ambitione quæsitus. Ex Regio Scotorum sanguine ortum fuisse scribit Masenius, sed verius est, indigenam fuisse ex Francorum sanguine, & filium Arnoaldi, ut habet Henninges ex antiquioribus. Diem ejus natalem referunt idem Masenius & Bollandus ad 21. Octob. at Ferrarius & Saussayus ad 24. Aprilis.

Masen. in Epito. fol. 162. Heun. P. 1. Germ. Hensch. To. 3. Apr. ad diem 24. in prætermiss.

DIE

DIE XXII. OCTOBRIS.

S. BERTHARIUS ABBAS MARTYR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

B. Lotharius Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator, à quo post 5. gradus Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.
	|	
Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.	Ludovicus Rex Germaniæ.	
|		
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	S. BERTHARIUS ex Regibus Francorum, cognatus Ludovici Regis.	

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 22. Octob. Chron. Gasinense M. Leo Ostiē. Ant. Scip. Cæs. Baro. Arnold. Wion. Yepes &c.

NAtus BERTHARIUS Regiâ Galliæ prosapiâ editus, multo nomine de Italia & Ecclesia universa meritus, sæpiùs susceptо in Gallias itinere, ac Cæsare Ludovico etiam altera & tertia vice, ad avertendum à patriæ cervicibus hostile ferrum, in Italiam adducto. Verùm Saracenis Anno Christi 884. Italiam magno cum exercitu invadentibus, sacer & invictus suorum Dux, qui toties antè Romam & Italiam cognatorum Regum & Cæsaris ope liberaverat, à barbaris Christianæ fidei juratissimis hostibus, in sacro monte Casinati captus, dum sacris ad aram operaretur, digniſſima ipse Deo victima cecidit cum justo ferè Monachorum exercitu, qui ex omnibus circumquaque frequentissimis eo tempore Italiæ Cœnobijs, ad sacrum illud Monastici Ordinis asylum, atque ad tanti nominis Ducem & Patriarcham confluxerant, immanissimè trucidatus. Quorum omnium ingentem sanè numerum solus ille inire potest, qui cumulatissimam mercedem & coronam victoribus est impertitus. Præfuit Cœnobio Casinensi BERTHARIUS annis viginti septem, & cùm præter sanctitatis ac generis titulos apprimè floreret, non pauca ingenij sui tam prosâ, quâm metro reliquit monimenta. Sacrum ejus corpus in Basilicæ Casinatis proprio Sacello religiosè asservatur, & hac die honores habet.

DIE

DIE XXIII. OCTOBRIS.

S. MONTANA ABBATISSA CAVENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

|

B. Pipinus de Landis Dux Brabantiæ.

|

S. Begga Uxor Ansegisi Ducis Brabantiæ.

|

Pipinus Heristallus Dux Brabantiæ.

|

Corolus Martellus Dux Brabantiæ.

|

Pipinus Brevis Rex Francorum.

|

Carolus Magnus Imperator, à quo cœteri Carolingi, & ex his Habspurgici.

S. MONTANA, unius ex his Pipini Ducis filia.

Acta Synoptica.

MONTANA Pipino Duce genita, cùm nubilis videretur, à Ducis Austrasiæ filio, in Regis præsentiâ expetita in conjugem, ceu fulmine perculsa; nec illum, nec alium terrenum sponsum se habituram protestata est. Igitur rejecto proco, virtutum studio incumbens, post obitum Pipini patris matri Mononæ adhæsit, quæ cùm videret à multis filiæ suæ instrui insidias, suâ manu MONTANÆ capillos abscidit instar coronæ, & ad Cœnobium Cavense direxit, cujus & ipsa mater solicitam longo tempore curam gessit, obijtque sexagenaria. Post obitum ergo piæ matris, Montana virginibus præesse jussa, magnâ vitæ perfectione enituit, Ecclesias multas construxit, orphanis, viduis, & peregrinis alimoniam abundanter suppeditavit. Cùm aliquando (ut ipsa narrabat) ad altare S. Sixti Martyris orationis causâ stetisset, vidit super se descendentem sphæram flammeam pellucidam, ut tota Basilica ejus fulgore irradiaret quasi media hora, quod & sorores vidisse perhibentur. Claruit multis post obitum miraculis, inter quæ & illud refert vitæ scriptor: *Quadam die perielitantibus nobis in mari, ejusdem Beatæ memoriæ* MONTANÆ *commemoratio*

Labbe To. 2. Bibl. f. 593. Bucelin. Menol. ad Cal. Octob. Hugo Menard. To. 2. de SS. Ferrar. Catal. SS. Legend. Bituric.

ad vitam opportunè ſuccurrit, dum pro utilitate Monaſterij in pelagum cum tranquillitate navigaremus, à longè apparuit miræ magnitudinis navis venire ex litore. Cùm autem appropinquaſſet, levavit tempeſtas navim in mari cum ingentibus fluctibus, & ecce magna & terribilis bellua quaſi jactu fundæ nobis apparuit, cujus non totum, ſed ex parte vidimus dorſum: & nautæ tremefacti de vita nihil ſperantes ſuis votum voverunt idolis. Nos autem nomen Domini invocantes (nam noviſſimam ſperavimus horam) & exclamavit unus ex noſtris, qui adhuc vivit, & dixit ter: MONTANA *adjuva nos ſicut promiſiſti. Certè quod audivi & vidi vobis teſtor: tertio illo repentè verbo cetus abyſſum petivit, & nos cum lætitia & tranquillitate eâ nocte portum obtinuimus.* Quod an factum ſit adhuc vivente MONTANA, an poſt ejus obitum, non ſatis colligitur ex hiſtorico, qui enarrato hoc miraculo tranſit ad deſcribendum obitum Sanctæ: quem prædixit peregrinus, & nuntiavit MONTANÆ, quæ læta nuntium accipiens ad extremam horam ſe inter ſacrificia compoſuit, & fratribus ac ſororibus præſentibus animam reddidit Creatori ipſis Calendis Octobris. Mater verò ejus obijſſe notatur die 23. Octob. quâ natalem filiæ nos conſignavimus, ne dies vacaret.

DIE

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. GERBALDUS EPISCOPUS LEODIENSIS S. R. E. CARDINALIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nebus Dux Sueviæ.

|

Imma Uxor N. Comitis Sueviæ.

B. Geroldus Marchio Austriæ. — S. Hildegardis Uxor Caroli Magni Imperatoris.

S. GERBALDUS vel Geroldus Episcopus Leodiensis. — Ludovicus Pius Imperator, à quo cæteri Carolingi, & ex his Habspurgici.

Acta Synoptica.

DE hoc aliud non reperimns, quàm quod in Leodiensibus Episcopis adnotavit Gualterus, cujus verba apponimus: S. GERBALDUS Ducis Bavariæ filius Anno Domini 785. præfuit (Ecclesiæ Leodiensi) ac annis 26. gubernavit. Celebratum est Aquisgrani Concilium, ubi multi affuerunt Episcopi, ubi hic non postremus fuit. Ordinatus est Cardinalis, & Leonem III. venientem in Germaniam humanissimè excepit. Obijt autem Anno Salutis 809. & Leodij in summo templo tumulatus est. Hæc ille. Cùm verò hoc tempore Marcæ Orientali præfectus fuerit B. GEROLDUS, quæ partem Bavariæ complectebatur, hujus filium fuisse credibile est. Non enim esse potuit filius Thassilonis à Carolo Magno exauthorati, cùm fileant de eo Scriptores. Nomen sanè GERBALDI cum Geroldo convenit. Alius fuit duobus seculis posterior Gerardus vel Geraldus, diversus ab isto, etiam Bavarus, ex Monacho Cluniacensi Cardinalis, de quo agit Raderus, & nos alibi.

Jo. Gualt. in Episc. Leod. fol. 1497. Rader. To. 3. Bavar. fol. 128.

DE XXV. OCTOBRIS.

B. OFFA REX ANGLORUM ORIENTALIUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Eadwaldus Rex Cantiorum.
      - Ercombertus Rex Cantiorum.
        - Lotharius Rex Occidentalium Saxonum. Uxor ——N. Soror Offæ.
          - S. Richardus Rex Angliæ.
        - Sigherus Rex Orientalium Saxonum.
          - B. OFFA Rex.
- Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 25. Octob.

Beda hiſt. Angl. lib. 5. c. 20.

APud Bedam breve hoc de OFFA extat elogium, ubi agit de Coënredo Rege. Venit autem cum illo & filius Sigheri Regis Orientalium Saxonum, vocabulo OFFA, juvenis amantiſſimæ ætatis & venuſtatis, totíque ſuæ genti ad tuenda ſervandáque Regni ſceptra exoptatiſſimus. Qui pari ductus devotione mentis reliquit uxorem, agros, cognatos, & patriam propter Chriſtum, & propter Evangelium, ut in hac vita contuplum acciperet, & in ſeculo venturo vitam æternam. Et ipſe ergo, ubi ad loca ſancta Romam pervenerunt, attonſus, & in habitu Monachico vitam complexus, ad viſionem Beatorum Apoſtolorum in cœlis diu deſideratam pervenit. Hæc Beda, & ex eo Bucelinus. Occaſio verò relicti ab OFFA regni fuit, quòd cùm ad nuptias S. Kineswithæ filiæ Regis Merciorum ſuſpiraſſet, illa eum ad Dei ſervitium hortata ſit, teſte eodem Beda. Unde videtur nec uxorem duxiſſe, nec proles habuiſſe, cùm juvenis Romam abierit. Diverſus igitur fuerit ille OFFA, cui filius tribuitur S. Erconbaldus, & S. Edelburga, de qua ſuprà egimus. Meminit ſæpius Bollandus hujus OFFÆ ſine titulo Beati, quem tamen illi attribuit Bucelinus.

DIE

DIE XXVI. OCTOBRIS.

B. CONSTANTIA REGINA ARAGONIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Nexus I. proximus.

B. CONSTANTIA Uxor Petri III. Regis Aragonum.

Jacobus II. Rex Aragoniæ. Uxor Bianca filia Caroli II. Regis Neapolitani.

S. Eliſaberha Regina Portugalliæ.

Iſabella Uxor Friderici Imperatoris Auſtriaci cognomento Pulchri.

Nexus II. deſcendentium.

B. CONSTANTIA Uxor Petri III. Regis Aragonum.

Jacobus II. Rex Aragonum.

Alphonſus IV. Rex Aragonum.

Petrus IV. Rex Aragonum.

Eleonora Uxor Joannis I. Regis Caſtellæ.

Ferdinandus I. Rex Aragonum.

Joannes II. Rex Aragonum.

Ferdinandus Catholicus Rex Aragonum.

Joanna Uxor Philippi I. Archi-Ducis Auſtriæ.

Carolus V. Imperator.

Ferdinandus I. Imperator.

Acta Synoptica.

Zurita 1.p.lib.ſ.c. 39. Luc.Wadding. Annal.Seraph.Tom. 3.ad ann. 1302. Franc. Gonzag. de orig.Serap. P.1.fol. 104.

CHriſtianiſſimam fœminam fuiſſe, & Eccleſiæ obſequentiſſimam, memorat Zurita, usque adeò, ut Fridericum filium pro Siculo Rege ſe gerentem, nullatenus Regis nomine in ſuo teſtamento nominare voluerit, nec quidquam ei legaverit præter jura ſua in Cellarum & Ponzani oppidula, idque adjectâ cautione, ſi priùs ad Obedientiam Summi Pontificis reverteretur, Siculis rebus abdicatis. Sepulta eſt in Clariſſarum habitu, quem à mariti Petri Aragonum Regis deceſſu Barcinone aſſumpſerat. Meminit ejus Bonifacius Papa VIII. in Diplomate, quo Cœnobium Sacchittarum ad inſtantiam Jacobi Regis Aragonum conceſſit, mutari in hoſpitale: *Quod pro remedio animæ claræ memoriæ* CONSTANTIÆ *Reginæ Aragonum matris ſuæ Rex fundare deſiderat.* Titulum Beatæ illi attribuit Franciſcus Gonzaga. Obijt Anno 1302. ut habet Wadingus, incertum qua die.

DIE

DIE XXVII. OCTOBRIS.

S. DESIDERIUS EPISCOPUS ANTISIODORENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Hujus certa series ordinari non potest. Fuit verò (ut habet vitæ Author) *Brunechildi Reginæ propinquus, & filijs ejus tam Francorum, quàm Burgundorum Regibus.* Interim hæc Genesis sufficiat.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici indubitatâ serie.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos. Uxor Brunechildis Hispana.

S. DESIDERIUS Episcopus, horum propinquus.

Childebertus Rex Austrasiæ.

Theodobertus Rex Austrasiæ.

Theodoricus Rex Burgundionum.

Acta Synoptica.

SAnctum hunc appellat Episcopum vitæ author, & potissimùm à duobus commendat: quòd videlicet fuerit nobilissimi & Regij sanguinis, & in Ecclesias mirè munificusi, mò profusus. Libet pauca verbatim decerpere. DESIDERIUS natione Aquitanus ex Matre Necteria vir nobilissimus atque mitissimus, amator Cleri atque totius sanctæ religionis. Cujus secularis dignitas tanta extitit, ut ei nemo suo tempore quamvis potentissimus ex æquo se conferre potuerit. Fuit enim propinquus Brunechildi Reginæ & filijs ejus tanquam Burgundorum Regibus: quorum munificentiâ principali ingentem prædiorum amplitudinem consecutus est. Hinc tam profusa fuit sancti Viri in Ecclesias liberalitas, *ut nulla vel Medianæ Burgundiæ, vel Aquitanicæ Provinciæ principalis Ecclesia inveniatur, quam non rebus auxerit peroptimis.* Ejus quoque hortatu non Brunechildis solùm Regina, sed & Ingundis amplissimis donarijs plures Ecclesias auxit. Enarrat penè singula ad amussim Author vitæ, & demum concludit: *Qui verè felix, feliciter peracto tempore plenus virtutibus migravit ad Christum sub die 6. Cal. Novemb. & sepultus est juxta S. Aunarium in Basilicâ S. Germani.* De anno non constat.

Labbe To. 1. Bibl. fol. 422.

Anon. de gestis Episc. Antisiodor.

DIE

DIE XXVIII. OCTOBRIS.

B. MILADA DUCISSA BOHEMIÆ V.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Uratislaus Dux Bohemiæ. Uxor Drahomira.

S. Wenceslaus M.	Boleslaus Sævus Dux Bohemiæ.
B. MILADA V.	Boleslaus Pius Dux Bohemiæ, & reliqui Duces & Reges usque ad Wenceslaum Ottocarum Regem, cujus Uxor Juditha seu Guttha filia Rudolphi I. Imperatoris Habspurgici.

Alios nexus vide in S. Ludmilla, & S. Wenceslao, & B. Agnete Bohema.

Acta Synoptica.

Jo. Dubra. hist. Boh. lib. 6. fol. 38.

Bohusl. Balbin. Epitom. rer Boh. lib. 2. c. 9.

Monstier. in Gynæcæo sacro Pontan. Bohem. Piæ lib. 4.

Wion. ligni vitæ lib. 4. cap. 28.

Bucel. German. P. 1. c. 26. & Annal. f. 66.

Hensch. To. 3. Martij ad diem 28. in prætermiss. & To. 3. Apr. ad 23. in prætermis.

BOleslao sævo natus est Boleslaus Pius & MILADA seu MLADA, geminum Bohemiæ in religionem ac pietatem efflorescentis decus. Boleslaus certè Pius viginti templa à fundamentis excitata, cœremonijs, Sacerdotijs, censu & agris dotasse fertur, plurimùm solicitus, ut & Clero Præsulem impetraret. Pietati fratris nihil concedens MILADA *Virginitate & religione conspicua*, ubi cognovit Ottonis Cæsaris authoritate Romæ pacata esse omnia, certúmque tandem & legitimum ibidem extare Pontificem, impetrat à fratre, ut sibi Romam (unde in Bohemiam manaverat religio) invisere liberet, ut quando ab alio, quàm à Romano Pontifice Antistes Pragæ instituí nequeat, se quoque id effecturam, ut citra cunctationem impetret. Romam igitur veniens, in hospitium Sanctimonialium Divi Benedicti se contulit; longè enim latéque ejus instituti laus tunc se diffundebat. Cognitâ virtute Virginum nihil morata MILADA ijs quoque accenturiari, & sacrum velum suscipere. Instante die quo nobilissima virgo flammeo obnubi deberet, venit ad templum Joannes Summus Pontifex, qui sibi ultro eam velandi munus assumpserat. Cùm verò nomen MLADÆ seu MILADÆ ceu barbarum enuntiare nequiret, vocabulo id MARIÆ permutavit: inde ab omnibus non MLADA ampliùs, sed MARIA dicta. Pragam reversa, virginem vestalem apud ædem D. Georgij collecto novo sodalitio egit, obtulitque fratri bullam, quâ idem Joannes Romanus Pontifex nominandi Prægæ Præsulis potestatem faciebat, quod ad annum Christi 971. refert Balbinus. Post vitam illic sanctè transactam, in eadem Ecclesia MILADA sepulturam nacta est, & tumuli à terra elatioris honore, ac memoriâ in sacris colitur; atque in vetustissimo quod vocant precum Breviario octavus Februarij dies (Româ dubio procul olim probante) eidem Beatæ consecratus

legitur

legitur. Arturus à Monstier in Gynæcæo sacro eam retulit ad 28. Martij, & alibi ad 23. Aprilis, cum titulo Sanctæ: Arnoldus Wion inter sanctas Benedictinas Regum filias eam produxit, non indicato natali die. Pontanus in Bohemia Pia Beatis etiam illam accenset, dubitat de cultu Henschenius, sed credendum Bohemo, & recentiori Balbino; qui cultum ejus ex Breviario sufficienter ostendit. Nos eam hac die, cœteroquin vacante, reposuimus. Fundatum ab ea Monasterium S. Georgij Pragæ anno 986. habet Bucelinus, qui eam alibi hoc honorat brevi elogio: B. MILADA *sive* MLADA *post res plurimas præclarissimè gestas D. Benedicti familiæ in Monasterio S. Georgij Pragensis accensa, plurium Basilicarum per Bohemiam, & splendidissimæ illius S. Viti Pragensis fundatrix, & studij virtutis prima institutrix.*

DIE XXIX. OCTOBRIS.

S. HERMELINDIS VIRGO.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit è majoribus B. Pipini de Landis, ut in vita apud Surium habetur: *Beatissimæ Gertrudi consanguinitate propinqua fuit.* Et Alibi: *De nobili ejus prosapia descendisse dicitur Pipinus pater S. Gertrudis.* Quare licet ignoretur certa connexio, hæc interim sufficiet.

Carolomannus Dux Brabantiæ. — Ermenoldus Princeps, Uxor Ermensendis.

B. Pipinus de Landis, Uxor S. Itha filia Godini Ducis Aquitaniæ. — S. HERMELINDIS Virgo propinqua B. Pipino.

S. Begga Uxor B. Ansegisi Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici. — S. Gertrudis Nivellensis.

Acta Synoptica.

Bolland. To. 3. Febr. fol. 257. Bucelin. Menol. Franc. Haræus in vita. Andr. Brunn. in fastis. Hensch. To. 3. Apr. fol. 842. Jo. Molan. in Additions.

NIhil puerile in opere puellæ HERMELINDIS (quæ & Ermelindis) exhibuit prima ætas, jam tunc amans solitudinis vitabat coætanearum consortia, Deo nuptura divinis solùm delectabatur occupationibus. Unde maturam thalamo sibi eam pariter Deus ambiebat, & semper Dei rivalis mundus. Sed exhorruit rectè infamem procum Virgo, & duodennis sponsum sibi pulcherrimum è filijs hominum Christum legit. Stulta interim parentum vota generum mundum malebant: eáque de causa pro potestate cogere filiam parabant ad nuptias. Hic verò illa generoso ausu casta Amazon professa Virginem, arrepto ferro capillos sibi ipsa præcidit, hisque veluti vinculis absoluta, mundo ne nuberet, excessit mundo, paternam domum deseruit, remotiorem villam adiens, ubi propinquam frequentare Ecclesiam, nudis pedibus antelucanâ pietate cœpit. Insecuti castissima vestigia sunt gemini fratres, ijdémque Veneris mancipia, alter alterius ignarus amoris. Horum alter cùm suam Deo sponsam etiam è templo raptum iret, monita ERMELINDIS à tutelari Angelo, pudori novâ fugâ consuluit, & in loco quem Angelus ostendit, sola deinceps agrestibus herbis contenta, rigore veteres Eremi incolas, vel æquans, vel superans, vixit. Morituram è cœlo Paranymphi circum stetêre, castissimósque inter Hymenæos ad Sponsum suum abduxêre. Auditi ad demortuæ corpus cœlestes cantus, visus splendor insolitus, & suavissimus odor mortalibus immortalem prodiderunt HERMELINDEM, nec admissi homines qui sepelirent, solis Angelis (ut de S. Catharina legimus) id muneris demandatum. Latuit annis quadraginta octo, velut ignota, sed miraculorum gloriâ crebrescente manifestata Pipinum patrem S. Gertrudis impulit, ut corpus è tumulo levaret, Meldrici Parthenonem conderet, & longo censu ditaret. Meldarienses (ita nunc appellantur) diem ejus natalem colunt hac ipsa 29. Octobris. Cur eam Menologio suo inseruerit Bucelinus, non possum divinare, cùm eremiticam solùm vitam professa sit, nulli regulæ adstricta, ut ex vita apparet.

DIE

DIE XXX. OCTOBRIS.

S. NOITBURGIS VIRGO

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

S. Gunthramnus Rex Francorum.

Arnoaldus Marchio ad Scaldim.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.

Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ, Uxor B. Plectrudis.

S. NOITBURGIS Virgo.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ, à quo cæteri Carolingi, & dein Habſp. Auſtr.

Acta Synoptica.

PIpini Regis filiam fuiſſe NOITBURGEM, affirmant nonnulli, ſed verior opinio eſt, fuiſſe Pipini Heriſtalli filiam, qui cùm eſſet major Domus Regiæ, apud nonnullos ſcriptores veteres etiam abuſivè Rex appellatur, ut advertit non uno in loco Bollandus. De Pipino Heriſtallo agens Hadrianus Barlandus, in laudes pariter excurrit NOITBURGÆ. Progenitoribus, inquit, eſt Pipinus ortus ſanctiſſimis: ut præteream alios, matrem habuit Beggam Divæ Gertrudis ſororem. Plectrudis mulier vitæ ſanctimoniâ inſignis huic uxor data eſt, Matrimonij vinculo ſic juncti, ac velut concatenati, bonorum omnium radici concordiæ nihil præferendum exiſtimantes, omnia ſic egerunt, ut pax inter eos, & tranquillitas eſſet. Hanc pacem id boni ſequutum, ut ex eo connubio digna parentibus ſit edita proles, Filij tres, Drogo & Grimoaldus, qui cùm Chriſti eſſet fortis aſſertor Dei, poſtea Leodij Martyrium adijt ob Chriſti fidem, ibi ſepultus in æde D. Jacobo ſacra. Filius tertius fuit Silvinus vir pientiſſimus, qui & ipſe Sancti appellationem meruit. Filia NOITBURGIS vocata eſt. Sepulchro illata Coloniæ miraculis claruit, quæ res vitæ innocenter actæ evidens eſt indicium. A multis expetita Principibus omnes ſprevit, enixiſſimè à Deo petens, ut ſibi potiùs vitam abbreviaret, quàm à cognatis cogi ſineret ad mortalis hominis complexum. Idque in flore ætatis impetraſſe fertur, cùm corporis ſoluta ergaſtulo, in cœlum evolavit. Corpus exanime cohoneſtavit Deus inſigni miraculo, duobus luminaribus altero ad caput, altero ad pedes divinitùs ardentibus. Sed & illato in Eccleſiam ejus funere, cùm peraguntur exequiæ, alterius defuncti cadaver eidem templo illatum eſt. Surrexit illicò defunctus è tumba, & palam aſſeruit, ſe divæ NOITBURGIS meritis ad vitam revocatum. Crebreſcentibus deinde miraculis, tam celebre nomen ejus evaſit, ut Eccleſia illa deinceps S. NOITBURGIS à Colonienſibus appellaretur, quæ alioqui S. Petro Apoſtolo dicata erat. Sacra ejus lipſana hodie Confluentiæ in Cartuſia magnâ coluntur veneratione. Claruit S. Virgo circa A. 700. A Radero ad 30. Octob. reponitur, à Surio ad 31.

Rader. To. 2. Bav. S. f. 39.

Hard. Barland. in Belg. p. 5.

Surius ad 31. Oct.

Cratepol. Caniſ.

Molan. in Martyr.

Fredegar. c. 97.

Eâdem DIE XXX. OCTOBRIS.

VEN. MARIA VIDUA, DUX CLIVIÆ.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Ludovicus IV. Imperator Dux Bavariæ.

Albertus Dux Bavariæ.

Margareta Uxor Joannis Intrepidi Ducis Burgundiæ.

Philippus Bonus Dux Burgundiæ.

Carolus Audax Dux Burgundiæ.

Maria hæres Burgundiæ, Uxor Maximiliani I. Imperatoris.

Philippus I. Rex Hispaniæ.

Ferdinandus I. Imperator.

Carolus Archi-Dux Austriæ.

Ferdinandus II. Imperator.

Ferdinandus III. Imperator.

Leopoldus Imperator, Uxor ——— Eleonora Magdalena Theresia Imperatrix.

Ven. MARIA Uxor Adolphi I. Ducis Cliviæ.

Joannes Dux Cliviæ, Comes Marchæ.

Joannes II. Dux Cliviæ, Comes Marchæ.

Joannes III. Pacificus, Dux Cliviæ.

Gulielmus Dux Cliviæ, Juliaci, & Bergæ, Uxor Maria Austriaca filia Ferd. I. Imp.

Anna Uxor Philippi Ludovici Comitis Palatini Rheni, hæres Cliviæ.

Wolffgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Cliviæ & Juliaci.

Philippus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Cliviæ &c.

Acta Synoptica.

MARIA Burgunda, Joannis Intrepidi filia, Cliviæ Ducissa, Adolphi I. conjunx, viduata marito, totam se Dei obsequijs mancipavit. Erat matrona inprimis pia ac metuens Deum, in omnibus operibus præcellens, quæ filios Principes à teneris ita solidarum virtutum monitis formabat, ut ab infantia incorruptam ab omni noxa servarent innocentiam, & quæ teneris in animis plantaverat, verbis rigabat, lacrymis fovebat. Assiduè maritum (dum viveret) eximio suo exemplo, prudentique admonitione ad propagandam pietatem ita allexit, ut varia per Cliviam & Comitatum Marcanum Sacella, Templa, Monasteria, Nosocomia, & ad Wesalios nobilissimam Cartusiam erexerit. Cui nec ipsa zelo inferior Anno 1460. ardenti pietate ex cimmelijs & usufructu celebre per Cliviam finitimásque Provincias claustrum Ordinis S. Brigittæ, olim Treppen, nunc Marienbaum dictum condidit, ac die 27. Julij, Virginibus octo velatis, totidémque Monachis, qui divinis ibi præessent officijs, consignavit. Hæc Monasterij fundatio multorum dicteriorum & judiciorum seges fuit, pro vario partium studio. Et licèt ipsa sermones vulgi minimè æstimaret, satis gnara, ut populi folia, ita & linguas Populi omni rumorum vento circumferri: attamen prudentiorum sensa amans, eorum judicia non respuebat. Commodè accidit, ut è viro perquam erudito, sibique imprimis ob virtutem charo, D. Arnoldo Boltio Sanctensium Pastore Moncebergæ ejus voto fieret satis: cujus dum in mensa familiari mentem exploraret, illéque respondisset: *Hoc Monasterium sine dubio Deo placiturum, qui Adamo Evam in Paradiso adjunxisset, præ altero Cartusianis solitarijs à marito Duce constructo.* Sarcasmo hoc inurbano non delectata Princeps: *Vah*, inquit, *primos divini mandati transgressores, hominibus religiosè Dei gratiâ victuris comparas?* Nec Boltij, aliorúmque minùs faventium sapientiâ supra nubes Aristophanis gradientium, cavillis consternata, quin potiùs animata, fundationem inchoatam donationibus auxit. Ita multi, dum nocere meditantur, prosunt: & sanant, dum vulnerant. Telum verò Boltij à scopo aberrasse, Wernerus Teschenmacher, recens Annalium Cliviæ collector, licet à Catholica fide, loco, & religione alienus, veritate cogente agnoscit, ob strictam eo in Monasterio ad nostram usque ætatem, regularum, pietatis, & castimoniæ observantiam. Claustro proventibus firmato Princeps, quâ erat in Patronam suam pietate, ejus laudes amplificare enixè satagebat. Erat illi Dei para in omnibus levamentum: nec quidquam, nisi auxilio ejus implorato, aggrediebatur. Non infrequenter ex vicina sua arce Monreberga, in decrepita licet ætate, misericordiæ Matrem in templo suo invisit, comitibus in via symbolum illud suum ingeminans, servum & ancillam MARIÆ perire non posse. Hinc omni ejus, præcipuè in Montana conscendentis festo, illam eleemosynis, corporis castigationibus, vigilijs, sacrâ synaxi venerabatur, simul exclamans: *O si possem omnes arenas, guttas, stellas, flores, folia, & atomos in choros te O MARIA laudantium convertere, quàm libens facerem! O si omnium Sanctorum brachijs & affectu amoris, te matrem misericordiæ constringere, æternúmque benedicere, laudare, & superexaltare possem, quàm unicè id optarem continuare in omnem æternitatem, & ultrà!* Dúmque his affectibus pueros, pauperes, simplicés-

Theodor. Rhay. in Animad. Illustr. ad 30. Octob. Werner. Teschenmacher. in Annal. Cliviæ.

plicésque animas imbueret, ut ſui causâ has Deo preces magnæque illius Matri offerrent. A Gynæcæo verò monita ab iſtis viliſſimis homuncionibus nihil ſolidi ſperandum, reponebat: *Filiæ graviter hallucinamini. Non eſt perſonarum acceptor Deus: pauperum & ſimplicium deprecationes exaudit: non maximis ſolùm canibus, ſed minimis etiam catellis inſtituitur cœli venatio.* Prolem ſuam, ac inprimis Joannem Ducem magno verborum pondere monebat, ut Deum fide & affectu, proximum honore, ſubditos favore coleret. Marianæ Arboris Religioſas ſuas filias impensè hortabatur: ſolicitæ ut eſſent: *Numen iratum animabus, quæ flammis piacularibus addictæ, placatum reddere; jejunio paſſiones corporis, oratione animum ſanare, nec quidquam, quod ſub ſole cum tempore tranſit, ſed Deum ſolum magni æſtimare.* Qua in ſcientia Sanctorum, operibúsque ſanctis Maritum Adolphum Ducem in Caſtro Monrebergio viduitatis anno decimo quinto die 30. Octob. Anni 1463. ſecuta, apud eundem in Gravienſi Cartuſia Vigilia O. SS. funere per Urbem Sanctenſem trans Rhenum in clauſtrum illud, præſentibus filio Joanne Duce, ejúsque conjuge Eliſabetha Niverſia, ſorore Catharinâ Geldiâ, cum primaria Procerum, & totius nobilitatis caterva deducta eſt tumulanda; à magna Matre ſua MARIA devota filia in cœlis, ut confidimus, ſeculis interminatis exaltanda.

DIE

DE XXXI. OCTOBRIS.

S. WOLFGANGUS EPISCOPUS RATISBONENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

EXuit ex Comitibus de Pfullingen & Achalm, quæ familia innexa eſt Habſpurgicæ per Sophiam viduam Eginonis Achalmenſis, quæ ſecundò nupſit Conrado Comiti Habſpurgico, ut refert Henninges. Mater ejus fuit Gertrudis Comitiſſa de Veringen, quæ familia pluries inſeritur Habſpurgicæ. Sufficiant proinde, cùm certa ſeries progenitorum oſtendi non poſſit, hæ connexiones. Henn. P. 1. Germ. fol. 364.

Nexus I.

N. Comes de Thierſtein.

Hiltrudis Uxor Wolffhardi Comitis Veringenſis Anno 1052.

N. Comes de Thierſtein.

Rudolphus de Thierſtein, Uxor Itha Habſpurgica.

Nexus II.

Wolfframus Comes Veringenſis, Uxor Agnes Habſpurgica filia Alberti Sapientis, ſoror Rudolphi I. Imperatoris.

Nexus III.

Rudolphus Comes de Achalm.

Egino Comes de Achalm. Uxor Sophia, quæ ſecundò nupſit Conrado Comiti de Habſpurg.

Acta Synoptica.

STellam parturire ſibi mater WOLFGANGI videbatur. Non fefellit viſum. Peperit quippe ſydus, quo omnis Boica illuſtrem ſe fatetur. Natalium ſplendorem jam inde à puero bonis artibus exornavit, maximam ei deinde lucem à virtute accendit. Hæc cùm inter Herciniæ Sylvæ Aſcetas aliquamdiu latuiſſet, ſuis tandem ſe radijs prodidit, & prælucere Boijs Ratisbonæ juſſa eſt. Agnovêre in Præſule ſuo vitæ Magiſtrum omnium Ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicatæ, quas ille à vitæ (ad quam Andr. Brunner. in Faſtis. Rader. Bav. Sanct. To. 1. f. 94. Surius in vita.

nunc

Franc. Haræus in vita. Lambert. Schaffnab. Diethma. Trithem. Albertus Crantzius. Jo. Avent. Wig. Hund. Chriſtop. Hartman. alij.

nunc etiam pronum eſt deficere) licentia, ad ſanctiorem diſciplinam revocavit. Poſteà in deſertos montes aufugiens, ſtruxit Sacellum miraculis etiamnum celebre. Sed non potuit oculos effugere ſtella tam nobilis: retractus WOLFGANGUS poſt longam abſentiam, pulchriùs jam Ratisbonenſibus, velut poſt tenebras luxit. Illud minimè tacendum. Henricum Bavarum, poſtea Auguſtum educaſſe, illíque Imperium tum in vita, tum à morte ſua prædixiſſe. Nam ferunt Henrico dormienti WOLFGANGUM adſtitiſſe, & parieti gemina hæc verba: POST SEX: inſcripſiſſe; experrectum illum mortem primùm in ſextum diem, pòſt in ſextum menſem, tum in annum ſextum exſpectaſſe; ſed tunc pro morte Imperium adijſſe. At WOLFGANGUM, cùm aſſem omnem ſuum in Fratres (ut ipſe vocabat) pauperes partitus eſſet, cœlum ex ipſo templo D. Othmari, qui & Epiſcopatûs illi, & mortis vates fuit, ad ſe rapuit. Nec injuriam terræ fecit: ſuum recepit, ſtellam abſtulit.

Finis Menſis Octobris in Anno Sancto-Habſpurgo-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
NOVEMBER.
Sive
MATTHIAS I. ZELATOR.
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

MEnſem hunc Commodus Imperator Exuperatorium dixit; Dianæ dicatum habuere Romani. Signet eum potiùs MATTHIÆ Auſtriaci nomen Apoſtolicum, qui hoc eodem menſe Apoſtolicam ſuſcepit Coronam, & multoties Dianam (quæ & Luna) exuperavit per cædes Barbarorum graſſatus ad immortalitatem. Coronet menſem, in quo coronatus eſt Alex. ab Alex. Genial. l. 3. cap. 24.

MATTHIAS I. ZELATOR.

Generi Genium & Ingenium
Sic attemperavit,
Ut ad Imperij Romani culmen
Non tam ſorte electus,
Quàm naturâ factus videretur.
Firmatum cœlitus omen! Symb. Matth.
Natalem diem cum Carolo patruo communem habuit,
Ad Apoſtolici Regni faſces in primis faſcijs deſtinatus
Februarium fecit Auſtriæ biſſextilem.
Ortus eſt, illo deficiente:
Quaſi naſcens à Carolo morituro
Non tam ſceptri, quàm gladij hæres ſcriberetur.
In Ecliptica Imperij
Primum illi Aſtræa ſignum fuit
Auſtralium ſignorum prima,
Quam è cœlo advocavit in terras, reddituram
Suum cuique.
Æquâ lance pœnas & præmia ponderans,
Inter lenitatis gloriam & ſeveritatis rigorem
Tenuit medium; non ignarus

Quàm facilè nimia libertas in Licenriam degeneret:
Nimius rigor in odioſam Tyrannidem.
Omnia diſſimulante Principe,
Videtur licere, quod libet ſubditis:
Omnia puniente nihil non libet.
Cùm eſſet virtutum Munerarius,
Erat tamen Munerum oſor.
Quæ procul abeſſe voluit à Judicum munijs,
Corripere ſolitus Juſtitiæ *Corruptores*.
Divini *Zelo* honoris
Religionem dum ſervat, ſervatur à Religione,
Nullum ſibi fidelem credens,
Quem noſſet Deo perduellem,
Oppugnator ſectarum, Catholicæ fidei propugnator,
Roboratus Euchariſtico *Cibo fortium*,
Cujus cultum reſtituit,
Nihil non *Fortiter* egit!
Fudit bello barbaros, hæreticos authoritate confudit:
Judæos damnavit exilio, auxilio donavit Chriſtianos,
Quibus Turcicum excuſſit jugum.
Annos quos vivendo extendit,
Pugnando contraxit.
Inter Auſtriaca numeratum prodigia,
MATTHIÆ virtute
Tridui ſpatio Albam Regalem fuiſſe receptam,
Quæ Triennalem ſuſtinere poterat obſidionem.
Ita videlicet
Deus exercituum Auſtriæ militat,
Dum militat Auſtria pro Deo.

Hort. Pallav. in Matth.

Inter virtutes quas MATTHIAS Imperio admotus coluit, eminuiſſe Juſtitiam æquâ lance diſtribuentem pœnas & præmia, notant Faſti, ut nec queri poſſent de rigore nocentes, nec de gratijs benemeriti, ſoli boni & virtute ornati erant in pretio: *Prenſantibus malo omine dignitates, paratæ repulſæ. Nobilitati quidem locus, ſed poſt virtutem datus: magnus enim ille ſplendor eſt, ſed umbra virtutis.* Felix Respublica, in qua major habetur morum ratio, quàm majorum!

CA-

CALENDIS NOVEMBRIS.

S. ANNAS REX ANGLORUM ORIENTALIUM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurgici.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilberta Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

S. ANNAS Rex Anglorum Orientalium, Uxor S. Hereswida.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francor.

S. Sexburga, cujus maritus & aliæ quinque proles.

Ercombertus Rex Cantiorum.

Acta Synoptica.

TAudatiſſimus Regum Anglorum Orientalium ANNAS, conjugem habuit ſanctam, affinem ſanctam, proles quinque ſanctas, nepotes & pronepotes ſanctos complures, & ipſe quoque in hiſtoria Elienſi MS. Sanctus nominatur. Bedæ teſtimoninm de illo eſt: *Rex* ANNA *Vir bonus ac bonâ ſanctâ Sobole felix, apud quem Cenwalchus Occidentalium Saxonum Rex triennio exulans, fidem Chriſti cognovit, ac veritatem ſuſcepit.* Non igitur ſolùm ſuam domum in fide Chriſtiana erudijt, ſed & advenis eandem inſtillavit. Nihil certè exemplo efficacius. Merebatur ſancto Regi Sigeberto in regno ſuccedere, tam numeroſæ ac ſanctæ prolis genitor. Sunt qui ei etiam S. Erconbaldum filium, & filiam Ethelbergam adſcribant. Cœterùm de Sexburga, quæ Regi Cantiæ Ercomberto nupta, Sanctarum Ermenildæ & Earcongotæ mater fuit, certum eſt filiam fuiſſe ANNÆ Regis: huic dies 6. Julij ſacra eſt. Altera filiarum fuit S. Ethelreda nupta Egfrido Regi fratri S. Eldefledæ, cujus amita S. Ebba ſoror S. Oswaldi bis nupta Virgo. Colitur S. Ethelreda 23. Junij. Tertia ANNÆ proles S. Witburga Virgo, quæ colitur 17. Martij. Quarta proles S. Edelburga, cui dies 7. Julij dicata. Ex filijs Adulphus regno præfuit, Jurminus Sanctis adnumeratus. Uxor S. ANNÆ Regis fuit S. Hereswida ſoror S. Hildæ, & S. Edwini Regis & Martyris neptis, quæ priùs ex alio marito S. Sethridam ſuſceperat. Atque ita tota Regis ANNÆ familia cœlum auxit. An aliquem cultum habuerit ANNAS, non reperio: meo inſtituto eſt ſatis Sanctum appellari.

Beda hiſt. Angl. lib. 3. c. 7. Capgrav. Harpsfeld. Huntind. Alford. Spedas. Bolland. To. 1. Jan. fol. 374. & To 2. Feb. f. 687. & To. 3. Apr. f. 780.

Eâdem DIE I. NOVEMBRIS.

VEN: JOLENTIS vel JOLA VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ Moſellanæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri omnes rectâ lineâ ad hodiernos.

Albertus II. Comes Namurci.

Albertus III. Comes Namurci.

Godefridus Comes Namurci.

Aleydis Uxor Balduini III. Comes Hannoniæ.

Balduinus IV. Comitis Hannoniæ. Uxor Margareta Comitiſſa Flandriæ, Uxor Theodorici Alſatij.

Jola vel Jolanthis ſoror Margerethæ Hannoniæ, hæredis Flandriæ: Uxor Henrici Comitis Vienn. in Eifflia.

Henn. P. 1. Germ. f. 79.

V. JOLANTHIS Virgo Monialis.

Balduinus V. Comes Hannoniæ, Imperator Conſtantinopolitanus, à quo poſt 10. gradus Comitum Flandriæ Philippus I. Archi-Dux Auſtriæ, Rex Hiſpaniæ, & cæteri ad hodiernos.

Acta

Acta Synoptica.

JOLANTHEM, ſeu JOLAM Balduini Imperatoris conſobrinam appellat Maſenius, & ſimul filiam Viennenſis in Eifflia Comitis, ſed cùm conſtet matrem Balduini fuiſſe Flandram Theodorici Alſatij filiam, ut eſt apud Henningem & Chifflétium, aliunde verò inter filias Theodorici nominetur etiam YOLA, videtur hanc JOLANTHEM fuiſſe materteram potiùs Balduini quàm conſobrinam; niſi fortè JOLA nupta fuerit Viennenſi Comiti, & pepererit JOLANTHEM, quod veroſimilius eſt. Uttumvis dicas, propinquam tamen Habſpurgo-Auſtriacis fateri debes. Hæc dum illuſtribus aptatur thalamis, à Walthero Meiſenburgico Trevirenſium ex Dominicana familia egregio oratore perſuaſa, ſponſa Dei, quàm hominis eſſe maluit. Quare in vicinum Mariæ-Vallis Parthenonem matre comitante, & piæ fraudis neſciâ, eâ mente digreditur, ut Virginibus iſthic ſub D. Dominici diſciplina ſociaretur. Ergo matre in Cœnobij luſtratione diſtenta, iſta in Choro nuncupatis Deo votis habitúque ſumpto læta concinit: *Reguum mundi & omnem ornatum ſeculi contempſi.* Quod ubi interveniens mater attonita conſpicit, nullâ clauſtri reverentiâ filiam per miniſtros retrahit, arctæque domi cuſtodiæ mancipat. Nihil toto ab illa triennio, neque blanditijs neque terriculamentis, Epiſcopis etiam in conſilium adhibitis, inconſtantiæ potuit extorqueri: Ut denique propinqui parentésque invicti ſpiritum animi ſuſtinere non auſi, ad priſtinum illam religionis domicilium redire permiſerint, ubi hiſce principijs non imparis gloriæ vitam exitúmque, Virago nobiliſſima virtute magis quàm genere eſt conſecuta. Meminit etiam Bucelinus B. JOLENTHÆ Virginis Monialis ad 10. Decemb. ſed cùm eam Ciſtertienſem aſſerat fuiſſe, diverſa fuerit ab hac, de qua modò dictum.

Jac. Maſ. Epitom. Trevir. Annal. fol. 470.

DIE II. NOVEMBRIS.

B. CHRISTINA AUSTRIACA,

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

- Lotharius I. Imperator, avus Beatæ nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico à quo cæteri.
- Ludovicus Rex Germaniæ. → Carolomannus Rex Bavariæ. → Arnulphus Imperator. → Luitgardis Uxor Ottonis V. Ducis Saxoniæ. → Richarda Uxor Leopoldi I. Illuſtris Marchionis Auſtriæ. → B. CHRISTINA Marchioniſſa Auſtriæ.
- Carolus Calvus Imperator, à quo aliquot generationes, Itha Lotharingica, magna avia hodiernorũ Archi-Ducum.
- B. Poppo Archiepiſcopus Trevirenſis.

Alios nexus vide in S. Leopoldo die 15. Novemb.

Acta Synoptica.

Jac. Maſ. Epit. Annal. f. 316.

DE Archiepiſcopis Trevirenſibus agens Maſenius, & laudes texens B. Popponis Auſtriaci, hæc quoque de ejus ſorore addit: *Soror illi* CHRISTINA *Simeonis exemplo Treviris incluſa, quæ 3. nonas Novembris beatæ illic mortis recordationem in faſtis reliquit.* Nec aliud hactenus de ea reperi. Diem natalem uno die anticipamus.

DIE III. NOVEMBRIS.

S. HUBERTUS EPISCOPUS LEODIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit Dux Aquitaniæ, ex Regali Francorum ſanguine oriundus, ſed qua ſerie & generationum nexu ab ijs deſcenderit, nondum comperi. Hoc ſatis eſt propoſito, quòd ab ijsdem majoribus Francis ſicut Habſpurgo-Auſtriaci ſanguinem trahat.

Acta Synoptica.

HUBERTUS à fide Chriſti primùm alienus, verùm vitâ integer, & in pauperes velut alter Cornelius Centurio beneficus. Cùm ſuo more die Paraſceves venationi intenderet, Chriſtus ei in forma Crucifixi inter cervi cornua apparuit. Hac occaſione ad verum Deum converſus, & fidem amplexus eſt. Conceſſit ad S. Lambertum Epiſcopum Trajectenſem, qui eum in myſterijs diligenter erudijt. Inde bona ſua in pauperes diſtribuens ſeceſſit in eremum, & vitam aſperam aliquot annis duxit. Angeli deinde monitu Romam ſe contulit, ubi dum incognitus moratur; ecce tibi (ut Nuſſienſis loquitur) *In ipſa hora paſſionis B. Viri Lamberti Angelus Sergio Papæ baculum Paſtoralem Martyris attulit, & ei nomen* HUBERTI, *& ut hunc Succeſſorem Lamberti ſubſtitueret, & ſigna quibus eum inveniret, indicavit. Inventus igitur* HUBERTUS *cùm præfici renueret, ecce omnibus Pontificalibus S. Lamberti (quæ ſubitò à loco Martyrij ſunt ei allata) cunctis qui aderant videntibus induitur, & à Papa inde in Epiſcopum conſecratur.* Cùm verò ibidem Miſſam celebraret, apparens ei S. Petrus clavem tradidit auream in ſignum poteſtatis ligandi atque ſolvendi, quin & lunaticis furioſisque conferendi ſanitatem. Cœpit igitur Anno Chriſti DCC. præeſſe Eccleſiæ, cujus ſedem Trajecto transtulit Leodium, Eccleſiam S. Petri condidit, & adjecit Monaſterium, quod ex Stabulenſi Monaſterio adductis colonijs voluit habitari. Eccleſiam B. Mariæ Cathedralem in honorem Divi Lamberti conſtruxit, & in ea viros doctos ac modeſtos, quos Canonicos vocamus, inſtituit. Præfuit Annis triginta ſumma cum pietate, & in extrema ſenectute plenus bonis operibus, migravit ad Dominum. Fuit, ut inquit Nuſſienſis, *Filius Bertrandi Ducis Aquitaniæ ex ſorore S. Odæ viduæ, & ex Regali Franciæ ſanguine ortus.* Infidelium reliquias per Brabantiam & Ardennam profligavit, totámque patriam ad Chriſtum convertit. Obdormivit Anno 631. die 3. Novembris, quæ illi publico cultu dicata eſt.

Gualter. in Epiſc. Leodienſ. fol. 1495.

Can. Nuſſienſ. in Chron. Belgij f. 29. & ſeq.

Jo. Molanus.

Laur. Surius in vita.

Franciſc. Haræ. in vita.

DIE

DIE IV. NOVEMBRIS.

S. CAROLUS BORROMÆUS ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Medicæos non ſemel cum Auſtriacis noſtris connubia inijſſe, manifeſtum eſt: quia verò Medicæi alij Florentini ſunt, alij Mediolanenſes, licèt ejusdem prorſus radicis, hactenus eorum connexionem, & deſcendentiam integram nanciſci non potuimus. Interim nexus hic ſufficiat.

Coſmus Medices Magnus Dux.

- Franciſcus Medices. Joanna Archidux, filia Ferdinandi I. Imper.
- Ferdinandus Medices, Uxor Chriſtina Ducissa Lotharingiæ.
  - Coſmus Rudolphus Medices, Uxor Magdalena, filia Caroli Archi-Ducis Græcenſis.

Bernardinus Medices Mediolanenſis.

- Margarita Medicæa, Uxor Giberti Com. Borrom.
  - S. CAROLUS BORROMÆUS.
- Joan. Angelus Medices, poſtea Pius Papa IV.

Acta Synoptica.

Andr. Brunn. in faſtis. Jo. Bapt. Maſc. in Encom.

ORiente CAROLO prodigioſa lux oriri eſt viſa, ut non tam prolatus ipſe in lucem, quàm protuliſſe lucem cenſeri poſſit. Cæteri infantes lucis uſuram à matre accipiunt, hic etiam dedit. Puer, cùm alij ludos, ipſe Virginis templa obibat. Ad Epiſcopatum Mediolanenſem aſſumptus, Parochorum vitam ipſe inſpicere, ipſe morbidas oviculas curare, ipſe pro ſuggeſtu his acclamare, ipſe Sacramentis paſcere. Quid hic illi animarum Paſtores, qui ſuum nunquam numerant, quin neque noverunt gregem? Atqui ille hæc fecit tunc, cùm provinciam dira lues famésque popularetur, quando ut Chriſtum cooperiret, parietes aulæis, ſe lectulo etiam ſpoliavit. Pallor auro inſitus tunc majus accepit decus, quando CAROLUS id effudit in pallidos. Virtus ejus nunquam enituit puriùs, quàm ſub infecto aëre. Peſtem ſupplicationibus ad DD. pulvinaria inſtitutis avertit, in quibus ipſe nudus pedes, funéque in collum injecto, crucem prætulit. Authoritati Eccleſiæ vitam poſthabuit, & purpuram ſuam, quam cum rubore acceperat, ſuo iterum ſanguine pinxiſſet, niſi pila exonerati ſclopi hoſtilis juſſa ferire pectus, procidiſſet ad pedes. Nullum mollius pectus, quàm CAROLI: quod totum liqueſcebat Deo: nullius durius, quàm ejusdem, cum impenetrabile fuit æri. Famoſas majorum imagines deſpiciendo fecit illuſtres. Præpoſuit ijs apud Verallum montem ſculptam Crucifixi ſanguinem fundentis iconem. Oſtendit nempe, quòd potiori loco haberet amoris purpuram, quàm honoris. Nondum accepto galero, ſed nuncio, ad ipſum Romani murieis nomen erubuit. Ita illi contulit priùs purpuram virtus, quàm Roma. Sed bono animo, magne CAROLE, alios ornat purpura, tu purpuram exornaſti.

DIE

DIE V. NOVEMBRIS.

S. EMERICUS PRINCEPS HUNGARIÆ.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Pieſpordij, Lazij, Henningis, Sciopij, & aliorum.

Ramprechtus Comes Habſpurgicus.

Gunthramus Comes Habſpurgicus, à quo cæteri lineâ rectâ ad hodiernos.

Hugo Com. Habſpurgicus in Otthbrechtsthall.

Hugobertus Abbas Hugeshovenſis, Dux Transjuranus.

Hugo Abbas, Dux Transjuranus.

Conradus Dux Burgundiæ Transjuranæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgund.

Giſela Uxor Henrici Hetzelonis Ducis Bavariæ.

Giſela Uxor S. Stephani Regis Hungariæ.

S. EMERICUS Princeps Hungariæ.

S. Adelheydis Uxor Ottonis Magni Imperatoris.

Otto II. Imperator.

Otto III. Imperator.

Judith, cujus maritus —— Petrus Rex Hungariæ.

Geyſa Dux Hungariæ.

Saroltha Uxor N.

S. Stephanus Rex Hung.

S. EMERICUS Princeps Hungar.

Alium nexum vide in S. Stephano patre die 15. *Auguſti.*

Acta Synoptica.

PAter EMERICO D. Stephanus fuit Hungariæ Rex. Matrem in terris Giſelam D. Henrici Imperatoris ſororem, in cœlis MARIAM ſalutavit, cui natum unicè ſemper pater commendaverat. A tantis parentibus minimè degener EMERICUS non dies modò, ſed quas juventus ſomno aut voluptatibus dare amat, noctes precibus pius vigil tranſcripſit, non priùs ab aurora deprehenſus, quàm omnia vatis Jeſſæi carmina decurriſſet, & poſt ſingula intercalare oſculum terræ fixiſſet, Chriſtianus Tarquinius. Una ei arriſit venuſtas, quæ caret Venere; præ Regia illam amavit purpuram, quam tingit pudor. Oculos habuit tam puros, ut etiam animorum occulta perſpiceret. Juſſus à parente ſalutem ferre viris Deo devotis, oſculis diſtinxit pudicos, quaſi apis accurrens ad flores, labella imprimebat, & exprimebat nectar. Omnes quidem excepit oſculo, ſed plura aliis atque aliis tulit, non neminem etiam ſepties diſſuaviatus. Cauſam reddidit, qui plurima tuliſſet, eum Virginem ad id ætatis animum geſtare, mille etiam oſculis dignum. Ad ejus tumulum peccator catenis ligatus ſcelus ſuum in pagella deſcriptum cùm appoſuiſſet, illicò deletum vidit, & catenas diſruptas ſenſit. Quis dubitet appellare EMERICUM Regem apum ſine aculeo? Labem ipſe non noverat, & ignovit labenti. Mortuus è ſolio tumuli pronuntiavit edictum vitæ. Nihil EMERICE invenit mollius reus, quàm tribunal tui ſepulchri marmoreum. Ibi protuliſti ſententiam, ubi putabaris jacere ſine ſenſu. Ibi reus deletas ſenſit ſuæ vitæ maculas, ubi cœteri habent mortis ſordes. Deceſſit caſtiſſimus juvenis licet maritus, cùm ſponſæ ipſo nuptiarum die parem virginitatis ſervandæ voluntatem perſuaſiſſet, Anno 1032. vel uti alij putant 1036. Albæ Regali conditus, ubi ſacras ejus exuvias ingentibus Deus prodigijs illuſtravit.

Brunn. in faſtis.
Maſc. in Encom.
Matth. Rader. in Bav. S. To. 2. fol. 184
Bonfin. Dec. 2, lib. 2.
Chrom. ad an. 1036.
Martin. Polon. ad an. 1032.
Avent. in Annal.

DIE

DE VI. NOVEMBRIS.

S. BERNARDUS MARCHIO BADENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Piespordij, & aliorum.

Betzo Comes Habspurgicus, alijs dictus Lancelinus & Landolus.

Landolus Comes Habspurgicus.
|
Bertholdus Barbatus Habspurgicus conditor Zäringiæ.

Radepoto Comes Habspurgicus. Uxor Itha Lotharingica ex sanguine Caroli Magni, à quâ omnes Habspurgici rectâ lineâ usque adhodiernos Archi-Duces.

Bertholdus II. Dux Zäringiæ Habspurgicus, à quo cœteri Duces Zäringiæ.

Hermannus I. appellatus Marchio, sine alio titulo.
|
Hermannus II. Marchio Badensis. Uxor Juditha, hæres Marchionatus Badensis.
|
Hermannus III. Marchio Badensis, & cœteri lineâ rectâ Marchiones per octo generationes.
|
Jacobus Marchio Badensis.
|
S. BERNARDUS Marchio Badensis.

Nexus II. propinquor.

Ernestus Archi-Dux Austriæ.

Fridericus III. Imperator Austriacus, à quo cœteri Archi-Duces.

Catharina Archi-Dux cujus maritus.

Jacobus Marchio Badensis.

Carolus Marchio Badensis.

S. BERNARDUS Marchio.

Nexus III. ex ipsis Austriacis.

Albertus Imperator Austriacus.
|
Gutha Uxor Ludovici IX. Comitis Oettingensis
|
Albertus I. Comes ab Oetting.
|
Fridericus III. Comes ab Oetting.
|
Maria [alijs Margareta] Uxor Rudolphi VII. Marchionis Bad.

Fridericus IV. Marchio Badensis.

Rudolphus VIII. Magnus Marchio Badensis.

Bernardus I. Marchio Badensis.

Jacobus Marchio Badensis.

S. BERNARDUS Marchio Badensis.

Acta Synoptica.

Hening. P. 1. Germ. fol. 240. Laz. de migrat. gent. lib. 8. fol. 513.

BERNARDUS IV. Badensis Marchio, cognomine Divus & Sanctus, Eslingæ primùm habitavit, & fratri Carolo Principatûs gubernationem cessit. Aulam Friderici Imperatoris secutus est juvenis, ubi ei desponsata fuit Magdalena filia Caroli VII. Regis Franciæ; sed dimissâ sponsâ totum se divinis rebus addixit, & Clericum induit, obijtque in monte Pessulano Anno 1458. relatus in album Sanctorum à Sixto Papa IV. ut testatur Henninges. Aliud de eo mihi hactenus non innotuit.

DIE

DIE VII. NOVEMBRIS.

S. ENGELBERTUS EPISCOPUS COLONIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ Iuranæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Sophia Uxor Godefridi I. Ducis Brabantiæ.

Godefridus II. Dux Brabantiæ.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

Seinara Uxor Henrici Geldriæ Comitis.

N. Uxor Engelberti Comitis de Monte.

S. ENGELBERTUS Comes de Monte Archiepiscopus Colonienſis.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo omnes rectâ lineâ Habspurgici usque ad hodiernos Archi-Duces.

Acta Synoptica.

Brunn. in faſtis.

Gualt. de Epiſc. Colon. fol. 1309.

Pet. Merſæ. in Catal. Archie. Colon.

Henſch. 10. 3. Mart. fol. 787.

Stangefo. Circ. Weſtphal. lib. 3. fol. 338.

Cæſar. Heiſterbac.

Surius in vita.

Fr. Haræ. in vita.

Theodor. Rhay in anim. illuſt.

CUnas, vitam, mortem, omnia in ENGELBERTO præclara reperio, & digna Infulà Colonienſi, quam ille, uti & libertatem Eccleſiæ, etiam contra cognatum ſanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Chriſti patrimonia in ſuos effundunt) toto pectore propugnavit, ipſique adeò vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit cauſa Friderico Iſenburgenſi Comiti & Patruo ENGELBERTI, cur ſub annum 1225. immiſſis ſicarijs ex itinere nepotem obtruncaret, parricidio tot ſceleribus, quot vulneribus pleno, quæ quadraginta & ſeptem erant. Nec verò minùs piè quàm fortiter eſt mortuus ENGELBERTUS. Nam ut taceam virginem Matrem ſolenni omnibus diebus Mercurij jejunio cultam, monitus per literas de inſidijs, animum quidem confeſſione purgavit, & lacrymis expiavit: cœterùm ut ne hoſtem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cùm jam parturiret ultimum ſcelus, hoſpitio non ſemel, cum ſuis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit: utque malus genius ex ore alieno palàm fateri coactus eſt, moriens Chriſto, Chriſti verbis pro hoſtibus ſuis ſupplicavit; facultatem ob id nactus mira (quæ innumera ſunt) patrandi. Sub idem ferè tempus Lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio inſignem, ne dubitaret orbis ſideribus novum ſidus additum ENGELBERTUM. Inſigni eum ornat Elogio Merſſæus apud Gualterium. Paſſus eſt die 7. Novemb. Coloniæ in ſummo templo tumulatus pridie S. Martini.

DIE

DIE VIII. NOVEMBRIS.

S. HARTWICUS ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

N. N. N. N.

Fridericus Comes de Sponheim, frater S. Hartwici.

S. HARTWICUS Comes de Sponheim, Archiep. Salisburgenſis.

Engelbertus I. Comes de Sponheim.

Engelhertus II. Comes de Lavant.

Engelbertus III. Comes de Lavant.

S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.

Ulricus Dux Carinthiæ.

Henricus I. Dux Auſtriæ.

Hermannus Dux Carinthiæ cujus Uxor —— Agnes Auſtriaca.

Leopoldus Dux Auſtriæ Victorioſus.

Bernardus Dux Carinthiæ, Uxor Gutta filia Primislai Regis Bohemiæ, cujus nepos Wenceslaus fuit maritus Guthæ Habſpurgicæ filiæ Rudolphi I. Imperatoris.

Leopoldus Glorioſus Dux Auſtriæ.

Henricus Crudelis Dux Auſtriæ.

Gertrudis Uxor Hermanni Badenſis.

Agnes Uxor Meinardi Tyrolenſis.

Eliſahetha hæres, Uxor Alberti I. Imperatoris Habſpurgo-Auſtriaci.

Acta Synoptica.

HARTWICUS è nobiliſſima Sponheimenſium Comitum ortus familia, quam ipſe primus è Franconia in Carinthiam traduxit, per Fridericum germanum fratrem author Comitum Ortenburgicorum, qui pares effecti Principibus, etiam Principes dederunt Carinthiæ, & Iſtriæ ac Crainburgo

Raderus Bava. S. To. 3. f. 117.

Caniſ. To.2. antiq. lection. fol. 330.

burgo noſtro Marchiones. Anno 990. ſexto Idus Novemb. in Cathedram Salisburgenſem evectus, plurà mortuus, quàm vivus mira patravit, quæ S. Eberhardi Sectator curioſiùs deſcripſit. Omnis enim generis morbos à corporibus præſertim puerorum depulit, quòd innocentiſſimis olim ipſe moribus facilè pro innocentibus exoraretur. Vivus, dum hyemante cœlo per aridam iter faceret ſylvam, arreptum manu arentem termitem, ſcipionis vicem geſtavit, cùm ſubitò ille in Virgine ejus dextra, tanquam Aaronis virga cœpit efflorescere, notâ propè certâ incorruptæ ejus integritatis. Nomen loco Plüenbach manſit. Diem obijt Anno 1023. die 8. Novemb. ut Bollandus cenſet, ſequentem verò ſtatuit Raderus. Plura à Bollandi ſocijs exſpectanda.

Hund. in Metrop.

Henning. P. 1. Germ. fol. 246.

Bolland. To. 1. Feb. fol. 694.

Catal. Epiſc. Salis.

Eâdem

Eâdem DIE VIII. NOVEMBRIS.

S. GREGORIUS ABBAS EINSIDLENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus M. Imperator.
Ludovicus Pius Imperator.
Carolus Calvus Imperator.
Judith Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandriæ.
Elfleda Flandra, cujus maritus ab ejus fratre Arnulpho cæteri Flandriæ Comites usque ad Maximilianum I. Imperatorem.

S. GREGORIUS Abbas Einſidl.

Edelphus Rex Angliæ.
Aluredus Rex Angliæ.
Eduardus ſenior Rex Angliæ.
Elſtradis Uxor Balduini CalviCom. Flandriæ.
Edmundus Rex Angliæ.
Edgitha Uxor Ottonis I. Imperator.
Edgarus Pacificus Rex Angliæ.
S. Eduardus Rex Martyr.

Acta Synoptica.

POſt B. Diethlandum, cujus etiam in hoc opere meminimus, Abbas Einſidlenſis Cœnobij communibus calculis electus fuit, *& ſuffectus Occidenti Oriens Sol* S. GREGORIUS *Eduardi I. Angliæ Regis filius, Adelſtani, Edmundi, & Eldredi Regum, nec non Edithæ Auguſtæ germanus frater.* ut ait Bucelinus. Fuit vir ſanctiſſimus, cultor Deiparæ ſingularis, Angelorum Reginæ ſingulari electione ad Eremum Helvetiæ deductus. Cùm enim Romam peregrinus adijſſet, in monte Cœlio, cœleſti voce tertiùm totidem noctibus admonitus, ut in Eremum Helvetiæ Deo & Deiparæ ſerviturus concederet. Fuit multorum Sanctorum educator, & parens feliciſſimus, inter quos S. Wolffgangus, ab ipſo miſſus in Ungariam, in qua ſupra quinque millia Hungarorum ſacris undis fertur abluiſſe. Deceſſit 6. Id. Novemb. Anno 996. quem Monachi prope aram S. Mauritij loci Tutelaris condidêre, multis deinceps miraculis illuſtratum.

Nec plura de illo hactenus. Sancti titulo honoratur à Bucelino.

Bucelin. Conſt. Chron. ad an. 996. in Menol. Indice. & Chronol. Maria. ad an. 950. & 970.

DIE IX. NOVEMBRIS.

B. ALBERO ABBAS DUNENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij, Ducis Lotharingiæ Moſellanæ.

Theodoricus Dux Lotharingiæ ſuper. & Alſatiæ, Uxor Gertrudis filia Roberti Phriſij Comitis Flandriæ.

B. ALBERO Abbas Dunenſis, nepos Theodorici: incertum an ex filio, an ex fratre, an ex ſorore.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo omnes rectâ lineâ Habſpurgici usque ad hodiernos Archi-Duces.

Gerardus Alſatius Com. Vaudemontanus.

Acta Synoptica.

Chryſoſt. Henriq. To. 2. SS. Ord. Adrian. Batz. Bucelin. Menol. ad 9. Nov.

QUem à majoribus acceperat ſanguinem ALBERO, auxit ſplendore virtutum. Præ terrenis delitijs vitam humilem, & pauperem elegit, ut viam ad patriam cœleſtem ſecurior carperet. In Dunenſi Cœnobio Ordinis Ciſtertienſis Monachum profeſſus Abbatem egit biennio, ſed perpoſus terrenas curas, quæ hujusmodi munia comitantur, reſignato liberè honore vitæ reliquum in Claravalle transegit, & ſanctè obijt: Beati titulo commendatus à Bucelino.

DIE

DIE X. NOVEMBRIS.

S. WOLO ASCETA ad S. GALLUM.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Hartmannus Comes à Dillingen & Werdeá.

S. WOLO Asceta ad S. Gallum.

Hugobaldus Comes à Dillingen.

S. Adalbero Episcopus Augustanus.

Hartmannus II. Comes de Dillingen.

S. Udalricus Episcopus Augustanus.

Manegoldus Comes Kiburgicus.

Manegoldus II. Comes Kiburgicus.

Ulricus Comes Kiburgicus.

Hartmannus III. Comes Kiburgicus.

Ulricus II. Comes Kiburgicus.

Wernerus Comes Kiburgicus, Uxor Anna soror Bertholdi Habspurgici Ducis Zäringiæ.

Hartmannus IV. Comes Kiburgicus.

Elisabetha Uxor Eberhardi Comitis Habspurgici.

Hedwidis Uxor Alberti Sapientis Com. Habspurgici.

Rudolphus I. Imperator Habspurgicus.

Alium nexum vide in S. Udalrico 4. Julij.

Acta Synoptica.

AUthor Appendicis ad Chronicon Constantiense in Catalogo Sanctorum Constantiæ, numerat etiam WOLONEM Comitem de Kiburg, Monachum S. Galli in Helvetia. Bucelinus in sua Constantia Rhenana hæc de illo habet: Anno 877. WOLO Kiburgi, Dillingæ, & Wittislingæ Comes Hartmanni ex sorore S. Notgeri filius, Hugobaldi frater Germanus, incomparabili ingenio juvenis, S. Galli Monachus, ex scalis lapsus cervicem fregit, magno dolore avunculi sanctissimi, in cujus amplexibus SS. Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam supremam efflavit, ad aram SS. Virginum, optimo usus sponsore tanto cognato, qui sic morientem commendavit: *Sanctæ Virgines, in vobis confisus, Fratris istius crimina super me tollo, & ambo nos vobis committo.* Nec aliud adhuc de eo legi. Auth. Append. ad Chron. Const. ap. Pistor. fol. 721.

DIE XI. NOVEMBRIS.

S. ÆLFLEDA REGINA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator:

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Alfredus Rex Angliæ.

Ludovicus Balbus Rex.

Eduardus Rex Angliæ.

S. ÆLFLEDA Regina.

Darolus Simplex Rex. Uxor — Edgina.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti I. Com. Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo omnes cæteri rectâ lineâ ad hodiernos Austriæ Archi-Duces.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 11. Nov. Matth. Westmonaster. Nic. Harpsfeld. Edu. Meyhev.

ALfredi Anglorum Regis filia ÆLFLEDA, nupta fuit Ethelredo Regi Merciorum, & eo defuncto, cùm summum dignitatis locum inter Principes fœminas retinere posset, infimum inter ancillas Christi ambivit. Monasterium ergo Glasconiense ingressa, velo sacro illustrior, quàm purpurâ eluxit, & rarâ vitæ sanctitate omnem terrenorum Regum Majestatem transgressa, eo ipso nomine Æthelstano Regi, ejúsque nepoti summo in pretio & honore fuit. Qui Rex, cùm ad ipsam frequentiùs, ut sacris ejus & suavibus frueretur alloquijs, inviseret; deficiente semel vino, eóque meritis dignissimæ Principis prodigiosè aucto, jucundissimi miraculi & spectator & testis fuit. Floruit Anno 930.

DIE

DE XII. NOVEMBRIS.

B. GEBHARDUS III. EPISCOPUS CONSTANTIENSIS HABSPURGICUS.

GENEALOGIA.

Betzo, seu Landolus, seu Lancelinus Comes Habspurgicus.

Landolus II. Comes Habspurgicus.	Radepoto Comes Habspurgicus. Uxor Itha Lotharingica, à quo omnes Habspurgici ad hodiernos Archi-Duces Austriæ, rectâ lineâ.
Bertholdus I. Barbatus Comes Habspurgicus, conditor Zäringiæ.	
Bertholdus II. Dux Zäringiæ.	B. GEBHARDUS Episcopus Constantiensis.

Acta Synoptica.

INter Episcopos Constantienses tres fuerunt GEBHARDI, quorum primus, teste Bucelino, ex Habspurgensium Comitum sanguine oriundus, idémque illustrissimus Christi Martyr Anno 885. die 27. Augusti à Normannis occisus est. Alter verò fuit S. Gebhardus Brigantinus, Habspurgicis sanguine junctus, de quo nos egimus ad dictam diem 27. Augusti. Tertius est hic, de quo nunc agimus, omnium consensu scriptorum Habspurgo-Zäringicus; qui primùm Monasticam vitam amplexus in Cœnobio Hirschaugiensi, magnam sibi virtutis famam conciliavit. Erant ea tempora Germaniæ luctuosa propter schisma tam Ecclesiæ, quàm Imperij, dum Henrico Imperatore deposito, Pontificis nutu electus erat Rudolphus Comes Rhynfeldensis, & Henricus Imperator excommunicatus contrà Gregorium Papam intruserat Guibertum, sub appellatione Clementis III. Anti-Papam, qui etiam contra Victorem & Urbanum II. sedit. Missi erant Anno millesimo octuagesimo quinto duo Legati in Germaniam à Gregorio Papa, Udalricus Albanensis, & Otto Ostiensis Episcopi, quorum Otto Constantiam veniens turbatam reperit Diœcesim; cùm post decessum Ottonis Episcopi dicti de Gotzlar in excommunicatione mortui, duo electi fuissent: ideóque repudiato, ex consilio proborum virorum de alio subrogando deliberavit. Opportunè accidit, quòd tunc etiam Venerabilis Hirschaugiensis Abbas Wilhelmus adesset, secúmque haberet GEBHARDUM Zäringensem virum devotissimum. Dum ergo Prælati cum Legato consultant de creando novo Antistite Constantiensis Ecclesiæ: *Tandem Spiritus sancti instinctu dictus* GEBHARDUS *unanimi est electus voto. Quod cùm sibi apud altare B. MARIÆ Virginis oranti insinuaretur, ipse in tantum obstupefactus est, ut in terram cadens tanquam mortuus amplius penitùs nesciret loqui, sed divinâ assistente gratiâ resuscitatus decimâ tertiâ mensis Decembris Sacerdos, & immediatè subsequenti die Episcopus ordinatur.* Eluxerunt illicò in eo omnia boni Præsulis ornamenta, & præsertim observantia in Sedem Apostolicam. Nam inter quinque solos tunc Catholicos Germaniæ Episcopos, ipse primum locum obtinuit, & à Romano Pontifice Legatus per Germaniam designatus,

Piespord. in Tab. Chronic. Constant. f. 666. ap. Pistorium Henning. P. 1. Germ. f. 285. Guillim. Habspurg. lib. 5. cap. 2. & 3. Laz. Geneal. Austriac. lib. 1. cap. 9. Bucelin P. 1. Germ. de Episc. & Monast. & in Constât. Rhen. Chronol. f. 120. &c.

ſignatus, multa præclarè egit, multa etiam perpeſſus eſt, quæ inter annorum ferè duodecim exilium, patientiſſimè toleravit. Reſtitutus ab Henrico V. Imperatore, vivere deſijt Anno 1110. die 12. Novembris. Ejus hortatu Bertholdus frater Zäringius duo Monaſteria condidit; alterum S. Petri in Hercynia Sylva ſupra Friburgum Brisgoviæ, ubi etiam ſepultus eſt: alterum in Marchtall ad fontes Danubij, quod exilij ſui tempore GEBHARDUS reſtauravit & conſecravit, ibíque moriens tumulari voluit. Inſigne antiſtitis exemplar, quod alij reſpiciant & venerentur: dignus Conſtantiæ Cathedrâ ob egregiam animi conſtantiam in adverſis, quam nec minæ Cæſaris concutere, nec favores labefactare, nec exilium & perſecutio evertere potuerunt. Ob vitæ continentiam Sanctorum numero adſcriptus eſt, ut habent Henninges, Pieſpordius, Lazius, Bucelinus. Ab Urbano Papa II. in Epiſtola ad illum data, inſigni elogio decoratur: *Quia Te ſpeciale poſt Deum manuum noſtrarum opus perpendimus, & quia ſpecialem in Te Religionis gratiam eſſe cognoſcimus &c.* Plura in ejus laudem congerit Bucelinus in ſua Conſtantia, ubi eum perpetuo Beati titulo honorat.

DIE

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. ELEUTHERIUS EPISCOPUS TUNGRENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani.

Arnoldus Buggiſus Dux Moſellanus.

S. Arnulphus Dux Moſellanus.

S. Clodulphus Dux Moſellanus.	B. Anſegiſus Dux Brabantiæ.
Martinus Dux Moſellanus.	Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.
S. ELEUTHERIUS Dux Moſellanus, dein Epiſcopus Tungenſis.	Carolus Martellus Dux Brabantiæ, avus Caroli Magni, à quo Carolingi & dein Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Vit ELEUTHERIUS vel EUCHARIUS filius Martini Ducis Moſellani ſenior, qui cùm ſine liberis viveret in conjugio, fratri Lamberto ditionem obtulit, & reliquam ſubſtantiam inter pauperes pia liberalitate diſtribuit, Anno 715. ut habet Heninges, poſteà in eremum concedens, in qua ſanctè vixit. Demum evocatus ad Tungrenſem Infulam, tanquam illuſtre ſydus in Eccleſiæ cœlo reſplenduit, plenásque bonorum operum meritis migravit ad Dominum. Annus & dies obitûs incertus eſt. Hunc illi aſſignare interim placuit. Henning. P. 1. Germ. fol. 64. Texera fol. 51. Exegeſ.

Eâdem

Eâdem DIE XIII. NOVEMBRIS.

B. AGNES PRINCEPS BAVARIÆ V.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

|

Ludovicus IV. Dux Bavariæ Imperator.

|

B. AGNES Princeps Bavariæ Virgo.

Acta Synoptica.

AGNES Ludovico IV. Imperatore, & Margarethâ Auguſtâ nata poſt Chriſti ortum milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quinto, bienRaderus To. 2. Bav. S. f. 334. Arēbeck. in Annal. Hund. de Monaſt. MS. Inſtr. Cœnob. S. Jacobi Monac. nio ante mortem patris, alteróque poſt mortem ejusdem Anno, quadrimula in ſinum Chriſti delata eſt, apud Religioſas Virgines D. Claræ Monachij initiata, ipſo Natali B. Virginis, ut in ſacrario innocentiæ inter ſacras Virgines adoleſceret. Ægrè hoc tulerunt Provinciæ Proceres, cupiebántque etiam abnuente Principe Regiam Virginem ad diſciplinam Politicam efformare, qui mos eſt hodiéque non paucorum, cùm cernunt eos, quos fortuna vel claris naturæ ornamentis excoluit, vel formâ rarâ donavit, opibúsque magnis auxit, vel majorum imaginibus illuſtravit, vel ingenijs felicioribus nobilitavit, ad religionis portum ex hujus pelagi tempeſtatibus appellere, eos utomni ope & opera præpediant, moliuntur. Contrà lippos, claudos, ſurdos, bardos, aliáque monſtra hominum clauſtris includenda; quod excellit, Reipublicæ (hoc nomen improbæ ſuæ menti prætexunt) reſervandum jactant. Virgo cum aliis novem cœnobium ingreſſa, in eóque triennio, vel ut alij volunt annis quatuordecim commorata, cùm id agi videret, ut per vim ab ſacrario & Virginum contubernio abſtraheretur, aris ſe admoveri petijt, ubi complexa utroque brachio ſacrum Chriſti tabernaculum, in quo SS. Euchariſtia cuſtodiebatur: *Chriſte ſancte*, inquit, *noli permittere, ut unquam abs te avellar.* Audivit piam ſupplicantis vocem Deus, & ne ſibi eripi poſſet, eam è vita mortali eripuit, cùm repentè peſtilentia ſigna quinque in Virginis corpuſculo apparuerunt, quibus intra paucos dies extincta eſt, ut in omnem æternitatem apud ſponſum in cœleſti thalamo velut accenſum inter aſtra ſidus reluceret. Cives non ante fidem rei adhibuerunt, quàm mortua nuntiaretur. Deceſſit ipſis Martinalibus poſt Virginis partum 1352. Arenbeckhius verò Anno 1339. conſecratam narrat, & 1352. defunctam. Idem Hundius ſentit. Mavult Raderus habere fidem MSS. Cœnobij documentis, qui etiam Beatam appellat.

DIE

DIE XIV. NOVEMBRIS.

B. THEODORICUS EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Henningis.

Ehrentrudis Habſpurgica filia Luitfridi Comitis, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ Jurenſis.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ Jurenſis.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

Luitgardis Uxor Odonis Ducis Moſellani.

B. THEODORICUS Epiſcopus Metenſis.

Nexus II. ex Carolingis, ſecundùm alios.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgardis Uxor Ottonis M. Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Imperator.

Luitgardis Uxor Odonis Ducis Moſellani.

B. THEODORICUS Epiſcopus Metenſis.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti Namurcenſis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij.

Itha Uxor Radepotonis Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Bucelin. To. 1. Germ. de Epiſc. f. 36. Henſch. To. 1. Apr. fol. 3.

VItam laudabilem THEODORICI ab alijs exſpectamus. Nobis de eo nondum aliud compertum eſt, quàm quòd electus fuerit ad Metenſis Eccleſiæ clavum regendum Anno 964. & obierit Anno 984. relatus inter Beatos à Witſordo in Martyrologio Anglicano, ad diem 1. Aprilis, & à pluribus alijs ad diem 18. Julij, uti atteſtatur Henſchenius, qui eum vocat cognatum Imperatoris Ottonis. Nos hoc loco eum repoſuimus.

DIE

Eâdem DIE XIV. NOVEMBRIS.

VEN. ELISABETHA MARCHIONISSA JULIACENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habspurg.

Mechtildis Uxor Ludovici Severi Ducis Bavariæ.

Theodoricus VII. Comes Cliviæ.

Ludovicus IV. Imperator Bavarus. — Gerardus III. Com. Juliac. Uxor — Elisabetha.

Theodoricus VIII. Com. Cliviæ.

Albertus Dux Bavariæ.

Gerardus IV. Comes Juliacensis.

Theodoricus IX. Comes Cliviæ. Uxor Margareta filia Alberti I. Imperatoris Habspurg.

Catharina, cujus Maritus — Wilhelmus IV. Marchio primus & primus Dux Juliacensis.

Venerabilis ELISABETHA Marchionissa Juliacensis, fortè filia Wilhelmi IV.

Acta Synoptica.

GEnerosissimo mundi contemptu triumphans ELISABETHA Juliacensis (quam Comitissam appellat Rhay, sed Bucelinus Marchionissam) Regum Regis amorem meruit, cœlites insuper familiares, sæpè sæpiùs in oculis habuit, gentis suæ splendorem virtutibus illustrans. In Cœnobio Burvenich Cistertiensis familiæ sacro velo susceptо, Abbatiali demum honore fuit insignita, & plena meritis migravit ad Dominum. Cujus filia vel fortè conjunx fuerit, divinare non possum, cùm neque Bucelinus neque Rhay annum quo vixerit, expresserint. Beatam nuncupat suo more Bucelinus, Venerabilem Theodorus Rhay.

Bucelin. Menol. ad diem 14. Nov.

Rhay in Animab. Illustr. Cliviæ &c. ad eand. diem

Chrysost. van der Sterre.

Henriq. To. 2. SS. Ord.

Gelen. in Fastis.

DIE XV. NOVEMBRIS.

S. LEOPOLDUS MARCHIO AUSTRIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Pieſpordij.

Betzo Comes Habſpurgicus.

Theodoricus Comes Rhynfeldæ.

Chuno Comes Rhynfeldæ.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.

Mechtildis Uxor Erneſti Strenui Marchionis Auſtriæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.

S. LEOPOLDUS Marchio Auſtriæ.

Radepoto Comes Habſpurgicus, à quo cæteri omnes rectâ lineâ.

Nexus II. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Imperator

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Giſela Uxor Conradi II. Imperatoris.

Henri-

Henricus III. Imperator.
|
Itha Uxor Leopoldi II. Pulchri Marchionis Auſtriæ.
|
S. LEOPOLDUS Pius Marchio Auſtriæ.

Nexus III. Per deſcendentes.

S. LEOPOLDUS Pius Marchio.
|
Henricus Dux I. Auſtriæ.
|
Leopoldus Victorioſus Marchio Auſtriæ.
|
Henricus Medlingenſis Marchio Auſtriæ.
|
Leopoldus Glorioſus, Marchio Auſtriæ.
|
Gertrudis Uxor Hermanni Marchionis Badenſis.
|
Agnes Uxor Meinardi Comitis Tyrolenſis.
|
Eliſabetha Uxor Alberti I. Imperatoris Habſpurgici, à quo cœteri ad hodiernos Archi-Duces.

Acta Synoptica.

NUllus anni dies careret novo LEOPOLDI Elogio, ſi omnia, quæ hactenus illi ſcripta ſunt, Elogia colligerentur. Dedimus & nos alibi plenius, nunc ſynopticum mutuato calamo apponimus. Cognomentum LEOPOLDE adeptus es Pij: ſi magnum dixiſſet fama, dixiſſet minus. Ne te illaquearet aurum, templorum laquearia deauraſti, non aulæ. Devoviſti aurum pietati, ferrum impijs; penè totus occupatus in excitandis delubris. Oſtendiſti has eſſe arces & propugnacula urbium. Conjugis tuæ peplum è vento in ſylvam raptum, dedit auſpicium loco fabricandi templi. Docuiſti ſcilicet templum eſſe pudoris Regiam; coram cœlitibus obnubendum caput. Excubare LEONES ſolent ad delubra, ſed ficti. Excubaſti tu LEOPOLDE, verè ad pietatem factus: illi marmorei, tu colliqueſcens in lacrymis. Militarunt in hoſtes non minùs oculi, quàm manus. Fuiſti numeroſa prole Principum felix; ut diſceres eſſe plurium miſerorum parens. Conjugem habuiſti Cæſaris Henrici filiam, fauſto omine inferendæ in Auſtriam purpuræ.

Maſc. in Encom. ad 15. Nov.

N. Camp. Lilio. & Marte Auſtriac.

Franc. Haræ. in vita.

Habent Imperatorum Aquilæ, quem intueantur ſolem. Illuſtrior fuiſti prodigijs mortuus, ne ſubijſſe videreris occaſum Marchio Orientalis. Jactet ſe Roma quòd cœlites acceperit, Cæſares dederit: at Auſtria dedit utrosque. Dedit inter Cæſares quindecim unum LEOPOLDUM; tu Dive nunc effice, ut det poſthac alios Cæſares quindecim LEOPOLDOS. Voto hoc ut potiamur, tuo exemplo Virginem Dei matrem tuis verbis compellabimus: *Virgo Mater Natum ora ut nos juvet, omni hora.* Audimur! dum hæc ſcribimus 1678. die 29. Julij, nova gaudia nuntiantur: natum LEOPOLDO diu optatum Principem die 25. Julij JOSEPHUM JACOBUM IGNATIUM EUSTACHIUM.

Magni cœlites diu ſervate, quem diu concedere
diſtuliſtis.

DIE

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. MARGARETA SPONHEIMENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſangùine juncta.

GENEALOGIA.

Quomodo jungantur Habſpurgo-Auſtriaci Sponheimenſibus, oſtenſum eſt in S. Hartvvico Archiepiſcopo Salisburgenſi die 8. Novemb. nexus verò B. Margaretæ cum illis, defectu ſcriptorum nos latet, quia licet Sponheimenſes Francones & Carinthi fuerint ejusdem ſtirpis, nondum tamen inveſtigare licuit, quomodo inter ſe connectantur. Interim ex Trithemio fragmentum apponimus.

Craffto Comes Sponheimenſis circa Annum 1100.

Meginhardus Comes Sponheimenſis. — B. Juttha Sponheimenſis Sanctimonialis.

Meginhardus II. Comes Sponheimenſis. — B. Hiltrudis Monialis. — Craffto II. Comes ex ſponſo Monachus. Anno 1149.

B. Ida Sponheimenſis Monialis. — S. MARGARETA Sponheimenſis Monialis.

Acta Synoptica.

IN Cœnobio Montis S. Ruperti apud Bingen duæ ſorores ſanctimoniales fuerunt piæ converſationis, & altera quidem MARGARETA cultum Eccleſiaſticum promeruit, de qua hæc Trithemius: MARGARETA *Virgo ſanctiſſimæ converſationis, quæ Prioriſſæ officium multis annis in eodem Monaſterio* (Bingenſi) *ſtrenuè geſſit, & miraculis clara tandem migravit ad Dominum, cujus dies commemorationis feſtus* 4. *Calend. Novemb. quando tranſivit è vita, peragitur.* Bucelinus eadem habet, ſed alijs verbis, quæ non repetimus. Claruit Anno 1190.

Jo. Trithem. in Chronic. Hirſchaug. fol. 207. Bucelin. ad 29. Octob. in Menolog.

DIE

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. HILTRUDIS SPONHEIMENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Hanc vide præcedenti die in S. Margarita ejus nepte, ex ijs quæ tradit Trithemius.

Acta Synoptica.

Jo. Trith. in Chron. Hirſchaug. fol. 204. & 174. Bucelin. Menol. ad diem 17. Nov.

SUb magiſterio S. Hildegardis in monte S. Ruperti ad Bingen, quod Monaſterium auxilio aliorum fidelium Meginhardus Comes de Sponheim condiderat, filia ejus ſpecioſiſſima HILTRUDIS adolevit, cùm jam antè ſub diſciplina amitæ ſuæ S. Jutthæ in monte Diſybodi velo ſacro ſuſcepto amore cœleſtis regni, latum in terra dominium reſpuiſſet. Ad eum verò perfectionis gradum provecta eſt, ut S. *Hildegardis magiſtra ejus teſtimonium ſanctitatis & in vita & poſt obitum ei perhibuerit.* Natalem ejus Trithemius conſignavit his verbis. *Anno Dominicæ Nativitatis* 1177. *apud Bingos, in Monaſterio S. Ruperti* 15. *Calend. Decembris obijt* S. HILTRUDIS *virgo Monialis noſtris Ordinis, filia Meginhardi Comitis de Sponheim, & ſoror Domini Crafftonis ſecundi Abbatis Monaſterij mei Sponheimenſis.*

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

B. SALOMEA REGINA RUSSIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Andreas II. Rex Hungariæ.

Stephanus Poſthumus.	Bela IV. Rex Hungariæ.	Colomannus Rex Hungariæ, Uxor B SALOMEA REGINA RUSSIÆ Halicienſis.
Andreas III. Rex Hungariæ. Uxor Agnes Auſtriaca filia Alberti I. Imperatoris.	B. Margarita Monialis.	

Acta Synoptica.

EXempla Pulcheriæ & Chunegundis Auguſtarum non uni conjugatæ profuerunt, ut earum imitatione thorum cum maritis virgineum conſervarent. Talis & SALOMEA nata Rege Ruſſiæ Halicienſi, nupta Colomanno Regi Hungariæ, cujus ex fratre nepos Andreas gener fuit Alberti I. Imperatoris Auſtriaci. De ea pauciſſimis verbis id inſinuat Bollandus: *Patruo B. Margaritæ Colomanno nupta fuit* B. SALOMEA *Haliciæ in Ruſſia Regina, quæ cum eo pari conſenſu Virginitatem ſervavit: uti & B. Chunegundis ſive Kinga Margaritæ ſoror cum Boleslao Pudico Poloniæ, ejusdem* SALOMEÆ *fratre.* Bolland. To. 2. Jan. fol. 897.

Dies ei natalis eſt 17. Novembris: nos verò una die poſtponimus.

DE XIX. NOVEMBRIS.

S. ELISABETHA VIDUA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus. — Andreas II. Rex Hungariæ. Uxor Gertrudis Andecenſis filia Bertholdi IV.

Albertus I. Imperator Habſpurgicus. — Stephanus Poſthumus. — S. ELISABETHA Landgravia Thuringiæ Vidua.

Agnes Habſpurgo-Auſtriaca, cujus maritus —— Andreas Rex Hungariæ.

Alios nexus vide in B. Ludovico Landgravio marito die 11. *Septemb.*

Acta Synoptica.

Jo. Bapt. Maſc. in Encom. Andr. Brunn. in Faſtis. Jacob. Monta. ap. Sur. To. 6. D. Anton. P. 3. tit. 19. cap. 11. Pet. de Natal. lib. 10. c. 79. Albert. Crantz. Saxon. lib. 7. c. 14. Marc. Olyſſipon. Chron. min. lib. 9. c. 10. Trithem. in Chron. Hirſchaug. Conrad. Marburg. Sifrid. Mogunt. Remund. Abb. Eberpacen. Anton. Bonf. hiſt. Hung. Chron. Andecen.

Nihil orbis vidit ornatius, quàm ELISABERTHAM ortam ex Rege Pannoniæ, ut pauperes indueret ſponte pannoſam. Tractavit manu lanam & colum, magnificentiùs longè, quàm ſceptrum: Regina pro inope ſe operariam fecit. Sed nunquam eſt apparatior viſa, quàm cùm Regiâ carens palla legatos excepit exteros. Admiratos ferunt prodigioſam unionum pompam: ſcilicet margaritas ceſſerant pauperum lacrymæ. Eadem contractam ægri ſanavit manum, quæ nunquam inopi contraxerat ſuam. Delubra, nonniſi abjectâ coronâ ad fores, intravit. Sophiam morum magiſtram hoc genus demiſſionis prohibentem, increpuit; & docuit Sophiam ſapientius Philoſophari. Infenſa choreis, uno tantum orbe circumducto abibat, ne extimeſcere videretur Fortunæ rotam. Mulier cùm eſſet, hoc eſt fragile, & vitreum genus, infractum à caſa & adamantinum reddidit vitrum. Elephantiacos ore oſculabatur eburneo: genas quas ægris admoverat pallidis, habuit ſæpè mira luce purpureas. Cùm omnem penè ſubſtantiam abſumeret in alimenta pauperum, delata apud maritum ceu prodiga, nomen meruit prodigioſæ. Vocata ad publicum convivium, cùm in gradibus, per quos ad triclinium deſcendendum erat, jacenti & clamanti pauperi quod daret, ad manum non eſſet, Regiam pallam obtulit, ad ſuum regreſſa conclave. Præſtolantibus verò convivis Dapifer nuntiat, Dominam cum mendicabulo occupatam, veſte illi porrectâ carere. Accurrit maritus, rogat ubi pallium ſit quo tegatur? En ait illa ſuſpenſum è pertica, ſeque mox affuturam pollicetur. Attonito interim admiratione Principe, ab ipſo Chriſto acceptam, redditámque veſtem. Et quid aliud ageret, quæ ad Servatoris ſui è cruce pendentis effigiem procidua hæc ſecum multoties meditabatur? *Nimirum me terræ pulviſculum purpuræ involvi: tu mi Chriſte, heu! nudus meam erubeſcis vicem. Mihi corona auro & gemmis, tibi ſpinis & ſentibus riget. Ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumſpicis, nec eheu! invenis. Me aulæ ſervitia vallant, te ſoli hoſtes ſtipant. I, purpura; rectiùs ſanguis me Sponſi pinget. Ite gemmæ, nobiliores ſub Cruce legam. Abi gravis auro corona, roſas è ſpinis nectam. Tollite pulvillos; Crux ſponſæ erit lectulus. Secedito amico-*

amicorum cohors, dolores me rectiùs ambient. Hæc tantum apud ELISABETHAM potuêre, ut ſacro Paraſceves die imperaret domeſticis, nullum ſibi exhiberi honoris ſignum, nullum genu flecti, à nullo dominam appellari. Conjuge è vivis erepto, ab affine injuriosè tractata, ædibus ejecta, injurias ipsámque famem forti animo concoxit, damnatísque Regijs fuſis, pulchriora ſibi ipſa è cœlo nevit. Interea apud DEUM omnia potuit, & matrem exemit è piacularibus flammis, & juvenem nuper ab impuris ignibus ardentem, ſanctioribus cœli amoribus inflammatum tantùm non emori fecit. Morienti, ut ſæpè aliàs Chriſtus adſtitit, accinuêre cœlites aviculas induti. Bonis igitur avibus è vita abijt, Anno Virginei partûs 1231. cùm Anno 1207. nata, Anno 1210. deſponſata, Anno 1221. nupta, Anno 1227. marito viduata fuiſſet, atque adeò nonniſi viginti quatuor annos vitæ exegiſſet, tanta interim Thaumaturga, quam nulli ſcriptorum Calami ſatis valent deprædicare. Octo libris conſcriptam vitam, in octo folijs contraxit Raderus, brevius alij, nos quàm breviſſimè, & verbis Juſti Lipſij addimus: *Imperator coronâ aureâ te decoravit, alij donis alijs, ego Te Diva breviter laudibus, precibúsque.*

Salve & fave.

Theodor. Thuring.

Henric. Caniſ. To. 5. ant. lect.

Juſtus Lipſius de B. V. Hallenſi

Matth. Rader. Bavar. To. 1. fol. 137.

Franciſc. Haræ. in vita.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. ISICHIUS EPISCOPUS VIENNENSIS IN GALLIA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fl. Avitus Imperator, abdicavit Anno 456.
& ordinatus eſt Placentiæ Epiſcopus.

N. filia nupta Tonantio Ferreolo, Præfecto Prætorij.	S. ISICHIUS Senator, qui poſt ſuſceptas proles factus eſt Epiſcopus Viennenſis.	Papianilla Uxor S. Sidonij Apollinaris.
N. . . . Uxor N. . . .	S. Apollinaris Epiſcopus Valentiæ ad Rhodanum.	S. Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis.
Ansbertus Senator, cujus Uxor Blithildis filia Clotharij Magni Regis Francorum, à quibus Moſellani, Carolingi, & Habſpurgici ortum habent.		

Acta Synoptica.

Ado Vien. Chron. æta. 6.

Martyro. Vienn. MS.

Greven. in Auctar. Molani

Sauſſay. in Martyrol.

Joan. de Livre. in Antiquit. Viennen. hiſt. Sammartha. To. 1. Gall. Chriſt.

Bouchett. de Orig. Reg. Franc. P. 1. c. 2.

Henſch. To. 2. Mart. die 16. f. 446. &c.

ISICHIUS Aviti Imperatoris filius vir Senatorius, ut eum appellat Ado, poſt ſuſceptas è legitimo matrimonio proles, ut ea ferebat ætas, Epiſcopus Viennenſis ordinatus eſt, quo in munere eum ſe geſſit, quem talis requirit dignitas, ut eadem Cathedra, quod poſterioribus temporibus Canones vetuerunt, ſucceſſorem habere mereretur Alcimum Avitum filium. Ordinationis ejus diem 16. Martij ſacrum eſſe teſtatur Sauſſayus, qui idem natalem ejus ſtatuit 12. Novembris. Claruit circa annum 490. In Martyrologio Eccleſiæ Viennenſis hoc donatur elogio: *Natale* S. ISICHII, *Magni, primi hujus nominis Confeſſoris & decimi octavi Archiepiſcopi Viennenſis, qui temporibus Leonis & Zenonis Imp. ex Senatore Lugdunenſi aſſumptus ad Epiſcopalem dignitatem, ob ejus ſingularem doctrinam & fidei integritatem, magnum ſuæ ſanctitatis ſpecimen toti Eccleſiæ exhibuit: atque ambos filios Avitum & Apollinarem quos junctus matrimonio genuerat, Eccleſiæ ſuæ Viennenſi ſibi ſuperſtitem, ſcilicet Avitum, & Valentiæ Apollinarem, velut duo micantia ſidera reliquit. Hic Eccleſiam Beati Protomartyris Stephani apud Viennam à S. Severo Presbytero conſtructam ſolenniter dedicavit, atque clarus miraculis obdormiens in Eccleſia Apoſtolorum conditus eſt. Cujus reliquias annua hac die viſitantibus Innocentius IV. Summus Pontifex Indulgentias* 140. *dierum piè conceſſit.* In alio Martyrologio natalis ejus ponitur die 17. Martij. Obſervat verò Henſchenius diem 12. Novembris ſacram eſſe S. ISYCHIO II. ejusdem urbis Epiſcopo, qui ſub Juſtiniano Imperatore floruit, & S. Pantagato ſucceſſit. Nos eum hac die vacante repoſuimus, quia non Martyrologium, ſed Annum Sanctum ſcribimus.

Eâdem

Eâdem DIE XX. NOVEMBRIS.

S. EDMUNDUS REX ANGLIÆ MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Ortum habuit ex proſapia S. Annæ Regis, poſtremus Anglorum Orientalium Rex, cujus Genealogicam ſeriem hactenus inveſtigare non licuit: ſuffecerit nexus cum Carolingis & Habſpurgicis, Annæ Regis.

Clotharius Magnus Rex.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & dein Habſpurgici.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

S. Annas Rex Anglorum Orientalium. Uxor S. Hereswida.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.

S. Sexburga, cujus maritus ——— Ercombertus Rex Cantiorum.

S. EDMUNDUS ex proſapia S. Annæ Regis, ultimus Rex Anglorum Orientalium.

Acta Synoptica.

Nihil mollius EDMUNDO Rege ad pietatem Religio habuit; nihil fortius pietas pro Religione. Sceptrum illi contra vitiorum monſtra pro clava fuit. Tunc ſe Regem putavit, cùm ſuo rubuit cruore. Habuit Britannia meliorem, quàm Græcia Codrum Regem, qui pro ſuis ſe ſponte devovit. A Danico Tyranno affixus arbori, confoſſus eſt telis: reliquit arborem poſteris cruentam, ut inde deſumerent virgas Regias, propagatas exemplo pietatis. Purpureum caput projectum eſt inter vepres; novus Britannicis vepribus acceſſit decor in roſa, in cujus purpura nihil ſe jactaret Venus. Ferrea telorum ſeges, quibus eſt confoſſus, ceſſit in auream religionis meſſem. Abjectum corpus, futurum feris pabulum, præclarus cuſtos lupus tutatus eſt: quin & funus mœſto ululatu proſecutus fertur. Nempe Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem tranſiſſe diceres. Abditum inter dumos

Jo. Bapt. Maſc. in Encom. Andr. Brunn. in Faſt. Sur. in vita. Georg. Lib. in Regib. Britan. Gualter. fol. 328.

mos ſancti caput, prodigiosè ſuâ ſe voce prodidit. Non poteſt ſcilicet latere virtus, & jam olim clamare aſſuevit humo defoſſus cruor. Sed EDMUNDI cruor index ſui maluit eſſe, quàm vindex. Nulla poſt necem veſtigia inventa ſunt vulnerum: integris ſe viribus oſtendit, ut pugnaret pro ſuis, ex ipſo tumulo progreſſurus in campum. Quinimò ungues crevêre mortuo, nempe ijs lacerare parato Religionis hoſtes. Barbæ & capitis pilos ſuccreſcentes in tumulo quotannis detonſos eſſe memorant. Et dubitabimus virtutem etiam poſt mortem vivere? Felix olim Anglia, cùm talibus roſis purpuraſceret, nunc ſæpè cruore madet (etiam Regio) ſed pallet.

DIE

DIE XXI. NOVEMBRIS.

S. ALBERTUS S.R.E. CARDINALIS EPISCOPUS LEODIENSIS.

Habspurgo-Austriacis sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.

Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.

Gisela Uxor Conradi Salici Imperatoris.

Henricus III. Imperator.

Henricus IV. Imperator.

Agnes Uxor Friderici Ducis Sueviæ.

Irmgardis Uxor Godefridi II. Ducis Brabantiæ.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

S. ALBERTUS Dux Brabantiæ, S. R. E. Cardinalis Episcopus Leodiensis.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri ad honos Archi-Duces.

Nexus

Nexus II. Deſcendentium.

Andreas Rex Hungariæ.

Stephanus Poſthumus.

Andreas Rex Hungariæ, Uxor Agnes Auſtrica Alberti I. Imp. filia.

S. Eliſabeth Uxor Ludovici Landgravij Haſſiæ.

Sophia Landgravia Uxor ——— Henrici II. Ducis Brabantiæ.

Godefridus III. Dux Brabantiæ.

Henricus I. Dux Brabantiæ.

S. ALBERTUS S.R.E. Cardinalis.

Acta Synoptica.

Gualter. & Epiſc. Leodienſ. f. 1510.

Pieſp. in Stemm. Auſtr.

Bucelin. P. 1. Germ. de Epiſc. fol. 29.

PUrpuram à Sede Apoſtolica acceptam ſui ſanguinis purpurâ tinxit ALBERTUS, natalibus Brabantiæ Dux, dignitate primùm Archi-Diaconus S. Lamberti, dein Epiſcopus Leodienſis & S. R. E. Cardinalis creatus à Cœleſtino Papa III. contra Imperatoris Henrici VI. voluntatem, quem Româ redux fugiens Rhemos exul abijt. Et dum Anno 1192. die 23. Novemb. exilij menſe tertio ad S. Remigium proficiſcitur, à ſicarijs per Imperatorem (ut creditur) ſubornatis, tredecim vulneribus corpus capútque ſciſſus pro Eccleſiæ cauſa Martyr obijt; à morte miraculis clarus, ſepultus in primaria æde Rhemenſi. Corpus ejus Anno 1612. Albertus ejusdem nominis & tituli quondam Cardinalis Auſtriæ Archi-Dux agnatus, in patriam reduxit, & Bruxellæ in SS. Joſephi & Annæ Regia æde honorificentiſſimè depoſuit.

Sic ſolent Habſpurgo-Auſtriaci pro defenſione Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ etiam ſanguinem profundere.

Eâdem

Eâdem DIE XXI. NOVEMBRIS.

B. STILLA VIRGO SCHYRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Gabrielis Bucelini, & partim Raderi.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imp. avus Berthę nuptæ Luithardo Comiti Habspurgico.

Carolus Calvus Imp. à quo post 6. gradus Ltha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici.

Pipinus Rex Italiæ.

Bernardus Rex Italiæ.

Pipinus Junior redactus in ordinem Comitum.

Bernardus Comes Lengenfeldensis.

Arnulphus Dux Cæsarei exercitus.

Luitbaldus Comes, ab Arnulpho Cæsare Bavariæ Præfectus, de cujus majoribus silet Raderus.

Arnulphus cognomento malus, Rex Bavariæ.

Arnulphus Schyrensium Author.

Bertholdus Schyrensis Comes Palatinus Bavariæ.

Babo I. Comes Schyrensis Anno 994.

Babo II. Comes Schyrensis.

Wolframus I. Comes Abenspergensis.

Wolframus II. Comes Abenspergensis.

Zelchus Comes Abenſpèr-
genſis.

B. STILLA Virgo Schyren-
ſis & Abenſpergenſis.

Nexum II. vide in S. Loybrigo die 24. Junij; ubi juxta Henningem, Lazium, & alios, Schyrenſes Comites deducuntur immediatè ab Arnulpho Imperatore.

Acta Synoptica.

SChyrenſis ſtirpis nobiliſſimus ſurculus Abenſpergenſis familia nobiliſſimos produxit fructus. Hos inter STILLA Virgo patre Zelcho, avo Wolframo II. proavo Wolframo I. genetata, fratres habuit Rapatonem & Conradum, qui Monaſterium Hailsbrunnenſe in Norico condiderunt. Ipſa virtutibus longè clarior, quàm ſanguine, tota pietati addicta, cùm templum ſuo ſumptu nobile erexiſſet, Cœnobium molita adjungere, operi prærepta eſt, cùm Parcæ manus injecêre. Cúmque funus ducere tentarent propinqui Hailsbrunnam, ubi jam fratres quieſcebant, nullâ ratione id loco moveri potuit. Junctis ergo currui equis ſine freno ſine auriga, impoſito funere libertas data, quò vellent ducerent. At illi ſacrum onus ultrò deportaverunt ad templum quod ipſa condiderat, & in quo tumulum ſibi elegerat, non ſine cœleſti approbatione. Nam cùm die quadam adhuc vivens STILLA ex arce paterna, quæ non procul Abenbergâ ſita erat, chirothecam ſuam dejeciſſet, hoc adjuncto: *Ibi ſepeliar, ubi hæc chirotheca inventa fuerit*; non alibi, quàm in templo à ſe condito inventa eſt, & eo quidem loco, quem pro ſepulchro occupat. Stetit id templum ſolum usque ad annum Chriſti 1382. quo tempore Wilhelmus Epiſcopus Eyſtettenſis Cœnobium Sanctimonialium adjecit. Porrò ad tumulum Sanctæ STILLÆ (ita loquitur Gretſerus) ſtatim â funere concurſus fieri cœpit à vicinis Norimbergenſibus, Weiſſenburgenſibus, Anſpacenſibus, & ab alijs, qui beneficia meritis B. STILLÆ impetrata teſtabantur, donarijs votivísque tabellis. Addit Gretſerus, ſe & vidiſſe & legiſſe *quinquaginta quinque manifeſta ſanè & evidentia miracula* B. STILLÆ *ſuffragatione perpetrata.* Nam cæcis viſus eſt redditus, claudis inceſſus, ſurdis auditus, peſtilentia depulſa, capitis dolores ſedati, ſemimortui à limine mortis revocati, & plura alia ſupra naturæ vires geſta, quæ inſignem hanc Abenbergenſem Comitiſſam Sponſo ſuo Chriſto chariſſimam & gratiſſimam eſſe perſpicuè oſtendunt. Miraculorum magnitudine & multitudine permotus Gundekarus II. Epiſcopus Eyſtettenſis altare ejus honori erexiſſe fertur. Sed cùm Gundeckarus hic Anno 1075. obierit, quo fortè nondum nata fuit B. STILLA, alium altaris conditorem quærendum monet idem Gretſerus, qui fortè fuit Gebherdus II. Anno 1149. defunctus, librarij vitio pro ejus nomine ſubſtituto Gundeckari, aut malè lecto, cùm antiqui ſæpè in Inſcriptionibus initiales ſolùm literas poſuerint. Unde ſi ſcriptum fuit G. Epiſc. E. aliquis Chronologiæ ignarus Gundeckarum legit pro Gebhardo. Diem ejus Natalem cùm neque Gretſerus neque Raderus aſſignent, uterque tamen Beatam & Sanctam profiteantur, nos eam hoc loco repoſuimus.

Gretſer. in SS. Eyſtettenſ.

Raderus in Bavar. S. To. 2. fol. 244.

Hund. in Stemmat.

DIE

DIE XXII. NOVEMBRIS.

S. HILDA ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

- Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.
- Charibertus Rex Pariſiorum.
  - Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.
    - Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordthumbriæ.
      - Erericus Rex Nordthumbriæ.
        - S. HILDA Abbatiſſa.
        - S. Hereswida Uxor S. Annæ Regis Anglorum Orientalium, cujus filia S. Sexburga nupta fuit Ercomberto Regi Cantiorum, nepoti S. Ethelberti & Adilbertæ Regum Cantij.
    - Eadwaldus Rex Cantiorum.
      - Ercombertus Rex Cantiorum, Uxor S. Sexburga.
- Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi, & Habſpurg.

Acta Synoptica.

HILDA Regio orta genere, neptis Edwini Regis, à S. Paulino Nordthumbriæ Epiſcopo ad fidem converſa, cùm ſe totam Chriſto conſecrare geſtiret, relictis ſeculi pompis ad Orientalium Anglorum Regem cognatum ſuum ſecedens, inde ad Calenſe Galliæ Cœnobium ſe contulit, ubi ſoror ejus Hereswida, poſt ſuſceptas ex Anna Rege proles, inter virgines velata agebat. A S. Aidano in patriam revocata, jam monialis Wirenſi primùm, mox Heorthenſi, tum Kalcaceſtrenſi, demum Sthreneshalenſi Cœnobijs Antiſtita præfuit, juſtitiæ, pietatis, & caſtimoniæ ſpeculum; maximè autem pacis & charitatis ſtudijs celebrata, & tantâ inſuper opinione ſapientiæ præcellens, ut maximi Reges & Principes ab ea conſilium expeterent, reciperéntque. Neque Virginum ſolùm, ſed & Virorum eodem in Cœnobio Sthreneshalenſi exemplar facta eſt; cùm plurimi ex ijs ad diverſas Cathedras evecti ſint. Patuit tunc eventus ſomnij, quod olim mater ejus uterum ferens habuerat, viſa ſibi ſub veſte Regia monile fulgens conſpicere, ex quo omnes Britanniæ fines reſplendeſcerent. Intenta igitur HILDA Virginum regimini, ſexennium totum ante mortem cum aſſiduâ febre conflictata, ſeptimo demum ad æterna gaudia tranſijt, anno ætatis 66. religioſæ vitæ 33. Chriſti verò 680. quam longè poſitæ binæ Hacanenſis ab ipſa conditi Cœnobij Moniales inter admirandæ lucis ſplendorem & Angelorum obſequia, in cœlum evolantem intueri, eâque ipſâ horâ ſororibus nunciare meruerunt. Diem natalem ejus refert Beda ad 27. Novembris. Florarium ad 5. Martij, Henſchenius ad 25. Auguſti.

Beda hiſt. Angl. lib. 4. cap. 23. Chronol. Saxon. Arnold. Wion. To. 2. SS. Bolland. To. 2. Feb. fol. 180. Bucelin. Menol. fol. 786. Henſch. To. 1. Mart. fol. 360.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

S. WILLETRUDIS NIVIGELLENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolomannus Dux Brabantiæ.

|

B. Pipinus de Landis, Uxor S. Iduberga.

Grimoaldus Dux Brabantiæ.	S. Begga Uxor B. Anſegiſi Ducis Moſellani, hæres Brabantiæ.	S. Gertrudis Nivigellenſis Abbatiſſa.
S. WILLETRUDIS Abbatiſſa Nivigellenſis, neptis S. Gertrudis, proneptis B. Pipini, an fortè ex filia Grimoaldi, vel ex S. Beggæ progenita.	Pipinus Heriſtallus Dux Brabantiæ.	
	Carolus Martellus Dux Brabantiæ, à quo cæteri Carolingi & Habſpurgici.	

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad diem 23. Novemb. ex diverſ. rer. Belg. ſcriptor.

FUit WILLETRUDIS Ducis Pipini proneptis, S. Gertrudis Abbatiſſæ neptis, ex filia aliqua vel filio Grimoaldi vel Beggæ progenita, quæ virtutes & ſanctitatem cognatæ adeò feliciter æmulata eſt, ut haberetur digniſſima, quæ veſtigia ejusdem premens, vitâ functæ in honore ſuccederet. Excelluit ut mirâ puritate vitæ, ſic gloriâ miraculorum, & immaturâ morte ad Sponſi cœleſtis caſtiſſimos amplexus evocata eſt, anno ætatis ſuæ trigeſimo.

Eâdem

Eâdem DIE XXIII. NOVEMBRIS.

S. TRUDO PRESBYTER CONFESSOR.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit Regio Francorum Principum & Austrasiæ Ducum ortus sanguine, ut loquitur Bucelinus. At Theodoricus Abbas in vita, Hasbaniæ & Flandriæ Comitem fuisse insinuat, & matrem Adelam nominat: unde suspicor nepotem fuisse Dagoberti II. Regis Martyris, inter cujus proles numeratur Adela, mater Albrici, avia S. Gregorij Ultrajectini Episcopatus Administratoris. Proinde sic disponerem Genealogiam.

Dagobertus I. Rex Francorum, Clotharij Magni Pronepos.

|

S. Sigebertus Rex Francorum.

|

S. Dagobertus II. Rex Martyr. Occisus Anno 680.

|

Adela nupta N. . . . . .

Albricus, Uxor N. . . . . S. TRUDO Presbyter. Obijt Anno 693.

|

S. Gregorius Administrator Ultrajectanus, cujus cum Habspurgicis nexum vide 24. Aug.

Acta Synoptica.

ORtus est TRUDO ex parentibus, qui olim multas ditiones habebant in Flandria, Hasbania, & Campania, Comitum nomine celebrati. Sed quod summo loco ponas, insigniter pij erant. Mater Adela in Zeelen apud Diesthemium, quod juris hæreditarij erat, quiescit elevata in altari, ejúsque os permagnum, & pars maxillæ in Monasterio Trudonensi visuntur. TRUDO etiamnum puer, mirâ in pauperes propensione enituit, quos ut cooperiret nudos, suâmet se veste modò dimidiâ, modò integrâ spoliabat. Mulieri in se contumelioſæ, quæ lapides, quos puerulus in formam templi componebat, pede disjecit, ac divinitùs cœcitate percussa fuit, populi exoratus precibus, susâ oratione visum restituit. Mortuis parentibus adijt consilio S. Remacli Tungrorum Episcopi S. Clodulphum, tunc Metensium Antistitem, cujus Ecclesiæ mox ab adventu hæreditarij sui fundi possessionem in Hasbania tradidit. Literarum studijs adhibitus egregiè profecit, nec ampliùs mundana repetiturus Clericus ordinari obtinuit, futurus suæ gentis, tunc magnâ adhuc parte idolis addictæ Apostolus, quod abeunti S. Remaclus prædixisse fertur: *Benedi-*

Theodor. Abb. in vita. Jo. Mola. in Addit. Franc. Haræus in vita. Gabr. Bucelin. Menol. ad 23 Nov. Yepes & alij.

Benedictus tu fili mi à Domino, cujus providentiâ cœlis deſtinatus, miſericordiâ mundo es donatus. Virtute animaberis, ſapientiâ doceberis; usque in Evangelicum fidelem ſervum creſcens, ad parandam Domino plebem perfectam conſtitueris &c. Dabitur etiam tibi non modicè Apoſtolatus gentis hujus Hasbanicæ, ut cùm verbo docueris, exemplo informaveris, ipſe quoque in gaudium Domini tui cum beato EUGE inducaris. Condidit duo inſignia Cænobia, congregatísque frequenti numero Monachis, verbo & exemplo non Aſcetis ſolùm, ſed & vicinis remotísque populis mirè præluxit: prædicationísque gratiâ & fructu longè feliciſſimus, Hasbania æterno cum merito ab idolorum & Dœmonum cultu revocata, digniſſimo titulo *Hasbanicorum Apoſtolus* nuncupatus, & à morte *Divus Tutelaris* adoptatus eſt. Ab eo deinceps Cœnobium & urbs nomen accepit. Claruit eximijs cùm in vita, tum poſt mortem miraculis, ita quidem, ut frequentiſſimo ægrotantium concurſu plerumque triceni aut quadrageni, interdum & centeni una eâdemque die prodigiosè curarentur: plerique conſpectâ ſolùm à longè ejus Eccleſiâ, antequam eò pervenirent, voto ſuo ſatisfactum gaviſi ſunt. Moriturus cùm cœlites ſibi occurrentes intueretur, protenſis manibus, corpore toto in occurſum erecto, ingeminato crucis Dominicæ ſignaculo: *Dirige*, inquiens, *Domine viam famuli tui in conſpectu tuo*; in manus Salvatoris caput reclinavit, & ſpiritum tradidit. Delatus inter complorationes ſuorum ad tumulum, miram cœleſtis odoris ſpiravit fragrantiam, prodigioſo interim fumo replente templum, ut alter alterum vicinum videre non poſſet, vel ritè agnoſcere. Exſpiravit nono Calend. Decemb. Anno Chriſti 693.

DIE

DE XXIV. NOVEMBRIS.

S. ODA VIDUA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit matertera S. Huberti Epiſcopi, quem ſuprà oſtendimus ex *Regali Franciæ ſanguine ortum.* Vide 3. Novemb.

Acta Synoptica.

BOggi Aquitanorum Duci nupta primùm ODA, dein marito mortuo, ſua omnia in famulos Dei Monachorum gregem & pauperes erogans, paupertatem Chriſti amplexa eſt. Eccleſias varias condidit, & in primis Leodienſem inſigniter dotavit. Cùm verò vitam in jugi orationis ſtudio, & corporis afflictione exegiſſet, ad palatia æterna evocata, feliciter ſpiritum Deo reddidit, ſepulta Aviani in Collegiata S. Georgij ſuíque nominis Eccleſia, quam condiderat. Corpus ejus è terra levavit S. Floribertus, & in altari collocavit Aviani. Diem ejus natalem ponit Bucelinus 23. Octobris.

Claruit Anno 711.

Can. Nuſſienſ. Chro. Belg. f. 33. Bucelin. Menol. ad 23. Octob. Sigeb. Gemblacē. Franc. Roſier. Jo. Molā.

Eâdem

Eâdem DIE XXIV. NOVEMBRIS.

SS. ANONYMI DUO MERANIÆ DUCES MM.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Calvus Imperator, nepos Caroli Magni.

Ludovicus Balbus Imperator.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ, proavus Ithæ Rapotoni Habſpurgico nuptæ.

Mathildis cujus maritus

Luitfridus Comes Habſpurgicus.

Ermentrudis Uxor Cônradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

Conradus Rex Burgundiæ.

Bertha Uxor Odonis Comitis Campaniæ.

Stephanus Comes Campaniæ.

Theobaldus III. Comes Campaniæ.

Henricus Largus Comes Camp.

Theobaldus V. Comes Campaniæ.

Blanca Uxor Ottonis ultimi Ducis Meraniæ,

Agnes Uxor Ottonis Comitis de Orlamunda.

ANONYMI duo MM. Orlamundani.

Acta Synoptica.

Henning. P. 1. Germ. fol. 52.

AGnes Duciſſa Meraniæ, filia Ottonis poſtremi Ducis, nupta Ottoni Comiti de Orlamunda, duas ex illo proles ſuſcepit, FILIUM & FILIAM, quibus non matrem ſed crudelem novercam ſe exhibuit. Nam defuncto primo marito, Albertum Burggravium Norimbergenſem deperijt, quo ut potiretur, filium triennem, & filiam bimulam in arce Plaſſenburgo necavit. *Reliquiæ* (ut loquitur Henninges heterodoxus) *horum Martyrum in Corona Cœli Cœnobio, quod Otto Potens Comes Orlamundenſis fundaverat, aſſervantur.* Nec plura hactenus ego de illis.

DIE

DIE XXV. NOVEMBRIS.

S. FLORIBERTUS EPISCOPUS LEODIENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo - Austriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit filius S. Huberti Episcopi, de quo Nussiensis testatur, quòd fuerit natus patre Bertrando Aquitaniæ Duce ex sorore S. Odæ Viduæ, & *ex Regali Franciæ sanguine*: quâ verò serie ab illis descenderit, scriptorum defectu statuere non possum.

Acta Synoptica.

PEr omnia paterna pressit vestigia FLORIBERTUS, ejus non tam carne, quàm virtute filius. Monachum in celeberrimo Stabulensi Cœnobio professus, Magistrum habuit S. Remaclum, cujus monitis obsecundans adeò profecit, ut Magistrum æquare videretur. Multos, eósque nobiles ex variis nationibus ad amplectendum religiosæ vitæ statum quà exemplo quà verbo induxit. Mortuo Huberto patre, communi Leodiensium voto ad Cathedram expetitus, ægrè consensit. Ordinatus Episcopus, Ecclesiæ insigniter etiam in temporalibus prospexit. Quæ bona Pater Ecclesiæ assignaverat, ea rata habuit, & firmavit, aliáque plura adjecit. Canonicis à patre institutis addidit alios decem. Postremò plenus meritis Anno Domini 755. uti habet Gualterius: sed juxta Nussiensem consecratus est Episcopus Anno 731. & sedit annis octodecim: ac proinde mortem oppetijsset Anno 749. vel sequenti. die verò 25. Aprilis, ut idem Nussiensis affirmat. Henschenius autem vult creatum Episcopum Anno 727. & mortuum Anno 746.

Anselmus Canon. in vita S. Huberti c. 36.

Barthol. Fisen. in florib. Eccl. Leodien.

Gualt. de Episc. fol. 1496.

Nuss. in Chron. Belg. fol. 32.

Bucel. Menol. ad 26. April.

Henschē. ad 26. Apr.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. CONRADUS EPISCOPUS CONSTANTIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Chiffletij.

Houchingus Dux Sueviæ.

Nebi Dux Sueviæ.

Imma Uxor N. Comitis Sueviæ, ſecundùm alios Hildebrandi.

S. Hildegardis Uxor Caroli Magni.

Ludovicus Pius Imperator: cuius Uxor

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Baldus Rex, à quo poſt 5. gradus Itha Lotharingica Uxor Rapatonis Comitis Habſpurgici, magni avi hodiernorum Archiducum.

N. filia, Uxor Warini Ducis Alemanniæ.

Iſenbertus Princeps Altorffij, Anno 780.

Welffo I. Comes Altorffij.

Juditha.

Ethico Princeps Alemanniæ.

Henricus Altorffenſis Dux Bavariæ: Uxor Hatta Comitiſſa ab Andechs.

S. CONRADUS Epiſcopus Conſtantienſis.

Nexus II. ad mentem Bucelini, Bruſchij, Menlij.

Atticus vel Ethico Dux Alemanniæ ex Regio Francorum Sanguine, Uxor Berſuindes, ſoror Bilhildis Reginæ.

Etho Comes Briſiacæ.

Albericus Comes Leberthallenſis.

Ottopertus per adoptionem Comes Habſpurgicus, à quo cæteri Habſpurgici.

Albericus Dux Alemanniæ, & Alſatiæ.

Eberhardus Dux Alemanniæ.

Warinus Dux Alemanniæ.

Iſenbertus Princeps Altorffij.

Welffo I. Altorffenſis, proavus S. CONRADI, ut ſuprà.

Acta Synoptica.

Chronic. Andecen. p. 16. Chrō. Conſtantienſ. apud Piſtor. fol. 635. & 638

IYrocinium pueritiæ & adoleſcentiæ CONRADUS apud Notingum Conſtantienſem Pontificem poſuit, tantúmque in omni cultu cùm ingenij tum morum promovit, ut ſacer eum Conſtantienſis Collegij ordo ſibi in Præſidem (quem Præpoſitum vocant) adlegerit. Quo honore

ita

ita uſus eſt, ut omnes ab Notingi funere majori dignum honore judicarent, conſenſúque pati Pontificem Conſtantienſem deſignarent. Jam qui ſe ipſum cœlo & Eccleſiæ conſecrarat, noluit ſua, quæ ex ampliſſimo patrimonio acceperat, in ſuos & propinquos diſpertiri, ſed Chriſto omnia ex aſſe tranſcribere; longè alio inſtituto, quàm ſolent non pauci, qui non ſolùm acceptas à majoribus opes, ſed ipſius Eccleſiæ Theſauros in nepotes provehendos, & familiam ornandam exhauriunt. Tria ampla Deo & Divis templa ſtatuit, D. Mauritio fortiſſimo heroi & Thebanæ legionis ductori, S. Joanni Evangeliſtæ alterum; tertium gentium Magiſtro Paulo. Ter, quod in paucis eſt ad poſteritatem illuſtre, immenſa æquorum ſpatia trajecit, Hieroſolymísque veſtigia Numinis nobiſcum olim in terra verſantis ſupplex adoravit. Nomen ſuum admirandis ſæpè factis vivus mortuúsque illuſtravit; ex quibus tria duntaxat, quæ vivo evenêre, attingam: nam quæ ad ſacros eius cineres acta ſunt, paucis comprehendi non poſſunt. Lacus Acronianus ſe pedibus Sancti Pontificis calcandum ſubſtravit, ſolidúmque ambulanti ſuper fluctus iter præbuit. Libanti, ſacrúmque Chriſti Sanguinem cœleſti Patri offerenti, turgidus ventre exitialis araneus ex alto in calicem ſe devolvit, cùm Sanctus Antiſtes, & Sanguinem ſalutis pignus, & peſtem quæ ſe inſinuaverat, ſimul hauſit, quam tamen in ipſa menſæ accubatione priusquam cibum guſtaret è ſtomacho per fauces prorepentem quadra excepit, & ſecurus deinde prandit. Tertium rarum ac propè inuſitatum, in veteri hiſtoria vix ſemel iterúmque cognitum. Invitatus ab Eberhardo Cœnobiarcha ad S. Meginradi cellam, ubi Deipara apud Helvetiorum eremum colitur, ut magnæ matris ædiculam inſtauratam, & ingenti mole novi templi circumdatam cum Sacello D. Mauritij conſecraret, adfuit Anno 948. ſimul & D. Udalricus Auguſtanus Epiſcopus, cum multis proceribus. Nocte, quæ adventum eius ad Cœnobium ſubſecuta eſt, audivit & ipſe & plures ex Aſcetis ſuaviſſimam melodiam in ædicula, cui cùm magis magísque animum intenderet, animadvertit Angelos eundem cantũ & cæremonias peragere, quæ adhiberi ſolent in conſecratione templorum; vidit prætereà Chriſtum caſulâ violaceâ indutum altare accedere; Angelos thuribulis aureis, S. Gregorium flabello, S. Petrum baculo paſtorali inſtructos adſtare. ſtabat etiam ante altare Deipara ſplendida ut fulgur. S. Michaël præcentor erat, S. Stephanus Epiſtolam, S. Laurentius Evangelium legit. Inter hæc abreptus CONRADUS perſeverabat in Sacello orationi incumbere, paratis omnibus Dedicationi neceſſariis, & præſtolantibus, qui convenerant. Cúmque in meridiem jam tempus inclinaret, urgere, & ſolicitare antiſtites, ſolemnitatem tandem inchoaret, promoverétque. Ille verò cauſas obtendere, tergiverſari, denique quid audiſſet, vidiſſet, paucis oſtendit. Ibi verò omnes velut vana & ex cœleſtium meditatione nata ſomnia ſuſpicari, reprehendere, ad conſecrationis opus impellere, donec cunctis ſtupentibus ter cœlo delapſa vox: *Ceſſa, Ceſſa frater, divinitus Capella conſecrata eſt.* Ex eo certa fides, & CONRADUM vera cognoviſſe, & Sacellum Deiparæ cœlitus dicatum, ac conſecratum eſſe, nemo dubitavit. Quæ tantorum virorum præſentiâ & teſtimoniis comperta, plura deinceps firmarunt miracula, quin & Pontificum Diplomata roborârunt. Denique CONRADUS adminiſtrato feliciter & ſanctè Pontificatu Conſtantienſi per annos duos & quadraginta, ſub Añum 976. è ſede ſua ad ſedes Beatorum tranſiit, multáque deinceps prodigiorum in terris reliquit veſtigia, de quibus alij Authores fusè ſcripſerunt. Dies natalis eius celebratur 6. Cal. Decemb.

Andr. Brüner. in Faſtis Bruſchius in Epiſc. Conſtantienſ. Demochares in iisd. Jac. Menlius in Chron. Conſtantienſ. Chriſtian. Hart. in deſcript. Eremi Hel. vet. Rader. To. 3. Bavar. Sanct. fol. 88. Sigeb. Gemblac. Claud. Robert. Joann. Trithem. Baron. Odoran To. 2. de SS. ap. Bucelin. Menol. ad 26. Nov.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

B. EBERHARDUS PRÆPOSITUS MARCHTHALLENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis Sanguine junctus.

GENEALOGIA.

Henricus Dapifer de Waldpurg.

Caſpar. Bruſch. Mart. Cruſ. ap. Boll. To. 1. Janu. fol. 1086.

Chonradus Dapifer de Waldpurg.

B. Odino Abbas Rothenſis.

B. EBERHARDUS Præpoſitus.

Eberhardus Dapifer de Waldpurg.

Henricus Dapifer de Waldpurg.

Joannes Dapifer de Waldpurg.

Eberhardus Dapifer de Waldpurg. Uxor Agnes Duciſſa de Teck, cujus amita Agnes nupta fuit Eginoni Comiti Habſpurgico.

Joannes L. B. de Waldpurg, S. R. I. Dapifer Hæreditarius, Uxor Eliſabetha Comes ab Habſpurg, filia Joannis Habſpurgo Lauffenbergici.

Acta Synoptica.

Bolland. ad 17. Apr. & To. 1. Jan. f. 1086. Acta MSS. Marchthallenſia.

EBERHARDUS Waldpurgicus, B. Odinonis Abbatis Rothenſis frater, quamvis vitæ Author dicat de nobili progenie Wolfeggi: idem enim eſt; quia Waldpurgij per Claram de Neiffen Anno 1306. Dominium Wolfegg conſecuti ſunt. Tædio rerum mundanarum, cùm eſſet Archidiaconus, Rhotenſibus Præmonſtratenſis Ordinis ſe ſociavit, & ſub fratris Ottenonis diſciplina vixit, quem ut patrem coluit. Condito verò Cœnobio Marchthallenſi in Suevia inter Riedlingam & Ehingam, per Hugonem Comitem Palatinum Tubingenſem, nullus aptior ei regendo viſus quàm EBERHARDUS. Eò igitur miſſus à fratre Odinone Abbate, primus Marchthallenſis Præpoſiti munus ſuſcepit, ac ſumma cum omnium ſatisfactione adminiſtravit, ut Fundator Hugo non aliter eum, quàm *Cœleſtem Angelum* nominaret. Demum Anno 1179. *graviſſimâ infirmitate correptus, & omni integritate ſenſûs, plenus Spiritu Sancto* 15. *Cal nd. Maij quievit in Domino: nec enim, ut ait S. Auguſtinus, potuit malè mori, qui t m bene vixerat.* Poſt Sexennium ab eius obitu aperto ſarcophago, inventum eſt corpus ſuavem ſpirans odorem, manus inſuper dextra erecta, tribus prioribus digitis ſurſum elevatis, prout ſolebat ſuis benedicere, poſterioribus in volam reductis, quaſi adhuc adſtantibus filiis, & hoc miraculo attonitis benediceret. Inſignitur Beati titulo à Marchthallenſibus, & Henſchenio, qui videri poteſt.

DIE

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

B. CASIMIRUS REX POLONIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Luitfridus Comes Habspurgicus.

|

Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

|

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

|

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

|

S. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imperatoris.

|

Otto II. Imperator. Uxor Anna Marchionissa Austriæ, filia Leopoldi I. Illustris.

|

Mechtildis Uxor Ernfridi Comitis Palatini.

|

B. Richetza Uxor Miecislai II. Regis Poloniæ.

|

B. CASIMIRUS Rex Poloniæ.

Alium nexum vide in B. Richetza die 19. *Martij.*

DEfuncto Miecislao Rege, Polonia intestinis partim discordiis, partim exterorum Principum ambitione concussa, legitimum regni hæredem CASIMIRUM cum matre Richetza in exilium egit. Sano interim ille consilio in Gallias se contulit, & Cluniaci Disciplinæ S. Odilonis Abbatis se sponte submisit, à quo ad omnem formatus virtutem, religiosis votis obstrictus, etiam ordinem Diaconatûs suscepit. Fluctuabat adhuc Polonia, & sero sui Regis desiderio, quem expulerat, cœpit requirere. Matris demum indicio Cluniacum Legati perveniunt, Regem frustra repetunt, qui jam sacris initiatus fuisset, negante S. Odilone suæ intra potestatis limites id esse, Professo & Diacono reditum ad suos, & ad matrimonium ineundum facultatem concedere. Romam igitur properantes Legati, à Benedicto IX. post longam consultationem certis quibusdam conditionibus obtinent, ut CASIMIRUS, qui jam Carolus in Monasterio appellabatur, regno periclitanti absolutus à votis & ordine concederetur, & inito matrimonio hæredem daret. Nunquam ad id tempus auditum, quod necessitas pro Polonis extorsit, neque sine Numinis metu & approbatione. Ferunt enim, cùm CASIMIRUS regnum in bonum ordinem ac statum redigeret, ac hostes patriæ fortiter persequeretur, Angelicas etiam illi præsto fuisse supetias, quibus adjutus victoriam reportabat. Unde gratus beneficio divino, & memor vitæ, quam prius susceperat, evocatis Cluniaco fratribus Monasteria plura construxit, itáque vixit, ut non tam ex Monacho Rex, quàm ex Rege iterum Monachus factus fuisse videretur. Crebrò id in ore habuit: *Eam demum veram esse Sapientiam, scire DEUM omnia esse, & hominem nihil.* Obitum ejus cum Sancti titulo notavit Theodorus Rhay die 28. Novemb. cui placuit subscribere: nisi malis dicere Beatum, cùm de Canonizatione non constet.

Baron. ad an. Chr. 1034. & 1041. Langin. in Annal. Polon. Mart. Cromer. lib. 3. hist. Theod. Rhay in Anim. Illust. Cliviæ ad 28. Novemb. Ægid. Gelen. in fast.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

B. HATHMUDIS ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator, à quo poſt 5. gradus Comites Habſpurgici.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Lotharius Imperator, à quo poſt duos gradus Habſpurgici.
	Carolomannus Rex Bavariæ.	
	Arnulphus Imperator.	Ludolphus Dux Saxoniæ.
	Luitgardis, cuius maritus —	Otto Magnus Dux Saxoniæ. / B. HATHMUDIS Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 29. Nov. Agi' Monach. in vita. Andr. Bamberg. Gaſp. Bruſch. in reb. Saxonic.

HATHMUDIS, quæ & HAYMODA, etiamnum infantula, infantilia aſpernata, ludos, jocos, ſeriò contemnens, purpureas aureásque veſtes ita abhorruit, ut eas coacta induere, uberi fletu horrorem teſtaretur. Sanctiſſima tunc Herfordenſis Cœnobij fama erat, quò dimitti primùm, deinde etiam flammeo inveſtiri ardentiſſimè petiit & impetravit; ubi admirandâ virtutum omnium conjunctione cultiſſima, quæ omnibus paulò pòſt exſplenduit. Ad regimen poſteà recentis à parentibus conditi Cœnobij Gandersheimenſis evocata, ita ſe geſſit, ut non ſuarum tantùm, quibus præerat, Virginum, ſed omnium ſeculorum Antiſtitum ſpeculum & miraculum eſſet. Aſſiduo precum, vigiliarum, jejuniorum ſtudio mirè excelluit. *Mira ei charitas*, inquit vitæ Author, Synchronos, *ſumma humilitas, maxima patientia, incredibilis liberalitas, incomparabilis pietas erat*: Ut alteram ſanè Paulam ab Hieronymo celebratam liceat appellare. Deceſſit Sanctiſſima Virgo Anno Chriſti 874. vitæ religioſæ 22. regiminis 18. ætatis trigeſimo quarto, immaturè prærepta. Natalem ejus hac Die 29. Novemb. conſignat Bucelinus.

DIE

DIE XXX. NOVEMBRIS.

S. EDWOLDUS EREMITA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit ultimi Orientalium Anglorum Regis S. Edmundi frater Germanus, proinde ex proſapia S. Annæ Regis. Cùm ergò de ſerie generationum hactenus nobis non conſtet, ſaltem nexum Regum Anglorum Orientalium cum Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum hic exhibemus.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.	Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis Opinio deducit Habſpurgicos.	Charibertus Rex Pariſiorum.
		Adilbertha Uxor S. Edelberti Regis Cantiorum.
	S. Annas Rex Anglorum Orientalium. Uxor S. Hereswida.	Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.
	S. Sexburga, cujus maritus——	Ercombertus Rex Cantiorum.
	S. Edmundus Ultimus Rex Anglorum Orientalium, Martyr.	S. EDWOLDUS Eremita, frater germanus S. Edmundi.

Acta Synoptica.

VBique quidem virtus de ſe illuſtris eſt, ſed in Regio Sanguine longè illuſtriſſima. EDWOLDUS S. Edmundi regis & Martyris germanus frater, Regijs honoribus & delitiis paupertatem ac humilitatem præferens, Cernelienſis diruti per bella Cœnobij reliquias an rudera, fugatis aut cæſis per hoſtes Monachis, veneratus, ſolus locum deſertum ingreſſus, ſacro rigoris ſtudio coluit, & ad mortem usque incoluit, ſolóque illic pane, & gregario quidem, tantus Princeps vitam toleravit: ibidem cum magna ſanctitatis opinione mortuus ac tumulatus: quo poſteà loco Egewaldus Dynaſta Cœnobium denuo conſtruens, Principis Apoſtolorum Petri honoribus nuncupavit. Hugo Menard. Bucelin. ad diem 28. Nov. in Menolog.

Dies ei natalis in Menologio aſſignatur 28. Novembr. nobis placuit hic reponere.

Eâdem

Eâdem DIE XXX. NOVEMBRIS.

S. EUPHRASIA V. MARTYR.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacis.

GENEALOGIA.

Carolus Dux Lotharingiæ, ultimus Carolingorum.

Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Hadwidis Comitiſſa Namurcenſis, cujus maritis

I. Chuno Comes Rhynfeldæ.

Chuno II. Comes Rhynfeldæ.

Rudolphus Rhynfeldenſis Imp.

Mechtildis Uxor Erneſti Strenui Marchionis Auſtriæ.

Leopoldus Pulcher Marchio Auſtriæ.

S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.

Gertrudis Uxor Uladislai II. Regis Bohemiæ.

S. EUPHRASIA V. Martyr, cum ſororibus, B. Agnete, B. Angela, &c.

II. Gerardus Alſatius Dux Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

Wernerus I. Comes Habſpurgicus.

Otto Comes Habſpurgicus.

Wernerus II. Comes Habſpurgicus.

Wernerus III. Comes Habſpurgicus.

Adalbertus I. Comes Habſpurgicus.

Rudolphus Comes Habſpurgicus, Avus Rudolphi I. Imperatoris.

Acta Synoptica.

Balbinus in Epitome rerum Bohemica. & in Origin. Guttēſtein. fol. 41.

NIhil hactenus de hac Sancta reperi, præter nomen. Per conjecturam putat Balbinus fuiſſe filiam Uladislai II. Regis. Hiſpani Scriptores & Carmelitani hiſtorici eam cum ſorore B. Angela nominant filiam Regis Bohemiæ, ſed nomen parentis non produnt. Acta exſpectantur à Bollandi continuatoribus. Hic ſufficit eam adduxiſſe cum Balbino. Videantur etiam 6. Julij, qua de B. Angela dicta ſunt.

Finis Menſis Novembris, in Anno ſancto Habſpurgico-Auſtriaco.

ANNI

ANNI SANCTI
Habſpurgo-Auſtriaci
DECEMBER.
Sive
FERDINANDUS II. PIUS,
Habſpurgo-Auſtriacus Imperator.

CEronidem Anno imponit DECEMBER, dictus à Commodo Imperatore Amazonius, à Græcis Poſſidonius, Apellæus à Macedonibus, Veſtalis à Romanis, & primum Auſtriaco-Cæſareum annum claudit in FERDINANDO II. Qui dum Coronis duodecim Anteceſſorum & ſuâ coronatur, ipſe viciſſim ſuâ illos coronat pietate. Congruentiſſimè hunc illi menſem inſcribimus, quo DEIPARA ſtellis duodecim coronata concipitur, FERDINANDI in bellis Generaliſſima, cujus puram & ſine macula Conceptionem & aſſeruit, & ardenter expetijt ab Apoſtolica Sede inter fidei dogmata collocari. Quid hoc erat aliud, quàm Decembrem Veſtalem efficere, & meliorem è cœlo ignem evocare, cui cuſtodiendo tota deinceps Auſtriaca Domus Veſtalis eſſet.

Alex. ab Alex. Genial. lib. 3.

Maſc. in Encom.

Marracc. in Biblioth. Mar.

FERDINANDUS SECUNDUS

Cæſar Pius, Marianus, Apoſtolicus.
Quid hic moliris calame?
Rudis Apelles tam nobilem vis delineare Alexandrum?
Perge tamen:
Hæreſeos magnanimus Vindex,
Catholicæ Religionis Atlas,
Virtutum omnium heroicarum Compendium.
Feliciter Fulminatrices Aquilas miſit in Heterodoxos,
Aut potiùs *Mariana* ſigna,
Auſpice Generaliſſima ſua
MARIA.
Unde in FERDINANDI bellis ſemper fuit
Caſtrorum acies ordinata,
Pro fide Auſtriacis copijs contra fidei hoſtes
Legitimè Certantibus.

Lamorm. Præfat. ad Lecto. in vita.

Symb. Ferdin.

Annos ejus Imperij cumulatis victorijs computabant
Propert. lib. 3. Eleg. 3. *In campis Mariano prælia signo.*
Nempe *Marianis* Sodalitijs,
Dextrâ quâ gestabat Sceptra & Palmas,
Propè innumeris inscripsit Augustum nomen:
Alb. Sodalit. Annunt. Græc. *Marianæ Protector Sodalitatis.*
Huic aras, & Templa posuit, velut
Urbium munimenta.
Lamorm. Vitæ cap. 7. *Nullum*, inquiebat, *tuendæ civitati propugnaculum aptius,*
Quàm Virginis Templum.
Memor ab illis Majoribus se genitum,
Scriban. in Polit. Christ. *A quibus in solo Occidente supra septuaginta millia Templorum,*
ditissimâ pietate erecta.
Tunc nimirum sublimantur Imperantûm solia,
Cùm per eos in sublime assurgunt Dei templa.
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
DEIPARÆ
Principum Assertor & propugnator Princeps,
Maculas suas arbitro fateri solitus
addebat:
Vita loc. cit. *Beatissimæ & semper Immaculatæ Virgini.*
Quid non speret à MARIA, qui totus MARIAM spirat?
Sæpè *Mariani* Voti reus;
Nunquam feliciùs, quàm ad Vesperam vitæ.
Tunc peregrinus ad *Cellas* Virgineas ire vovit,
Si fasces Filio deferrent Septemviri.
Votum sequuta septuplex Echo una vox,
Nihil degener à Patre Filius
Imperet FERDINANDUS.
Et Voti avida Virgo
Cæsari toti suo *Cœlum* pro *Cellis* aperuit.
Reum voti citavit ad Tribunal.
Sed non potuit FERDINANDUS causâ cadere,
Qui tam ardenter causam egit
MARIÆ
IMMACULATE CONCEPTÆ.

Benè Tibi, Magna anima, Corona Anni Primi Austriaci, benè posteritas omnis dicet. Alterum in Filio auspicatus annum, nunc in nepote ad Martium perduxisti. Spirant omnes Imaginem Tuam Pietatis Prototypon. Mixtum jam Cœlitibus cum filio & nepote altero, veneramur adhuc inter homines in LEOPOLDO. Excipient Martium menses cæteri, & cùm alterum Decembrem finierint, ad tertium recurrent Januarium. Ita nostris augurijs propitij annuant, quorum hic celebramus memoriam Cœli Indigetes.

CA-

CALENDIS DECEMBRIS.

S. HERESWIDA REGINA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Charibertus Rex Pariſiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordthumbriæ.

Erericus Rex Nordthumbriæ.

S. HESWIDA Uxor S. Annæ Regis Anglorum Orientalium.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Ducis Moſellani, à quo Carolingi & Habſpurgici.

S. Hilda Abbatiſſa.

Acta Synoptica.

ANnæ Regis Orientalium Anglorum lectiſſima conjunx HERESWIDA, cùm ex priore marito Sethridam genuiſſet, ex Anna plurium liberorum mater effecta eſt, inter quos S. Sexburga, S. Etheldreda, S. Ethelburga, S. Witburga, S. Jurminus, & Adulphus Rex. Viduata marito, regij faſtûs generoſo contemptu, non tantùm aulam, ſed ipſam quoque patriam deſerens, peregrina in Gallias venit, & in Calenſi Parthenone monialem induta, eò in virtute progreſſa eſt, ut parem cultum vitámque ſoror ejus Hilda expeteret, & velo ſuſcepto ſanctiſſimam illic vitam exigeret. Claruit HERESWIDA circa Annum 647. Sanctorum faſtis inſcripta apud Bollandum; quam tamen Bucelinus ſolùm Venerabilem appellat, & 1. Dec. natalem ejus conſignat, ille verò ad 23. Sept. locat.

Bolland. To. 1. Januar. fol. 627.

Bucel. Menol. ad 1. Decemb.

DIE II. DECEMBRIS.

S. BERNO ABBAS CLUNIACENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Bucel. To. 2.

Atticus, ſeu Ethico, Dux Alemanniæ & Alſatiæ, ex Regio ſanguine Francorum. Uxor Berſuindes, ſoror Bilhildis Reginæ.

- Adelbertus vel Albericus, Dux Alemanniæ & Alſatiæ.
  - Eberhardus Dux Alemanniæ & Alſatiæ.
    - Warinus Senior Dux Alemanniæ & Alſatiæ.
      - Warinus Junior Comes Matiſconenſis.
        - S. BERNO Abbas Cluniacenſis.
- Etho Comes Briſiacæ.
  - Albericus Comes Leberthallenſis.
    - Ottopertus ex adoptione Hiltrudis Habſpurgicæ, Comes Habſpurgicus, à quo cæteri Habſpurgici ad hodiernos Archiduces.

Acta Synoptica.

Sigeb. in Chron. Lemovic.

BERNO contemptis Mundi honoribus, in Gigniacenſi primùm Cœnobio Monachum Profeſſus, ejusdem poſteà ob vitæ merita Abbas effectus eſt. Nec multò pòſt S. Euticio in recens conditi Balmenſis Cœnobij præfectura ſubrogatus, tantâ ſanctitatis famâ inclaruit, ut Gulielmo Pio Aquitaniæ Duce Cœnobij longè deinceps celeberrimi Cluniacenſis fundationem moliente, ipſi totius rei negotium & cura demandaretur, eóque conſtructo, primus ibidem Abbas nominatus ſit. Præfuit inſigni cùm Monaſterij, tum Ordinis emolumento, & primus ibidem æterno fructu rariſſimæ Sanctitatis fundamenta jecit, quæ nulla ſatis poſteritas demiretur: ſi nullo alio titulo, hoc certè immortaliter meritiſſimus, & feliciſſimus, quòd tot millium unius ejuſdémque Aſceterij Sanctorum anteſignanus extiterit. Cæterùm in tanta gloria & æſtimatione BERNO nihilominùs fuit humillimus, indignum ſe Abbatiali honore judicans, ultrò abdicare voluit, ut quietiùs Numini vacaret: quod vix tandem in extremo ſuo morbo obtinuit; cùm interpoſitione Epiſcoporum ei ſuffectus eſt S. Odo, licèt invitus, & modis omnibus honorem detrectans. Deceſſit non multò pòſt BERNO Anno Chriſti 926. cùm plura Ordinis ſui Monaſteria partim erexiſſet, partim inſtauraſſet. Diem natalem habet 13. Januarij, nobis hic reponere placuit, cùm alij etiam ad 22. Martij referant.

Bol. To. 1. Jan. fol. 824.

MS. Cluniac.

Bucel. ad 13. Januarij.

Phil. Berg. in ſuppl. Chron.

DIE

DIE III. DECEMBRIS.

S. FRANCISCUS XAVERIUS S. J. INDIARUM APOSTOLUS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fidem habeo Danieli Bartoli ê Soc. JESU, qui agens de Vita S. XAVERII, & ex eo Ludovicus Janinus ita inquit: *Ortum duxit legitimâ ſerie ab Regibus Navarræ* FRANCISCUS XAVERIUS: *hos illi atavos aſſignant vetera ejus Familiæ monimenta, & juridicè teſtatur Antonius Zapata Cardinalis.* De ipſa generationum ſerie nihildum legi; hoc ſatis eſto, Navarræ Reges inter Majores Habſpurgo-Auſtriacorum recenſentur: & quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Schema hic propono; cui plura ſimilia poſſent formari. Dan. Bartoli in vita S. Xaverij init. Ludovic. Janinus 16.

S. Ferdinandus III. Rex Caſtellæ & Legionis. Uxor Beatrix filia Philippi Regis Romanorum.

Ferdinandus IV. Rex Caſtellæ, & Legionis. Uxor Conſtantia Luſitana.

Joannes Manuel Infans de la Cerda.

Alphonſus XI. Rex Caſtellæ & Legionis, Uxor Leonora Guſmana.

Joanna de la Cerda: cujus maritus —— Henricus II. Rex Caſtellæ & Legionis.

Joannes I. Rex Hiſpaniæ.

Eleonora Uxor Caroli II. Regis Navarræ.

Henricus III. Rex Caſtellæ, & Legionis.

Joannes II. Rex Caſtellæ, & Legionis.

Blanca Uxor Joannis Regis Navarræ, filij Ferdinandi I. Regis Aragoniæ.

Henricus IV. Rex Caſtellæ & Legion. Uxor Blanca filia Joannis Regis Navarræ.

Iſabella, cujus maritus — Ferdinandus V. Rex Aragoniæ.

Carolus III. Rex Navarræ.

Joanna Uxor Philippi Archiducis Auſtriæ.

Carolus V Imp. à quo Hiſpani Archiduces Auſtriæ.

Ferdinandus I. Imp. à quo Germani Archiduces Auſtriæ.

Acta Synoptica.

FRANCISCUM XAVERIUM damus Virum, cujus animo alter etiam Orbis anguſtus fuit. Alexandro Macedone eo ſuperior, quòd hic unum factis impleverit, ille utrumque miraculis. Dum vixit, Virgo vixit. Teſtimonium animo integerrimo, corpus longè poſt mortem etiam in viva calce integrum aſſeruit. Manſit integer à morte, quia integer vitæ. Cor adamantinum habere viſus, ita omnia adamavit adverſa. Jure dixeris, S. XAVERIUS per anagramma VIR SAXEUS. Sui ſemper egregius victor, non ſemel è morbidi ulcere ipſum pus hauſit, è pure purior. Sed tam Andr. Brunn. in Faſtis. Jo. Bapt. Maſcul. in Encom. SS. Daniel. Bartol. in vita.

ſitibundum Deus deinde tot delitiis per omnem vitam perfudit, ut ijs ebrius ſæpè exclamare, diducto è pectore veſtimento, coactus ſit: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* Apoſtoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipſo Numine dilectus. Siquidem multò antè in ſomno tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris ſibi per quietem viſus eſt. Et quid aliud vigilans poſteà egit? cùm ejusmodi hominum decies centena millia ad Eccleſiæ gremium ſuis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fuſcos ſacrâ undâ ſolus lavit, jubens eſſe cœli candidatos. Dicere de illo tunc potuiſſes: *Non lavat Æthiopem, dum lavat Æthiopem.* Vaticinia edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, imperavit ventis, quos curſu ſæpè ſuperavit: novus Atlas novi orbis preſſus licèt ingenti pondere, attolli tamen ſæpè eſt viſus à terrâ, libratus in aëre lance pietatis. Idem eodem tempore geminis in locis viſus, experimentum fecit Philoſophicæ replicationi. Mortem ſibi accelerans dabat aliis vitam, & Parcas juſſit eſſe prodigas, dum è tumulis mortuos evocaret. Ipſe mortuus vivo ſimilior, nondum ceſſat vitam dare mortuis, & prorogare morituris.

Eâdem DIE III. DECEMBRIS.

B. PHILIPPA PRINCEPS LUSITANA, V.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Joannes I. Rex Portugalliæ, Obijt Anno 1433.

B. Ferdinandus Princeps Portugalliæ.

Eduardus Rex Portugalliæ.

Leonora Uxor Friderici III. Imperatoris Auſtriaci.

Maximilianus I. Imp. Auſtr. & reliqui ad hodiernos.

Petrus Princeps Portugalliæ: Uxor Eliſabetha Aragonia.

B. PHILIPPA Virgo Luſitana.

Acta Synoptica.

REgale genus PHILIPPA traxit à Majoribus, à virtute ſanctitatem. Fuit Petri Luſitaniæ Principis & Eliſabethæ Aragoniæ Infantis filia, quæ generoſiſſimo rerum omnium humanarum contemptu glorioſa, cùm in Parthenone S. Dionyſij de Odivellis velum ſacrum ſuſcepiſſet, in eodem mirâ vitæ ſanctitate univerſo Portugalliæ Regno & ſanguini Regio decus æternum addidit. Quin & raro exemplo, ſcientiâ multiplici effulgens, ut literarum ſtudiis addictiſſima fuit, & in lingua Latina non vulgariter docta, varia opera edidit, ijsque præclaris ingenij Regij monimentis, æternam poſteris memoriam, ſuíque nominis admirationem reliquit. Diem ejus natalem conſignat Bucelinus 25. Julij, nos hîc.

Barnab. de Montalbo. Chryſoſt. Henr. in Menol. Ciſterc. Bucelin. Menol. Benedict. ad diem 25. Julij.

DIE

DIE IV. DECEMBRIS.

S. ANNO ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit ejus neptis B. Richetza Regina Poloniæ, quam retulimus 19. *Martij, proinde eodem jure ad Habſpurgico-Auſtriacos refertur, licèt indubitata connexio oſtendi non poſſit. Hanc tamen veroſimiliter exhibemus.*

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator avus Berthæ, nuptæ Luithardo Comiti Habſpurgico.

Ludovicus Rex Germaniæ.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Magnus Imperator.

Otto II. Imperator.

Mechtildis Uxor Ehrnfridi Comitis Palatini.

B. Richetza Regina Poloniæ.

Carolus Calvus Imperator, à quo poſt 6. gradus Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.

Waltherus Comes de Sonnenberg, Uxor Engela.

N. Soror Ehrnfridi Palatini. Ux N. Comes de Soñenberg.

S. ANNO, Comes de Soñenberg, Archiepiſc. Colon.

Acta Synoptica.

Gualt. de Epiſc. fol. 1289. Andr. Brunn. in faſtis. Trithem. Chron. Hirſchaug. fol. 72. Sur. in vita. Bonifac. hiſt. Virg. lib. 2. c. 14.

ANNONEM à puero pater ſtudiis admovit, hoc eſt militaribus. Abhinc authore avunculo, à Marte ad Muſas honeſtiſſimâ defectione tranſivit. Inter hæc illicò magnum oſtendit profectum, ob excellentem literarum eruditionem in Gymnaſio Bambergenſi Rector factus, placuit Henrico III. Imperatori, qui eum inter Palatinos ſuos adlectum, mox Infulâ Colonienſi donavit. Hâc ornatus; pro concione nunquam ſine lacrymis auditus eſt, quod ſuis ille ſignum veluti omnium ſingultibus daret. Divitiis cùm afflueret, ſæpè tamen nec obolum ipſe, omnia pauperes & Religioſi habebant, quos ille velut theſauros ſuos ſecum circumducebat, pater idem horum, & mater pupillorum. Ædes Xenodochij unas, Mona-

Monaſteriorum quinque condidit, & ampliſſimè dotavit. Eccleſiaſticæ libertatis egregius propugnator, Inſulam nulli, atque adeò ne quidem Cæſari, à quo acceperat, ſubmittebat, juris, quàm vitæ cupidior. Sed ne urbe pulſus à civibus ſuis animum deſpondit. Quòd tamen redux alieniorem ab his animum ferret, viſus eſt ſibi noctu, cùm inter divorum Epiſcoporum comitia locum vellet capeſſere, aditu prohiberi, quòd in veſte cæterà candidiſſima unicam maculam præ pectore geſtaret, quam tamen ipſam mox unà cum injuriæ memoria ex animo delevit. Mortuus eſt Anno 1075. cùm ſe MARIÆ unicè ac ſæpiùs commendaſſet, cujus ipſe primam in Germania ſub titulo Conceptionis Sodalitatem erexit. Nempe cœlum peti-turus, cœli Januam pulſabat. Lech. Sodal. Parthen. l. 1. c. 1.

DIE V. DECEMBRIS.

S. EANFLEDA REGINA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

S. Ethelburga Uxor S. Edwini Regis Nordhanymbrorum.

S. EANFLEDA Uxor S. Oswij Regis Deirorum, qui fuit frater S. Oswaldi.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurguci.

Acta Synoptica.

Beda hist. Angl. lib. 2. cap. 20. & lib. 3. c. 15. & 25. Bolland. To. 2. Februar. fol. 179. & To. 3. Feb. fol. 85. & To. 3 April. fol. 294.

REgibus orta, Regi nupta, Reges peperit EANFLEDA, quæ primam lucem aspexit Anno 626. patre Edwino nondum baptizato, qui posteà uxoris hortatu fidem Christianam amplexus, sacro se subjecit lavacro Anno 627. & dein Anno 633. à Rege Merciorum Penda pagano interemptus est. Regnum adiêre primùm Oswaldus, quem idem Penda occidit; dein Oswinus, & Oswius frater Oswaldi. Interim Edwini Uxor S. Ethelburga ad suos in Cantiam profugerat cum prolibus, nimirum filio Vuscfrean: & Ifri nepote ex Osfrido altero filio, qui cum patre occubuerat in prælio: & S. EANFLEDA. Filius & nepos in Cantia mortui sunt, Filiam EANFLEDAM Oswius ad regnum evectus in conjugem sibi delegit, quâ de re Beda: *Presbyter quidam nomine Utta multæ gravitatis ac veritatis vir, & ob id omnibus, etiam ipsis Principibus seculi honorabilis, cùm mitteretur Cantiam ob adducendam inde conjugem Regi Oswi, filiam videlicet Edwini Regis* EANFLEDAM, *quæ occiso patre illuc fuerat adducta.* Juncta igitur EANFLEDA marito Oswio, à virtutum studio non destitit, sed quibus à matre sanctissima imbuta fuit moribus, in ijs perseverans, etiam maritum ad æmulationem provocabat. Viros probos & religiosos in pretio habuit, præsertim Romanum Presbyterum, quem è Cantia secum adduxerat, & S. Wilfridum, quem adolescentem quindecim annorum benignè fovit, & ad Monasticen anhelantem promovit. Unde author ejus vitæ: *Venit ad Reginam* EANFLEDAM *nomine, à qua benignè susceptus, & aliquamdiu magno cum honore detentus, innotuit sibi propositum suæ mentis in eo quàm potissimum esse, relicto seculo Dei se manciparet obsequio. Quo Regina Venerabilis agnito, multum ejus animi virtute lætata, consilium simul & auxilium tantæ rei perficiendæ, devotâ mentis alacritate largita est.* Et jam disciplinis asceticis imbutum, ut Romam contenderet, eundem Wilfridum juvit EANFLEDA, quasi prævidens, quantum Virum in eo habitura esset aliquando Anglia, & Cathedra Eboracensis. Cæterùm EANFLEDÆ acta petenda aliunde. Bollandus eam Cœlitibus adscriptam fatetur, & diem natalem consignat 5. Decembris.

DIE

DIE VI. DECEMBRIS.

S. GERTRUDIS ABBATISSA HAMATICENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Richomerus vel Richimer Princeps. Uxor S. GERTRUDIS, Fundatrix Cœnobij Hamaticenſis, & Abbatiſſa.

Gerberta vel Gerberga, Uxor Ægani majoris Domus ſub Dagoberto magno Rege.

Erchinoaldus Major Domus ſub Clodoveo II. — S. Adalbaldus Dux, Uxor S. Richtrudis.

Leodiſius Major Domus Regiæ. Ux. N. ex proſapia S. Sigismundi Regis Burgundiæ. — S. Euſebia cum SS. Sororibus.

Atticus vel Ethico Dux Alemanniæ & Alſatiæ. Uxor Berſuindes ſoror Reginæ Bilhildis.

Adelbertus vel Albericus Dux Alemanniæ.

Luitfridus Dux Alemanniæ, Comes Sundgoviæ, Uxor Hiltrudis Habſpurgica, hæres Comitatus Habſpurgici, ſine prole.

Etho Comes Briſiacæ.

Albericus Comes Leberthallenſis.

Ottopertus per adoptionem Hiltrudis Comes Habſpurgicus, à quo cœteri usque ad hodiernos Archiduces.

Acta Synoptica.

ILluſtriſſimo nata genere GERTRUDIS, Richomeri Principis conjunx, S. Adalbaldi avia, poſt mariti obitum nihil prius habuit, quàm Chriſti nobilem ſervitutem, & vitam humilem exambire. Hamaticenſi proinde conſtructo Cœnobio, in eo non opes ſolùm ſuas, ſed & ſe ipſam recondidit, imò victimam immolavit, cùm humilitatis operibus addictiſſima, vitæ reliquum in omni rigore traduceret, ſuámque in patientia animam poſſideret. Devenit ad decrepitam usque ætatem, & longævitatem meritorum copiam accumulans, & beato demum fine in eodem ſuo Cœnobio prima Abbatiſſa quievit Anno 655. Cui in regimine ſucceſſit proneptis duodecennis Euſebia, quam in omni virtutum genere diligentiſſimè inſtituens educaverat. Dies ejus natalis eſt 6. Decembris.

Butelin. Menol. ad 6. Decemb. Pieſp. in Stem. Auſtriaco. Bolland. To. 1. Feb. fol. 259. Anton. Sander. Joan. Molan. Arnold. Wion. Arnold. de Rayſſe in Hierogazophyl.

DIE VII. DECEMBRIS.

B. JOANNA FLANDRIÆ PRINCEPS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Ermingardis Uxor Alberti I. Namurcensis.

Albertus II. Comes Namurcensis. — Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.

Albertus III. Comes Namurcensis. — Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri omnes usq; ad hodiernos Archiduces.

Godefridus Comes Namurcensis.

Aleydis Uxor Balduini III. Comitis Hannoniæ.

Balduinus IV. Comes Hannoniæ.

Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, Imperator Constantinopolitanus.

B. JOANNA Flandriæ Princeps. — Margareta Uxor Gulielmi Dampetræi, à quo cæteri Flandriæ Comites, usq; ad Maximilianum I. Imperatorem.

Acta Synoptica.

Gab. Bucel. Menol. ad 5. Decemb.

BAlduino Flandriæ Comite Imperatore Constantinopolitano progenita JOANNA Princeps, victo atque occiso patre, à Philippo Namurcensi Comite patruo, & tutore prodita, & impiè tradita Regi Franciæ, gravissimè indignantibus Flandris, qui nihil intentatum reliquêre, quo Prin-

Principem ſuam reciperent; poſt multas demum difficultates eam obtinuerunt. Elocata primùm Ferdinando Sancij Portugalliæ Regis filio, eóque paucos poſt annos vitâ functo, Thomam Sabaudiæ Comitem nacta eſt maritum. Vixit dum rexit ſanctiſſimè, varia loca ſacra conſtruxit, Xenodochia duo, & Marquetenſe Cœnobium Virginum fundavit. De Dominicanorum & Franciſcanorum familiis eius tempore exortis plurimum meruit, pauperibus abundanter ſubvénit; Inſulenſi urbi leges ſanctiſſimas dedit, & ad eiusdem Urbis melius Regimen Magiſtratum inſtituit. Defectu demum valetudinis & virium, cùm ſecum reputaret, nihil eſſe, quod Numinis causâ feciſſet, niſi ei ſeipſam emanciparet, inſtantiſſimè à Thoma marito principe contendit, ut bonâ eius voluntate vitæ reliquum Deo emiſſis publicè votis conſecraret. Annuit amantiſſimus conjugis, ſed Dei reverentior Princeps. Facta voti compos JOANNA, non diu ſuperfuit, cùm ingraveſcente morbo mœſtiſſimo cœtu Virginum ſepta, animam Creatori commendans expiravit, Die 5. Decembris Anno 1244.

Joan. Buzelin. in Gallo-Flandr. lib. 3. Jac. Meyer. Chryſoſt. Henr. & alij.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

S. SIGIRANNUS ABBAS MILIBECCENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo - Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Sigebertus Rex Auſtraſiæ, à quo communis opinio deducit Habſpurgicos.

Chilpericus Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Carolingi & ex his Habſpurgici.

Clotharius II. Rex Francorum.

Dagobertus Magnus Rex Francorum.

S. SIGIRANNUS cognatus Dagoberti Regis.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. ad 4. Decem. Hugo Menard. Re. Choppin.

APud Bituriges natus SIGIRANNUS, patre Sielaico Viro illuſtriſſimo, cognatum habuit Dagobertum Francorum Regem. Literis probè inſtitutus, & Palatinis Regis accenſus, juvenili etiamnum ætate pincernæ Regij munere inſignitus, longè alterius Regis atria & ſervitium mente revolvens, ſub pretioſa & conchyliata veſte, aſperrimo cilicio tenerum corpuſculum atterebat. Adwaldi Principis filiam eleganti formâ, ut ſummo genere puellam, ſponſam ipſi deſtinaverat parens; cùm Virginitatis amantiſſimus juvenis, non iſtius ſolùm, ſed puellarum omnium contuitum, generoſiſſimâ contentione declinaret. Quod ut præſtaret faciliùs, Turonum profectus, & Clero inſertus, non multò pòſt Archidiaconus eius Eccleſiæ ordinatus eſt. Viduis, pupillis, pauperibus, verè pater exiſtens, omne penè patrimonium in pauperes erogavit. Quibus intentum, velut uſu rationis deſtitutum infamare auſus, & in carcerem etiam conjicere Stephanus Urbis Quæſtor, ipſe mox amens effectus, digniſſimas ſcelere pœnas luit, & à ſpiculatore quodam gladio percuſſus, mortem teterrimam obiit. Solutus autem carcere Divus, ruptis quàm primùm ſeculi nexibus, Romam profectus, indéque reverſus votis ſeſe religioſis adſtrinxit; conditísque ſub regula S. Benedicti Milibeccenſi & Longoretenſi Aſceteriis multorum in Chriſto filiorum effectus pater, iisdem ſanctiſſimæ vitæ exemplo, ſed & miraculorum fulgore facem prætulit; & latè longéque celebrari cœpit. Ex plurimis miraculis, quibus eum Deus illuſtravit; extinctam à puerulo candelam ſigno crucis reaccendit, varios morbos depulit, fures qui Fratribus equos ſubduxerant, inſigni miraculo circumegit, cùm illi totam noctem iter cum equis accelerando, manè ad portam Cœnobij conſiſterent, & agnitâ culpâ ſponte jam pedites inde abirent. Fuit & prophetico ſpiritu illuſtris, quo Flaucati Principis mortem divinitùs prævidit, prædixítque. Claruit ſub Dagoberto & Clodoveo II. Regibus circa Annum Chriſti 650. Natalem eius refert Bucelinus ad diem 4. Decembr.

Eâdem

Eâdem DIE VIII. DECEMBRIS.

S. ROMARICUS ABBAS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Natus est, ut ait Bucelinus, *è Pharamundi Francorum Regis posteritate. Quâ verò intermediâ generationum serie, incompertum est. Lazius vocat eum propinquum Sigeberti primi Habspurgensis.*

Acta Synoptica.

PRætereundus nobis non est, in cuius hæreditatem primi Habspurgici Comites missi sunt, si non eiusdem omninò stirpis, certè eiusdem veterum Francorum radicis. Ditiones quippe illæ, quas Romaricus possederat, Ottoberto Comiti Habspurgico dotales per Uxorem obvenisse feruntur. Ita de hoc Lazius: *Meretur fidem, quod Menlius ex Annalibus vetustis adducit, duas tum arces in editis scopulis finium Juræ & Vosagi montium proximis exstructas fuisse, quà per anfractus montium angusta, & nemorosa via in Lotharingiam hodiernam ducit, haud procul famigeratissimis thermis Blumers: ubi post Sanctum Deodatum Româ missum,* S. ROMARICUS *incolis Evangelium Christi annuntiaverat. Is erat nobili loco inter Francos ortus, propinquus Sigeberti primi Habspurgensis; cùm Theodorici Regis Burgundiæ, qui Sigeberti avum Theobertum Austrasiæ Regem occiderat, Tyrannidem reprehendisset; unà cum Sanctis Desiderio & Columbano Episcopis in exilium pulsus, habitationis suæ locum eâ in solitudine Juræ ac Vosagi montium elegerat, revocato isthic S. Deodati Cœnobio accolas in fide Catholica strenuè instruebat. Unde & loco nomen mansit* ROMARICUS *mons, vulgò Romersperg. Neque displicet ea mihi conjectura, quam Jacobus Manlius habet: Ottoprechtum Comitem simul atque Uxoris dote agrum ultra Rhenum in Hercynia Sylva subjecisset, duas in ijs montium anfractibus, quà via angusta ducit in Galliam, arces propinquas in editis scopulis exstruxisse, quarum alteram à loci vetustate, & in memoriam* S. ROMARICI *propinqui sui Altperg: alteram verò ab Habendo, id est possesso monte, depravato Latino Habspurg nuncuparit.* Hæc Lazius. Cæterùm ROMARICUS patrem Romulphum habuit, Principem famâ clarissimum, & ob egregiam navatam operam Theodoberto Regi perquàm familiarem, matrem pari nobilitate Romulidam, qui Metensi in Urbe Palatium habuêre. Capto & occiso Theodoberto, eandem fortunam Romulphus subijt, & ROMARICUS Princeps hæreditate ampliſſimâ exutus, supplex primùm à Brunechilde spretus, flexo precibus Numine, paulò pòst ab eadem restitutus. Comes insuper Palatij in Clotharij II. ac dein

Bucelin. Menol. ad diem 8. Decemb.
Laz. Geneal. Austr. lib. 1. cap. 5. fol. 109.
Monim. Montis Romar.
Hugo. Menardus.
Franc. Rosiers.
Nicol. Serarius.

dein filij Dagoberti aulam adſcitus eſt, & magni habitus. Ad ipſum cùm aliquando S. Amatus Luxovienſis Monachus divertiſſet, ſumptâ ab aureis & argenteis in menſa lancibus occaſione, de vanitate ſeculi adeò aptè diſſeruit, ut ROMARICUS gravi illicò periturorum faſtidio laboraret. Monachum proinde Luxovij profeſſus, ejusdem propoſiti è famulitio ſuo ſocios triginta habuit, quibus ille non aliter deinceps, quàm Dominis ſuis humillimè ſervijt. Bonâ deinde Abbatis ſui veniâ ad Avendum (caſtrum olim ſuum) profectus, ibidem virorum condere monaſterium, ad radices autem montis ſeptem Virginum Cœnobiola moliri aggreſſus, duodecim primùm cuique Chriſti famulas aſſignavit, & incluſit, quæ ſibi invicem pulcherrimo ordine, & vicibus alternis ſuccedentes, dies noctésque laudes divinas, nunquam interrupto officij curſu, continuarent. Miraculorum gloriâ admirandus fuit. Ad religioſæ viduæ ædes cùm diverteret, & ipſa admodùm doleret, nihil ſibi cereviſiæ ſupereſſe, quod tam charo & ſancto hoſpiti propinaret, impletum illicò dolium Zytho præſtantiſſimo eſt, ubi primùm illud ROMARICUS ſigno Crucis obſignaſſet; quod multis etiam deinceps ægrotis, qui inde biberant, ſanitatem prodigiosè reſtituit. Quâ ille aquâ ſe laverat, balneum ſibi parans monialis leproſa ſtatim convaluit. Fuit etiam ſpiritu prophetiæ clarus, quo Grimoaldi in Dagoberti Regis filium ſcelus, & dignam ſcelere pœnam prædixit. Maximâ ante obitum Deus illum lætitiâ cumulavit, dum extra ſe raptus, centum ſui Monaſterij Virgines, cùm Magdeflede Abbatiſſa in gloria cœleſti triumphantes intuitus eſt: eâ viſione haud levem Fundationis ſuæ fructum, & præmium præguſtans. Statim verò, ut obiit, denſiſſimâ nube mons univerſus obductus fuit, quæ non priùs diſſipata eſt, quàm Monachi funebres cantus inciperent, ad ſacrum funus efferendum. Apparuit in medio nubis mirè coruſcus globus igneus, qui omnibus ſpectantibus rectè in cœlum ferebatur. Claruit Vir Sanctiſſimus ſub annum 625. Sacrum ejus corpus repertum eſt Anno 910. incorruptum, ita ut aliquâ ſui parte inciſum, recentem etiam ſanguinem ſtillaret, pluribus etiam tunc miraculis illuſtratum.

DIE

DIE IX. DECEMBRIS.

S. EGBERTUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.
|
Ludovicus Pius Imperator.
|
Carolus Calvus Imperator.
|
Ludovicus Balbus Rex.
|
Carolus Simplex Rex.
|
Ludovicus Transmarinus Rex.
|
Carolus Dux Lotharingæ. — Hildegardis Uxor Theodorici II. Comitis Hollandiæ.
|
Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis. — S. EGBERTUS Archiepiſcopus. — S. Herlindis Abbatiſſa Reyēſpergenſis.
|
Hadwigis Uxor Gerardi Alſatij, Ducis Lotharingiæ.
|
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgi, à quo cæteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

EGBERTUS illuſtri ortus genere, patre Theodorico Hollandiæ II. Comite, Hildegarde matre Ludovici Transmarini Regis filiâ: vitæ tamen innocentiâ & flagranti pietatis ardore illuſtrior: D. Alberto S. Willibrordi diſcipulo, cui pater templum Monaſteriúmque Benedictinæ legis Egmundæ conſtituerat, jam addictus à teneris. Huic cùm valetudinem acceptam debuiſſet æger, ſeipſum non ingratus conſecravit, adolevítque eâ pietatis virtutúmque ſpecie, quæ Trevirică dignum Inſulâ reddiderunt. Ordinatus Epiſcopus, ad Eccleſiarum & Monaſteriorum reſtitutionem converſus, templum S. Matthiæ primùm erigit, & dum fundamentis eruendis operas adhibet, B. Celſi quinti in Ordine Epiſcopi Trevirenſis corpus invenit, elevat, honore proſequitur. Eccleſiæ deinde S. Paulini ſpoliatæ providet: Henrici Archiepiſcopi in Italia tumulati oſſa refert Treviros cum variis reliquiis. Cùm Annus 983. ſterili patriam ſiccitate exhauſiſſet, prævio jejunio (quod bannitum vocant) ambarvales, quæ etiamnum perſtant, ſupplicationes, hebdomadâ à Paſchalibus diebus tertiâ indixit. Quin & earum ſupplicationum au-

Maſen. Epit. lib. 10. fol. 284. Gualter. de Epiſc. fol. 1455. Bucelin. To. 1. Germ. de Epiſc. f. 34.

thor fuisse fertur, quibus pagatim Rustici Curione prævio prælatáque Cruce ad urbem, præcipuáque circùm templa, non sine eximio religionis argumento incedunt: quas neglexisse piaculi loco habetur, piè exsolvisse, in frugum pecorúmque lucro computatur, experientiâ non rarò in exemplum productâ. Demum EGBERTUS ad S. Eucharium Proto-Episcopum Trevirorum, quem impensè colebat, festo eius, qui in 8. Octobris cadit, die sacris illic operatum venit, & ceu ultimam se litasse Deo hostiam sensisset, declinatâ quæ illic strata erat pransuro mensâ, ad urbem reveniens inclinante se ad mortem valetudine, posterâ luce ad immortales decessit. Spectatæ prorsus dignitatis Antistes, procero & ad egregiam cum majestate formam erecto corpore; quod tam illustre domicilium, illustrior habitaret animus. Ex monasticæ disciplinæ sanctimonia ad Episcopatum hunc secum traduxit: verus Pastor, qui & ipse pro Concione populum doceret verbo, & exemplo traheret. Ejus vim precum id commendat, quòd summa in æde à prætervolante supra aram hirundine perfusus stercore, exulare ocyus, & hanc & omnes imposterum, sacrâ domo jusserit. Ex quo tempore hirundo nulla subijsse, vastum cœtera templum, visa est; aut si quæ subjerit, mortua prolabi. Obijt Anno 993. ut habent fasti Cardonenses, at Gualterius ad annum 989. id refert, qui ei etiam Sancti titulum attribuit, uti & Bucelinus.

DIE

DIE X. DECEMBRIS.

S. BALDA ABBATISSA.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

N. . . . Princeps è Regia Francorum ſtirpe.

Abobinus Princeps. Uxor Pientia.	S. BALDA Abbatiſſa.	Belfridus ſeu Bertho Princeps. Uxor Agia.	Moda Uxor S. Autharij.
S. Aguilberta.	S. Ebregiſilus Epiſcopus Meldenſis.	S. Teutechildis.	Agilbertus Epiſcopus Pariſienſis.

Nexum cum Habſpurgo-Auſtriacis inquirant alij. Sufficit nobis è Francis Regibus originem trahere, à quibus etiam Habſpurgici orti.

Acta Synoptica.

FUit hæc ſoror Modæ conjugis S. Autharij, ex clara ſtirpe Regum Francorum, & amita S. Teutechildis, itémque S. Agulbertæ, quæ contempto ſeculi faſtu vitam monaſticam ſub ſanctiſſimis neptibus in Regali Cœnobio Jotrenſi amplexa, grandæva demum regiminis ſubire labores debuit, multásque Regum Regi Virginum Sponſo adducens ſponſas, plena ut annis, ſic meritis, ſancto fine deceſſit. Claruit ſub Clothario II. Dagoberto I. & Clodovæo II. Regibus Francorum.

Bucelin. Menol. ad 9. Decem. Monim. Cœnob. Jotrenſis. Hugo Menard.

Eâdem DIE X. DECEMBRIS.

S. DEOTARIUS EPISCOPUS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clodio Crinitus Rex Francorum.

Meroveus Rex Francorum.
|
Childericus Rex Francorum.
|
Clodoveus I. Rex Francotum.
|
Clotharius I. Rex Francorum.
|
Blithildis Uxor Ansberti Senatoris Romani, Ducis Mosellani, à quo Carolingi, & dein Habspurgici.

Albericus Dux Franciæ Orientalis.
|
Wambertus I. Arduennæ Dynasta. Uxor Lucilla filia Zenonis Imperatoris Orientalis.
|
S. DEOTARIUS Episcopus.

Acta Synoptica.

Henning. p. 1. Germ. f. 19. Texera in Exegesi f. 45.

DEOTARIUS patre Wamberto, qui & Vaubertus, & Walpertus scribitur, matre Lucillà Zenonis Imperatoris Orientalis filiâ genitus, cum fratre Firmino animum sacris applicuit, & ad Episcopatum (eius nomen authores non exprimunt) promotus, sanctè vixisse, & in album Sanctorum relatus esse scribitur, apud Henningem & Texeram. Floruit circa annum 488. vel paulò pòst. Diem natalem, hactenus mihi incompertum, hoc loco reposui.

DIE

DIE XI. DECEMBRIS.

B. THASSILO BOIORUM PRINCEPS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Martellus Dux Brabantiæ.

Hiltrudis Uxor Utilonis Ducis Bavariæ. — Pipinus Brevis Rex Francorum. — B. Carolomannus Rex Francorum. Dein Aſceta.

B. THASSILO, Dux Bavariæ. Uxor Luitberga Longobarda. — Carolus Magnus Imperator. à quo Carolingi & Habſpurgici.

Acta Synoptica.

REligioſiſſimus Princeps Boiorum ſive Rex (nam hoc quoque nomen uſurpavit) THASSILO natus matre Hiltrude Brabanta, eodem anno quo Carolus Magnus, quartodecimo anno rudimentum Martis in Pipini caſtris poſuit, proximo deinde ſe gentémque totam in eius clientelam dedit, quem altero & viceſimo deſeruit, neſcio quomodo vel à Pipino vel ab officiis aulicis offenſus, & rupto primùm fœdere domum ad Utilonem patrem refugit. Uxorem dein Luitburgam Deſidetio Langobardorum Rege natam duxit, cùm annum ageret octavum ſuprà vigeſimum. Suſcepit ex conjuge geminos virilis ſtirpis liberos, Guntherum ab apro in venatione interemptum, & Theodonem ſtirpis Agilolphingæ ultimum, ab Hadriano Pontifice Romæ ſacro fonte luſtratum. Tanta fuit THASSILONIS pietas, ut ipſe filium Romam portaret à ſummo orbis parente Chriſtianis ſacris initiandum. In eo verò offendit THASSILO, quòd pactis non ſteterit cum Pipino & Carolo Magno initis, quin & arma contrà movere ſæpius conatus (Luitburgæ conjugis ſtimulis id pleríque tribuunt) tandem regno & poteſtate exutus, reúsque Majeſtatis veniam eâ conditione impetravit, ut in monachum attonſus privatam deinceps cum filio vitam coleret. At pietas erga cœleſte Numen & omnes Cœlites fuit in THASSILONE ſingularis. Plurima Cœnobia vel condidit, vel inſtauravit, ac munificè dotavit. Cremiphanenſe, ubi filius ab apro laceratus occubuerat, Thierhauptenſe, Mattſeenſe, Chiemſeenſe utrumque Virorum ac Virginum à fundamentis excitavit. Monaſterienſe, Weſſofontanum, Polingenſe, Schlierſeenſe, Garſtenſe, Auenſe inſtauravit, & auxit. Idem S. Valentini ſacrum corpus Tridento Bataviam tranſtulit, ſumma cum religione Dux ipſe pompæ. Bataviam ſive Patavium urbem Epiſcopo cum fundis & prædiis ampliſſimis conſecravit. Salisburgenſem Eccleſiam donis plurimis auxit. Denique jam Cœnobio incluſus, poſt longam carnis macerationem, voluntariam paupertatem, nec non laudabilem vitam Sacramentis omnibus munitus feliciter migravit ad Dominum. *Quem*, ait Raderus, *uti inter Divos relatum non leginus, ita Cœnobiorum monumenta, quæ Sanctum teſtantur, non infirmamus.* Certè inter

M. Velſer. in Annal. Boic. Rader. Bav. Sanct. To. 1. f. 83. Avent. Anal. lib. 3. Wion in Martyrol. Bucel. Menol. ad 13 Decem. Otto Friſing. lib. 5. cap. 19. Alb. Abb. Staden. in Chron. ad an. 788. Bolleforeſt. in Deſcript. Bavar. Annal. Franco. lib. 2. cap. 13. Brunner. lib. 5. Anal. Adelzreit. Annal. p. 1. lib. 7. Freher. Orig. Palat. cap. 6. Rettenbach. Anal. Cremifan. lib. 1. c. 9. & 11.

inter Divos cultum ex antiquis monimentis Aventinus heterodoxus tradit, & Arnoldus Wion de eo: *In Cænobio Lauri ſheimenſi depoſitio* S. THASSILONIS *ultimi Bavariæ Regis.* Bucelinus verò in ſuo Menologio: *In Cænobio Laurisheimenſi depoſitio* B. THASSILONIS *Regis.* Adijcit Raderus: *Ejus extremæ vitæ actum, & miranda quædam opera mortem ad ejus tumbam ſecuta, celebrant docéntque monimenta in veteribus Cænobijs reperta.* Idem teſtatur Velſerus: *Eluiſſe benefactis ſuperiores maculas, & propitiando Numini aſſiduam adeò operam navaſſe, ut mortui etiam monumentum ſignis divinitùs editis illuſtratum clarnerit.* Mirandum aliud ex Chiemſeenſibus chartophylacijs erutum depromit Raderus, literis Venerandæ Antiſtitæ Chiemenſis Sabinæ Anno 1602. ad Maximilianum Bavariæ Ducem perſcriptum, de quo fragmen appono: Aiunt THASSILONEM à Carolo prælio victum, *& per duarum pelvium ignitarum inſpectionem excœcatum. Qui pœnitentiâ ductus ad petitionem Principum abſolvitur, & liberè quocunque divertere vellet, ire permittitur. Jam verò bonæ memoriæ dictus* THASSILO *ob ſpem futurorum proſpera cuncta mundi deſpiciens, Lauriſſam devenit, ibi ſub ſpecie pauperis habitúque religioſo, & ab omnibus ignotus ad extremum vitæ ſuæ terminum permanſit. Poſt multorum verò annorum curricula, Carolus Imperator avunculus ejusdem* THASSILONIS *ad Eccleſiam Lauriſſenſem pervenit, ibíque unâ noctium more ſolito orationi vacans,* THASSILONEM *lumine carentem, per manus Angeli de ara ad aram cum ſumma reverentia deduci videt. Imperator ſummo diluculo conſurgens, Patrem Eccleſiæ advocat, diligentérque ſciſcitatur, quiſnam ſit, cui tanta beneficia ab Angelo impenſa fuiſſent; qui ſe ignorare reſpondit. Sequenti nocte Abbas una cum Rege beneficia prælibato* THASSILONI *ab Angelo impenſa videre promeruit.* Addit ad hanc narrationem Bucelinus: *Carolus vehementer attonitus, Viro ſanctiſſimo ſupplex factus humillimis precibus veniam rogavit, & facilè à feliciore Monacho, quàm Rege impetrans, ejus precum ſuffragia enixiùs imploravit.* Quæ uti ab alijs antiquioribus ſcriptoribus prætermittuntur, ita non omnem demerentur fidem, ut ut in una alteráve circumſtantia aberrent. Quis enim credat cœcum & ignotum à Lauriſsheimenſibus Monaſterio receptum? Potiùs opinarer in Monaſterio ætate gravem, fletu aſſiduo excœcatum, & notum Monachis, talem à Carolo viſum. Concludunt literæ ſupradictæ Sabinæ Antiſtitæ: *Hic verò conſuetis orationibus inſiſtendo, feliciter migravit ad Dominum. Ad cujus tumbam Dominus per merita famuli ſui, cunctis ejus auxilium implorantibus, quamplurima beneficia usque in præſens partiri non dedignatur. Horum beneficiorum teſtimonium perhibent in Lauriſſa adhuc ſuperviventes.* Putem legendum *ſuperviventes.* Fuſiùs aliquantum de THASSILONE agit recens ſcriptor Annalium Cremifanenſium, qui ejus etiam ſanctitatem commendat. Diem ejus natalem exprimit Epitaphium relatum à Radero, Bucelino, & alijs.

Conditur hac foveâ, quem pie Chriſte bea.
THASSILO *Dux primùm, poſt Rex, Monachus ſed ad imum.*
Idibus in ternis deceſſerat iſte Decembris.

Eâdem

Eâdem DIE XI. DECEMBRIS.

B. BARTHOLOMÆUS, FRATER S. BERNARDI CLARÆVALLENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Eadem eſt, quæ Sancti Bernardi, & alterius fratris Nivardi, quæ proinde videri poteſt ad 20. Auguſti, & 7. Februarij.

Acta Synoptica.

QUinto loco natus inter fratres D. Bernardi BARTHOLOMÆUS, ſecutus fratrem, adeò virtutum omnium genere excelluit, ut ipſe etiam celeberrimus Ordinis Reformator Stephanus, ſingulari eum affectu proſequeretur, & ſuper omnes diligeret. Cùm ad exſtruendam Claram vallem cum Bernardo reliquos fratres dimitteret, & à B. BARTHOLOMÆO divelleretur, non ſine lacrymis in ſuprema hæc cum valedictione verba erupit: *Vade in pace fili mi, & rigoris primæ vocationis tuæ memento, & amoris quo te in Chriſto proſequutus ſum, & proſequor: & cùm coram Deo majore cum fervore fueris, me ipſi commendare non deſinas. Licet enim te cum Fratribus mitto fundatum Aſylum hominibus pœnitentibus, memoriam tui de animo meo non delebo, ſed ſemper pro tua ſalute Deum rogabo.* Ex quo facilè de virtutibus tanti viri ſit æſtimare. Vix rigor, quo ſe totâ vitâ tractavit, credibilis eſt: jejunia aſſidua, diſciplinæ rigidiſſimæ, quibus corpus ſubegit, donec completâ laborum metâ, Dominus illum in æternam quietem introduxit.

Bucelin. Menol. ad 9. Decemb. Chryſoſt. Henriq. in Menolog. Gonzal. de Silva, Montalbo &c.

DIE

DIE XII. DECEMBRIS.

S. EADBURGA MONIALIS LIMMINGENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Charibertus Rex Parisiorum.	Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.
	Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.	
S. Ethelburga Uxor S. Edwini Regis.	Eadwldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.	S. EADBURGA Monialis Limmingensis.

Acta Synoptica.

Bolland. To. 2. Jan. fol. 176. & To. 1. Feb. f. 386. & To. 2. Feb. f. 690.

Camden. in vita S. Wereburgæ.

Illiam fuisse S. Ethelberti Regis, Sororem S. Ethelburgæ, & Sanctam, cui dies 13. Decembris sacra sit, testantur plures authores. Cœnobium Limmingense incoluit, quod soror eius S. Ethelburga marito viduata condidit, in quo ambæ requiescunt. Acta de his producent alij: nobis satis pro nunc fuerit, ostendere Sanctam, & cultum Ecclesiasticum meruisse.

Eâdem DIE XII. DECEMBRIS.

B. KUNHUTA PRINCEPS BOHEMIÆ, ABBATISSA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Wenceslaus Ottocarus Rex Bohem. — Albertus Comes Habſpurgicus.

Przemislaus Ottocarus Rex Bohemiæ. — Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

B. KUNHUTA Abbatiſſa. — Wenceslaus Rex Bohemiæ. Uxor — Guttha ſeu Juditha Habſpurgica.

Acta Synoptica.

APud ſolum Balbinum hactenus reperi hujus Beatæ mentionem, his verbis: *Wenceslaus Ottocarus Rex Bohemiæ, Fundator Hoſpitalis Crucigerorum Pragæ in Pede pontis.* B. KUNHUTA *ejus filia primùm Ordinis S. Claræ, poſt Ordinis S. Benedicti apud S. Georgium Abbatiſſa.* Cùm appellet Beatam, vitæ ejus innuit ſanctitatem. Præfuit Clariſſis ab Anno 1270. deinde Benedictinis per annos duodecim. In Tabula Genealogica ponit Balbinus KUNHUTAM Wenceslai Regis neptem non filiam, & videtur id eſſe veroſimilius ex Chronologia. Quare in textu error irrepſerit, ubi poſita eſt filia pro nepte. Balbin in Origin. Guttenſtein. f. 42.

DIE XIII. DECEMBRIS.

S. OTHILIA ABBATISSA HOCHENBURGENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Bucelin. To. 2. German. f. 348.

Atticus vel Ethico Dux Alemanniæ & Alſatiæ, ex Regibus Francorum oriundus. Uxor Berſuindes ſoror Bilhildis Reginæ, quæ fuit Uxor Childerici Regis.

Adelbertus ſeu Albericus Dux Alemanniæ & Alſatiæ.

S. OTHILIA V. Abbatiſſa.

Etho Comes Briſiacæ.

Luitfridus Dux Alemanniæ. Uxor Hiltrudis hæres Habſpurgi, ſine liberis,

Albericus Comes Leberthallenſis.

Ottopertus Comes adoptatus ab Hiltrude & Luitfrido cognato, à quo cæteri Comites Habſpurgici.

Acta Synoptica.

Martyrol. Rom. Molan. in Addit. Rader. Bavar. S. To. 4. f. 7. Bucelin. Menol. ad 13. Decem. Chron. Alſat. Cratepol. &c.

OTHILIA domo Argentoratenſis fuit Ethiconis Sanguis. Sed cùm in lucem ſine luce eſſet edita, deducta eſt Ratisbonam ad S. Erhardum Epiſcopum, ſacro fonte baptismatis ab eo luſtrata, ejusdémq; precibus & virtute curata, cœlum læta aſpexit, à quo deinceps nunquam avertit oculos. Pater in Alſatia ſacrum illi Parthenonem Altionam inſtituit, in quo trecentis triginta ſacris Virginibus facem ad cœlum Antiſtita ſacra prætulit. Vacavit continuis ferè jejunijs, vigilijs, & orationibus. Miſericordiæ opera ut propria habuit, ejusmodi exercitijs viſa mirum in modum delectari. Dono lacrymarum adeò effusè à Deo cumulata eſt, ut planè exundaret, útque non ſine prodigioſo indicio lapidem, cui orans incumbebat, aſſiduo illarum fluento excavârit. Præter innumera, quibus viva & mortua inclaruit, miracula, illud non poſtremum cenſeri debet: Patrem in piaculari igne poſt mortem excoctum precibus exemit, cœlóque purum reddidit.

Animam cœlo transmiſit circa annum 772.

DIE

DIE XIV. DECEMBRIS.

S. ADALBERO EPISCOPUS METENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator.
Ermingardis Uxor Ragaeri Magni Ducis Lotharing.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
	Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.	Ludovicus Transmarinus Rex.
	Henricus I. Auceps Imperator.	Carolus Dux Lotharingiæ.
	Adelheydis Uxor Hugonis Magni Ducis Andium.	Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.
Hugo Capetus Rex Francorum.	Beatrix Uxor Friderici Ducis Lotharingiæ Mosellanæ.	Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij Ducis Lotharingiæ.
	S. ADALBERO Episcopus Metensis.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

NAtus patre Friderico Galliæ Medianæ Duce, matre Beatrice, quæ Magni Hugonis filia fuit, sanguinem acceptum à Majoribus longè illustrissimum reddidit virtutum luce. Nam ut vitæ author ait: *Quocunque veniret, lux quædam venisse, & spes salutis videbatur.* Scholasticis disciplinis apud Gurgitenses apprimè excultus, defuncto Theodorico Metensium Pontifici, adnitente D. Adelheyde Imperatrice, subrogatus est, 17. Cal. Novemb. Anno 984. & à S. Egberto Trevirensium Archiepiscopo consecratus. In hoc culmine constitutum vidisses infimis quibúsque & vilissimis hominibus deferre, se infra omnes æstimare, & tantâ demissione submittere, ut invidorum oculos percellente ejus virtute, dictitarent nonnulli, abjectum potiùs esse Præsulem, quàm modestum. Convivijs delectabatur, sed Sanctorum & Religiosorum Virorum, ut felicem se eo die fateretur, quo cum eis prandere eum contingeret, quibus mundus crucifixus est. Monasteria non pauca Anonym. apud Labbe. To. 1. fol. 670. Bibliothec.

Virorum æquè ac Mulierum aut de novo condidit, aut à prædeceſſoribus condita inſtauravit. Spinalenſi S. Goërici adiecit Clericorum Collegium, ut advenis ægris à S. Goërico ſalutem depoſcentibus præſto eſſent. Ipſe verò, quia proximè caſtrum habebat Epiſcopalis Sedis, ſæpiſſimè accurrit, & peregrinos illos excipiebat convivio, *proprijs manibus vulnera contrectans, & lavans ore & oculis demulcens, Deum in omnibus ſuis operibus laudans.* *Verè loquor* (pergit vitæ Author) *ſeptem diebus huic divino ſervitio cooperator interfui, & proprijs manibus aut lavabam, aut detergebam, dum non minùs centum, aut octogiuta quotidie lavaret, & cibo recrearet.* *Nam dum vulnera ipſa aquâ perfunderentur, tantus vapor tantáque nebula domum, in quâ id fiebat, replebat, ut vix alter alterum videre prævaleret.* *Fœtor etiam intolerabilis erat, ſulphur, & quidquid in odoribus importabile eſt, exſuperans.* *Hæc beatus vir ſine deſpectu, & cum magna cordis devotione peragebat.* Quàm infracto, & conſtanti animo in confeſſu Principum Sacrorum Canonum decreta propugnaverit, longum eſſet percenſere: uti & induſtrias, quibus violatores rerum Eccleſiaſticarum vel coëreuit, vel emendavit, cœteroqui mitiſſimus & iraſci neſcius. *Miſſas & Sacramenta divina ſine cilicio nunquam celebravit: panem cœleſtis myſterij intimis lacrymis irrorabat, potum itidem divinum cum fletu ſemper temperabat.* Vigilias Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Apoſtolorum & præcipuorum Martyrum ſine omni cibo tranſigere conſueverat; diebus verò Quadrageſimalibus ad Monaſteria ſe recipiebat, majore ipſis Monachis abſtinentiâ ſe macerans. Per ejusmodi pietatis aſſidua exercitia fractus tandem viribus, paralyſi, cùm iter agit, corripitur, & vix poſt triduum receptâ loquelâ, inſtantem ſibi ultimam horam prænuntians, Metim deferri petijt, ubi inter accurrentes omnis ſexus & conditionis fideles, crucem formans ſingulis benedicebat. Delatus ad lectulum quidquid auri, argenti aut veſtium pretioſarum ſupererat, Eccleſijs, Cœnobijs, pauperibus illicò diſtribuit, & ad remotiora etiam loca donaria miſit, conquirens undique Patronos, & Sanctos comites itineris, quòd ad patriam cæleſtem ingrediebatur. Exſpiravit 19. Cal. Januarij Anno milleſimo quinto, cùm ſediſſet annos viginti, & menſes aliquot.

Dignus ſanè, quem ſibi in ſpeculum ad imitationem proponant omnes Præſules Eccleſiarum.

DIE

DIE XV. DECEMBRIS.

S. EVERARDUS DUX FOROIULIENSIS.

S. GISLA, ejus Uxor, & S. ALARDUS eorum filius.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

S. Gisla Uxor S. EVERARDI Ducis Forojulienſis.

|

S. Alardus Dux Forojulij.

Carolus Calvus Imperator.

|

Ludovicus Balbus Rex.

|

Carolus Simplex Rex, à quo poſt quatuor gradus Itha Lotharingica Uxor Radepotonis Habſpurgici, magna avia hodiernorum Archiducum.

Acta Synoptica.

LUdovici Pij Imperatoris generum fuiſſe EVERARDUM Ducem Forojulienſem, teſtatur Joannes Bollandus, qui eum coli aſſerit die 16. Decembr. unácum S. Gisla conjuge, & Alardo filio. Sunt qui EVERARDUM attribuant filium Carolo Craſſo Imperatori, quod neſcio an non Chronologiæ repugnet. Condidit S. EVERARDUS Gyſonij in ditione Tornacenſi apud Belgas Cœnobium, ante annos octingentos Canonicis Regularibus, uti notat idem Bollandus, qui etiam ad 16. Decembr. promittit ſe acturum de his tribus Sanctis: legent fortè noſtri nepotes, aut pronepotes.

Bolland. To. 2. Jan. fol. 971.

Henning. p. 1. Germ. fol. 32.

Eâdem DIE XV. DECEMBRIS.

B. MARGARITA MARCHIONISSA MONTISFERRATI.

Habſpurgo-Auſtriacis Sanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

|

Guttha Uxor Wenceslai Regis Bohemiæ.

|

Eliſabetha Uxor Joannis Lucelburgici, Regis Bohemiæ.

|

Carolus IV. Imperator Lucelburgicus.

Sigismundus Imperator.

Eliſabetha hæres regnorum Hungariæ, & Bohemiæ, Uxor Alberti II. Archiducis Imperatoris.

Margarita Ux. Amedæi VI. Comitis Sabaudiæ.

Amedæus VII. Comes Sabaudiæ.

Amedæus VIII. Dux I. Sabaudiæ, qui poſtea Felix Papa V. in ſchismate; Uxor Maria filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ.

|

Ludovicus Dux II. Sabaudiæ.

Philippus Dux Sabaudiæ.

|

Philibertus Pulcher, Dux Sabaudiæ, Uxor Margareta filia Maximiliani I. Imperatoris Auſtriaci.

Catharina Ux. Rudolphi IV. Archiducis Auſtriæ.

Eliſabetha Uxor Alberti cũ Trica Ducis Auſtriaci.

B. MARGARITA Uxor Joannis IV. Marchionis Montisferrati, hunc Theodorum appellat Bucelinus.

Acta Synoptica.

Pingon. in Arbor. Sabaud. Duc.

Hugo Menard.

Arnold. Wion. in ligno vitæ.

Gab. Bucelin in Menolog.

HÆc glorioſa Virago Ludovici Sabaudi Achaiæ Principis filia, Theodorum Palæologum Montisferrati Marchionem maritũ habuit, quem cùm tumulo intuliſſet, Regis Regum amore capta, calcato mundo, ad religioſæ vitæ aſylum provolavit. Voti compos, mirum dictu, quàm illa ſe beatam circumſpexit, ſacrúmque vitæ rigorem delitijs omnibus anteponens, in religioſæ vitæ ſtadio animosè cucurrit, non multò poſt optatum conſequuta bravium. Magnos Dei favores merita, longè latéque celebris habetur poſt obitum, & in poſteris etiam ſæculis celebratur. Claruit Anno Chriſti 1464. Diem ejus natalem hac die 15. Decembr. conſignat Bucelinus.

DIE

DIE XVI. DECEMBRIS.

S. THEOPHANO IMPERATRIX.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ad mentem Henningii.

Luitfridus Comes Habspurgicus.

Ehrentrudis vel Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. Adelheydis Uxor Ottonis I. Imper.

Otto II. Imperator, cujus Uxor ——— Theophania.

Otto III. Imperator.

Basilius Macedo Imperator Orientis.

Leo Sapiens Imperator Orientis, Uxor S. THEOPHANO Thaumaturga.

Constantinus VIII. Porphyrogenitus Imp.

Romanus III. Junior Imperator.

Nexus II. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Germanicus Rex.

Carolomannus Rex Bavariæ.

Arnulphus Imperator.

Luitgarda Uxor Ottonis Ducis Saxoniæ.

Henricus I. Auceps Imperator.

Otto I. Magnus Imperator.

Otto II. Imperator. Uxor ——— Theophania Græca.

Basilius Macedo Imperator.

Leo Sapiens Imp. Uxor S. THEOPHANO Thaumaturga.

Constantinus VIII. Imperator.

Romanus III. Imperator.

Acta Synoptica.

THEOPHANO, & alijs dicta Theophania, Stephania, convixit annis aliquot Leoni Sapienti, sed sterilis, & annis novendecim ante maritum obiit. Ejus honori Leo templum condidit dictum S. THEOPHANIÆ. Fuit verò, ut habent Menæa: *Regio Sanguine orta ex Clarissimis Martinatijs, patre Constantino illustris honorem adepto, Matre Anna.* Vitam ejus nanciscinobis non licuit. Sanctam appellat Bollandus, qui integram vitam pollicetur ad 16. Decembr. legent, qui tunc vivent, cùm prodierit post 40. Annos. DIE

Menæa. Græc. Bolland. To. 2. Feb. fol. 558.

DIE XVII. DECEMBRIS.

S. ADELHEYDIS IMPERATRIX.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex mente Pieſpordij.

Ramprechtus Comes Habſpurgicus.

Guntramus I. Comes Habſpurgicus, à quo cæteri lineâ rectâ Comites Habſpurgici ad hodiernos.

Hugo Comes Habſpurgicus.

Hugobertus Comes Habſpurgicus.

Hugo Dux Burgundiæ Jurenſis.

Conradus Dux Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. ADELHEYDIS Uxor Ottonis I. Imperatoris.

Nexus II. ad mentem Guillimanni & Henningii.

Luitfridus Comes Habſpurgicus filius Guntrami I.

Ermentrudis Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. ADELHEYDIS Uxor Ottonis I. Imperatoris.

Nexus III. ad mentem Lazij.

Hettoprechtus Comes Habſpurgicus.

Ermentruda Uxor Conradi Liberi de Reichenbach.

Hedwigis de Reichenbach, Uxor Rudolphi I. Regis Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. ADELHEYDIS Imperatrix.

Nexus

Nexus IV. ad mentem Gabrielis Bucelini.

Atticus vel Ethico ex Regibus Francorum, Dux Alemanniæ.

- Albericus Dux Alemanniæ & Alſatiæ.
  - Eberhardus Dux Alemanniæ.
    - Warinus Dux Alemanniæ
      - Iſenbardus Dux Alemanniæ.
        - Guelpho I. Princeps Altorffij.
          - Conradus Senior Altorffenſis.
            - Conradus Junior Altorffenſis.
              - Rudolphus I. Rex Burgundiæ.
                - S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.
                  - S. ADELHEYDIS Imperatrix.
- Etho Comes Briſiacæ.
  - Albericus Comes Lebertallenſis.
    - Ottopertus adoptatus ab Hiltrude hæredeHabſpurgica, à quo cæteri Habſpurgici.

Nexus V. ad mentem Chifletij.

Carolus Magnus Imperator.

- Uxor S. Hildegardis.
  - Ludovicus Pius Imperator.
    - Carolus Calvus Imperator.
      - Ludovicus Balbus Rex.
        - Carolus Simplex Rex.
          - Ludovicus Transmarinus Rex.
            - Carolus Dux Lotharingiæ.
              - Ermingarda Uxor Alberti Namurcenſis.
                - Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij.
                  - Itha Uxor Radepotonis Habſpurgici, à quo cæteri omnes ad hodiernos.
- Concubina Regina.
  - Hugo I. Abbas Dux, Burgundiæ.
    - Adelheydis Uxor Conradi Senioris Ducis Burgundiæ.
      - Conradus Junior Dux Burgundiæ.
        - Rudolphus I. Rex Burgundiæ.
          - S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.
            - S. ADELHEYDIS Imperatrix.

Acta Synoptica.

Anon. in fragm. hiſt. ap. Vrſtis. Diethmar. lib. 4. Chronic. Leopold. Bebēburg. Inchoffer. in Annal. Hung ad an. 998. Bucelin. in Menol. ad 16. Decembr. Spond. ad an. 973. Hugo Menard. Theodor. Rhay. in Anim. Illuſtr. ad 16. Dec.

EX S. Rudolpho Burgundiæ Rege ADELHEYDIS nata, primis nuptijs Lothario Italiæ Regi, Hugonis filio copulata, eo defuncto, Ottonem Magnum Imperatorem maritum meruit, felix inter ævi ſui heroinas, quæ & maritum, & filium, & nepotem Cæſares vidit: felix ut matre B. Mathilde, ſic ſocero S. Rudolpho, & conjuge ADELHEYDE Otto Primus; nec infelix Otto II. ſuâ Theophaniâ. In ſummo felicitatis culmine & gloriæ faſtigio ADELHEYDIS demiſſionis ſanctæ tenaciſſima, pauperes Chriſti amantiſſimè fovit, juvit; ampliſſimas divitias in eorum neceſſitates profudit. Nec minor illi cura Eccleſiarum & Cœnobiorum, quorum plurima condidit, & amplis ditavit poſſeſſionibus. Titulis omnibus illum potiorem habuit, quo ſeipſam appellare conſueverat, *Servorum Dei ancillam*, ab aliis dicta *Pauperum Mater*. Ottone marito viam univerſæ carnis ingreſſo, rariſſimo ſummi faſtigij faſtidio, conditâ civitate Olsâ, collectis ibidem Monachis, Schleſenſe ad Rhenum ingreſſa Cœnobium, votis ſe aſtrinxit & egregiâ vitæ ſanctitate proficiens, perpetuo orationis & ſacri rigoris exercitio intenta, ſpeculum virtutum facta eſt univerſo. *Cuius fideli ſervitio* (ut loquitur Diethmarus) *juſta recompenſans præmia Dominus, ad tumbam eius plurima operatur miracula.* Obiit juxta ipſius computum 19. Decembris ſeu 14. Cal. Jan. Anno 998. Hugo Menardus verò & Bucelinus ponunt diem 16. Decembris, & cum his Theodorus Rhay, qui eam his decorat: *Ottonis I. Imperatoris Uxor, & B. Rudolphi Burgundiæ Regis filia, hodie cælitibus annumerata, inſignis Reginæ Cœli Angeliique Comitis exactiſſima Cliens.*

DIE

DIE XVIII. DECEMBRIS.

S. WUNIBALDUS ABBAS HEYDENHEIMENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio Deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici certâ seriè.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum. Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Occidentalium Saxonum.

S. Richardus Rex, Uxor S. Wunna vel Bonna soror S. Bonifacij.

S. Wilibaldus Episcopus. S. WUNIBALDUS Abbas. S. Walpurgis.

Acta Synoptica.

MAjor natu WUNIBALDUS S. Richardi Regis filius, cum patre & Wilibaldo fratre ex Britannis Anglo-Saxonibus profectus, Oceanum trajecit, primúmque in Gallias, inde in Italiam Lucam pervenit, ubi patre sepulto Romam petijt, ibíque prorsus humanæ vitæ curis abdicatis, D. Benedicti familiæ est adscriptus, cùm fratrem Hierosolymas meditantem prosequi per valetudinem non posset. Venit interim Romam magnum Germaniæ lumen Bonifacius Pontifex Moguntius, ejus avunculus, qui eum officiosissimè ad capiendam oneris partem in Germanias invitavit, obtinuítque, ut ad Sacerdotij honorem provectus in Thuringiam se conferret, ubi septem Ecclesijs, quas Cœnobia alij interpretantur, præfectus fuisse narratur. Triennium deinde totum sub Utilone Duce per Bavariam Evangelium dissemina-vit, æternóque merito sibi Noricos obstrinxit. Contemplationis deinde studio, frequentiam hominum fugiens, loco solitario Heydenheimense Cœnobium condidit, eóque se concludens, senio fessus, meritis dives, in propagandæ Monasticæ vitæ perfectione laboravit. Cúmque fidelium devotione opes Cœnobij crescerent, in egentia passim Cœnobia liberalissimum se ostendit, pauperum insuper totas cohortes fovit, hospites benignè excepit, abstinentiæ interim studium discipulis assiduò commendans. Propè Rhenum sedem

Trithem. lib. 3. de viris illust. Ord.

Molan. Indic. Belg. ad 18. Dec.

Canis. Martyrol.

Brusch. de Episc. Germ.

Democharis de Missæ Sacrif.

MS. Cod. Andecen.

Wion lib. 3. ligni vitæ.

Cratepol. de Episc. Germ.

Jac. Gretser de SS. Eystettens. Rader. Bavar. S. To. 3. fol. 35. Gabr. Bucel. Menol. ad 18. Dec.

sedem figere, & Cœnobium condere rogatus, abnuit; quòd delicias, cibósque lautiores, ac vini maximè copiam & præstantiam, quibus Rhenus abundat, fugiendam esse diceret. Obijt 15. Cal. Jan. Anno 760. & admirandis deinde prodigijs ad hæc usque tempora effulsit. E Sacro corpore miranda illicò cælestis odoris fragrantia erupit; campanæ, pulsante nemine, prodigiosè impulsæ sonuerunt, quin & luminaria divinitùs accensa exarsere. Eum Wilibaldus germanus frater Eystettensium Pontifex, digno honore in Oratorio suo condidit: vitam, ut creditur, ipsa S. Walpurga soror conscripsit. Solo eius baculi contactu varia morborum genera profligantur. Invocatâ eius ope, reus ad furcam damnatus, repentè solutis vinculis liber evasit. Conscia miraculorum eius Germania inter præcipuos eum numerat Tutelares.

DIE XIX. DECEMBRIS.

B. MENGOSUS DYNASTA GELDRIÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

B. Lotharius Imperator. — Carolus Calvus Imperator.

Ermingarda Uxor Ragneri Magni Ducis Lotharingiæ. — Ludovicus Balbus Rex, & Imp.

Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici. — Ricuinus Dux Lotharingiæ Moſellanicæ. — Carolus Simplex Rex.

Luitfridus Comes Habſpurgicus, & cæteri usque ad hodiernos Archiduces. — Gotfridus I. Dux Moſellanus Comes Arduennæ. — Ludovicus Transmarinus Rex.

Carolus Dux Lotharingiæ.

Gothelo Dux Moſellanus & Lotharingiæ. — Gerbirga Uxor B. MENGOSI. — Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.

Gotfridus III. Dux, Uxor Agnes Habſpurgica Luitfridi II. filia. — S. Adelheydis Villicenſis. — B. Berthrada — Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

Acta Synoptica.

MEGENGOR, quem alij MEGENGOZ, & MEGENGOSUM, plerique MENGOSUM appellant, Comes Geldriæ, ab authore vitæ S. Adelheydis hoc adornatur elogio: *Sapientiâ, nobilitate, divitijs, exceptóque regimine & prænomine regni, ut Rex ſuo tempore magnus inter principes habebatur.* Uxor eius Gerberga, quæ & Gerberta, *æquè nobiliſſimo germine propagata, filia extitit Ducis cuiusdam nomine Godefridi, tunc temporis magni & incomparabilis Viri. Huic enim nobili matronæ fuerunt quatuor fratres præſtantiſſimi inter univerſos illius temporis primates; quorum unus paterno nomine & honore ſublimatus obiit, legitimæ uxoris & liberorum jucunditate nunquam lætatus: alter verò donatus poſteritate nobiliſſimæ prolis, atavus fuit Henrici nuper defuncti Imperatoris.* Unicum MENGOSUS ex Gerberga filium ſuſtulit, & hunc ipſum

Bertha Mon. in vita S. Adelheyd.

Stangefol. Circul. Weſtphal. lib. 3. initio. f. 225.

Theod. Rhay in Anim. illuſtr. ad 19. Dec.

Nuſſienſ. Canon. Chron. Belg. f. 87.

Boll. To. 1. Feb. fol. 713. & ſeqq.

in bello Bohemico, ac primo illius ætatis flore amiſit. Eo filij caſu monitus Pater, ſuas in tuto opes collocare didicit. Virginum itáque Cœnobium Vilicke ex oppoſito Bonnæ in Ducatu Bergenſi â fundamentis exſtruxit, ac prædijs, reditibúsque dotavit, cui Adelheydem filiam præfecit. Ipſe quoque totâ mente à mundo abeſſe cùm non poſſet corpore, caſtitatem deinceps cum Gerberga ſua colere, lectioni ſacrarum literarum ſe dedere, denique in oculis nil præter mortem, & æternitatem habere cœpit, ne mors imparatum offenderet, quam lætus animo paratiſſimo excepit Anno 1001. die 19. Decembris. Adelheydi filiæ Abbatiſſæ primùm viſus, hæc ei Pſalmiſtæ verba blandiſſimè edixit: *Ecce quomodo moritur juſtus, & nemo recogitat!* tum alteri deinde è Veſtalibus regio cultu fulgens indicavit, MEGENGORIS nomen ſibi mutatum eſſe in MEGENGAUDII, poſteaquam ſcilicet ad æterna gaudia aſſumptus fuiſſet.

DIE

Eâdem DIE XIX. DECEMBRIS.

B. GERBERGA UXOR B. MENGOSI DYNASTÆ.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Hæc eadem eſt, quæ præcedens mariti, ut opus non ſit eam repetere.

Acta Synoptica.

EX radice auguramur de germine, & viceverſa de radice ex germine. Vix enim, aut perrarò mala radix bonum germen, mala arbor bonum fructum parturit, & ex prolibus ferè ſolemus etiam de parentibus divinare. Sanctæ proles Adelheydis & Berthrada in originem ſuam refunderent ſanctitatem, ſi hæc de ſe non foret ſancta. GERBERGA, quæ & GIRBERGA & GERBERTA, ex Mengoſo Geldriæ Dynaſta geminam prolem edidit Sanctorum faſtis adſcriptam. Non potuit talis fructus niſi ex ſancto prodire connubio, niſi aberraret natura, quæ ſemper producere ſolet ſibi ſimile. Nomen GERBERGÆ intulit Martyrologio Colonienſi Hermannus Greven Cartuſianus ad diem 5. Febr. in additionibus ad Uſuardum his verbis: *Alheidis & Berthradæ Virginum, & GERBERTÆ matris earum.* Idem legere licet apud Aubertum Miræum, qui diſertè S. Adelheidis matrem nominat B. GIRBERGAM. Quibus ſubſcribere libuit, dum certiora nanciſcamur. Bollandus in diſcernendis Sanctis & Beatis, qui cultum Eccleſiaſticum obtinuerunt, ab alijs qui eo carent, accuratus, licèt aſſerat non conſtare Berthradæ & matri Gerbergæ *Sacros honores unquam habitos, etſi ſit ambarum ſatis ſupérque teſtata pietas.* nihilominus addit: *Sanctam parens uterque* (nimirum ſanctæ Adelheydis) *ſed in ſeculo vitam egit: unus in priſtina præfectura, altera Villicæ quidem, ſed abſque ſanctimoniæ proprio habitu aut profeſſione.* Nihil id obſtat ſanctitati, quia habitus nec Monachum facit nec Sanctum, ſed animus. Ab alijs majus GERBERGÆ elogium exſpectamus.

Greven. in add. ad Uſuard. Miræ. in Faſt. Belgic. Chron. Colon. ap. Boll. To. 1. Feb. f. 593. & 713. Stangefol. Anal. Circ. Weſtphal. fol. 225.

DIE

DIE XX. DECEMBRIS.

S. WELFRIDUS ABBAS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Fuit ex familia Comitum de Calva oriundus, in quorum Geneſi apud Henningem & Bucelinum mancâ non reperitur. Verôſimile eſt, quòd fuerit filius Adelberti vel Adalberonis, frater Leopoldi & Ithæ Guntramo Habſpurgico nuptæ, quia tempora illi prorſus conveniunt. Sic diſponerem Geneſim.

Erlafridus Comes de Calvu.
|
Erlafridus II. Comes de Calvu.
|
Adalbero Comes Calvuenſis.

Itha Calvuenſis Uxor Guntrami II Comitis Habſpurgici An. 950. qui fuit avus Radepotonis.	S. WELFRIDUS Abbas I. Duellij circa Annum 926.	Lupoldus Comes de Calvu.
		Adalbero II. Comes de Calvu, Uxor Wiltrudis Habſpurgica.

Acta Synoptica.

WELFRIDUS, ſive WALFRIDUS Comes de Calvu & Nagolts, illuſtri ſanguine, ſed longè illuſtrior vitâ & ſanctitate emicuit. Is Monaſterium Montis Duellij vulgo Hochenwiel, primus eiusdem Abbas, ſanctiſſimus ſuis meritis quaſi dedicavit ac celebre reddidit. Effulſit magnâ miraculorum gratiâ, inter alia lagenulam, cui benedixerat, inexhauſtâ atque perpetuâ olei abundantiâ plenam Fratribus reliquit, quam conſtat multo ſeculorum decurſu, gratiâ illâ, ad usque hæreticorum noſtræ ætatis tempeſtatem, nunquam deſtitutam. Gloriatus eſt ante Suecicæ inundationis cladem hæreticus Wirtenbergij Ducis Miniſter, eandem lagenulam inexhauſtam etiamnum Duellij aſſervari: nos fidem (ait Bucelinus) penes authorem ſuſpectiſſimæ eoipſo fidei, quia hæreticus eſt, relinquamus. Claruit vir ſanctus circa annum 926. vel paulò antè. Diem natalem 20. Decembris aſſignat Menologium Benedictinum.

DIE

DIE XXI. DECEMBRIS.

S. EDBURGA V. ABBATISSA. DORDMUNCASTRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Charibertus Rex Parisiorum.

Blithildis Uxor Ansberti Ducis Mosellani, à quo Carolingi & Habspurgici.

Adilbertha Uxor S. Ethelberti Regis Cantiorum.

Eadwaldus Rex Cantiorum, Uxor Emma ex Regibus Francorum.

Ercombertus Rex Cantiorum.

Pendan Rex Merciorum.

S. Ermenilda, cuius maritus — Wulpherus Rex Merciorum.

S. EDBURGA V.

Acta Synoptica.

PLures hoc nomine Sanctæ occurrunt in Martyrologijs, & hæc ferè confunditur cum alia Edburga Wigornienſi Abbatiſſa. Fuit verò EDBURGA, de qua hîc agimus, filia Pendæ Regis Merciorum, ſoror Sanctarum Kineburgæ, Kinesdredæ, & Kineswithæ, quæ ad Monaſterium Dordmuncaſtrenſe ſub diſciplinam S. Kineburgæ ſororis ſe contulit, eidémque poſteà in Abbatiſſæ munere ſucceſſit, vixítque usque ad annum 680. ibidem apud ſororem tumulo illata. Meruit adſcribi Sanctis, & olim in Anglia dies 21. Decembr. illi ſacra fuit.

Arnold. Wion. in ligno vitæ. Bolland. To. 1. Martij f. 447.

Eâdem DIE XXI. DECEMBRIS.

S. MEINRADUS AUGIENSIS M.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Fuit natus ex Comitibus Zolleranis de Sulgovu, ut habet Bucelinus. Quia verò majores & primos Zolleranos Comites nullus hactenus, quod ſciam, in Genealogicum ordinem adhuc digeſſit, ſuffecerit hoc loco illorum cum Habſpurgo-Auſtriacis cognatio, quæ ſic habet.

Danckho Comes Zolleranus Dominia habuit in Suevia Anno 840. cujus fortè frater aut patruelis fuit S. MEINRADUS. Poſt plures verò intermedios gradus.

Fridericus III. Comes Zolleranus.

Albertus Comes Habſpurgicus Landgravicus Alſatiæ.

Eitelfridericus I. Comes Zolleranus, cujus Uxor — Agnes Habſpurgica. — Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus.

Acta Synoptica.

Bucelin. in Menolog. ad 21. Januar. & Conſtant. Chronol. ad ann. 810. &c. Annal. Einſidlen. Herm. Contract. Chron. Auguſt.

QUinquennis MEINRADUS in Augiam Divitem Benedictinorum Cœnobium miſſus Anno 810. Hayttoni Abbati Comiti Zollerano cognato eſt commendatus, ubi Erlebaldo Monacho Magiſtro uſus, inſignes adeò in literis fecit progreſſus, ut inter Magiſtros & Profeſſores eius loci accenſeretur, vitâ & doctrinâ diſcipulis prælucens. Quietis poſteà & ſolitudinis amore captus in eremum ſeceſſit, ubi cum inferis multoties feliciter conflixit, Angelico plerúmque recreatus aſpectu & ſolatio. Latrones ad ſe mactandum venientes, non ignarus eorum intentionis, humaniter excepit, potu cibóque refecit, & cucullum cum tunica eis tradidit: *Hoc*, inquiens, *de manibus meis percipite, meditato autem opere expleto, poteſtis quælibet per vos tollere. Interim hoc me quæſo beneficio afficite, ut corpuſculum meum duabus accenſis candelis honoretis.* Cæſus, & jugulatus ab ingratis, mox inſignibus à Numine prodigijs cœpit clareſcere, mirâ nimirùm cœleſtis odoris fragrantiâ, quæ aromatum omnium odorem ſuperaret, lumine item, quod accendi petierat, prodigiosè accenſo: cæterùm tanto terrore perculſis latronibus, ut Sacra altaris vaſa intacta relinquerent. Corvi, quos nutrierat, irremiſſo crocitatu & impetu impios perſecuti ſunt, quoad mirandâ illâ infeſtatione proditi, ſuſpecti, capti, examinati, confeſſi, dignas parricidio pœnas exſolverunt. Paſſus eſt Anno 860. vel ut alibi ait Bucelinus, 863. in Sanctorum numerum relatus.

Diem eius obitûs reponit idem Bucelinus in Conſtantia ſua Rhenana 21. Decembr. at in Menologio 21. Januarij.

DIE

DIE XXII. DECEMBRIS.

B. JUTTHA SPONHEIMENSIS.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Fuit hæc proamita B. Margaretæ Sponheimenſis, de quâ egimus ſuprà die 16. *Novembris, ex familia Francorum Sponheimenſium Comitum, quorum aliquos S. Hartwicus Salisburgenſis Archiepiſcopus in Carinthiam induxit. Ubi & Ducatum aſſecuti, & Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine conjuncti fuerunt. Quomodo autem Francones cum Carinthis connexi ſint, nondum licuit deprehendere, videatur dies* 8. *Decembr. Interim hic fragmentum appono. Connexionem cum Habſpurgo-Auſtriacis vide in S. Hartwico, die* 8. *Novembr.*

Craffto Comes Sponheimenſis circa Annum 1100. in Franconia. Fortè frater aut patruelis Friderici & Hartwici.

Fridericus Comes de Sponheim Anno 1100. in Carinthia. Frater S. Hartwici Archiepiſcopi.

Meginhardus Comes de Sponheim. — B. JUTTHA Monialis Obijt Anno 1136.

Craffto II. Comes ex Sponſo Monachus Anno 1149. — Meginhardus II. Comes de Sponheim. Uxor N. — B. Hiltrudis Monialis.

B. Margareta Monialis Anno 1190. — B. Ida Monialis Anno 1190.

Acta Synoptica.

VErbis Trithemij encomium JUTTHÆ exhibeamus. Anno qui fuit Dominicæ nativitatis 1136. Undecimo Cal. Januarij, obijt ſanctæ memoriæ JUTTHA Virgo Chriſti devotiſſima, ſoror Meginhardi Comitis de Sponheim, Fundatoris Monaſterij Sponheimenſis, quæ pro Chriſti amore 24. annis in monte S. Diſibodi, cum quibusdam aliis nobilibus & ſanctis Virginibus incluſa, vitam duxit Eremiticam. Fuit autem incluſa Anno Domini 1112. & aliæ tres cum ea, videlicet S. Virgo Hildegardis, quæ poſteà Monaſterium fundavit Monialium in monte Ruperti, in eo loco ubi Nahos influit Rhenum civitati Bingionum quàm proximo; JUTTHA filia fratris ſui, & alia eiusdem nominis Virgo. Numerus autem Virginum ſub eius Magiſterio crevit, & quamdiu illa vixit, S. Hildegardis ab eius latere non receſſit. Hæc ſancta mulier inter alia ſanctitatis ſuæ miracula aquam mutavit in vinum, & aquas Glani fluminis ſiccis pedibus tranſivit. Sepulta eſt in præfato Monaſterio S. Diſibodi, quod eo tempore erat Ordinis Benedictini, in quo & ipſa ſanctæ converſionis habitum aſſumpſerat: cuius vitam, mores, geſta, & miracula habentur diligenter conſcripta. S. Hildegardis verò poſt eius obitum cum 20. Virginibus ad novum Monaſterium S. Ruperti Montis tranſivit, ut habet eius vitæ Author. JUTTHAM Sanctæ appellatione honorat Theodorus Rhay, aitque *inter Beatarum mentium plauſus cœlum adiiſſe.*

Trithem. Chron. Hirshaug. fol. 164. Bucelin. Menolog. ad 22. Dec. Franciſc. Haræ. in vita S. Hildegard. Theodor. Rhay. in animad. Illuſtr. ad 21. Decem.

DIE XXIII. DECEMBRIS.

B. AGNES IMPERATRIX, HENRICI III. AUGUSTI CONIUNX.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Transmarinus Rex.

- Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
  - Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.
    - Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.
      - Henricus III. Imperator. Uxor B. AGNES Aquit^na.
- Carolus Dux Lotharingiæ.
  - Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
    - Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lotharingiæ.
      - Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo exteri omnes usq; ad hodiernos Archiduces.

Nexus II. Geminus.

Ludovicus Transmarinus Rex Carolingus.

- Mathildis Uxor Conradi Regis Burgundiæ.
  - Gerberga Uxor Hermanni Ducis Sueviæ.
    - Giſela Uxor Conradi Salici Imperatoris.
      - Henricus III. Imp. Uxor B. AGNES.
        - Agnes, cujus maritus —— Agnes Uxor Bertholdi Habſpurgici Ducis Zaringiæ.
- Carolus Dux Lotharingiæ.
  - Ermingardis Comitiſſa Namurcenſis.
    - Hadwidis bis nupta fuit.
      - Primus maritus Chuno Comes Rhynfeldenſis.
        - Chuno II. Comes Rhynfeldæ.
          - Rudolphus Rhynfeldenſis Imperator.
      - Secundus maritus Gerardus Alſatius, Dux Lotharingiæ.
        - Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici.
          - Wernerus I. Comes Habſpurgicus.

Tacta

Acta Synoptica.

GUlielmo Pictavorum Comite, an Aquitaniæ Duce, nata AGNES Henrico III. Imperatori elocata, prolem degenerem enixa eſt Henricum IV. Romanæ ſedis perſecutorem, ipſa conſtantiſſima cultrix eiusdem ſedis. Marito fatis erepto tutelam geſſit & Filij, & Imperij. Diſplicuit Proceribus à fœmina regi, quæ Henrici Auguſtani Epiſcopi conſiliis uteretur. Accendit invidiam, quod debuiſſet amorem; lacerata Imperatricis fama, abſtractus immaturè ab eius diſciplina filius, quaſi nihil virile addiſcere poſſet à fœminâ, multis viris anteferendâ. Imperatrix avulſo à ſe filio, etiam Regni curas depoſuit, ac primùm Fruteriam, agri Taurinatium Monaſterium adiit, ibi (ut Bucelinus vult) ſacro flammeo velata, quod vix credibile, cùm paulò pòſt Romam profecta, illic in ſumma vitæ ſanctitate annos ampliùs viginti traduxerit, exemplum ævi, quod in ſui admitationem rapuit. Petro Damiano viro ſanctiſſimo peccatorum ſuorum expiatore uſa, qui afflictam ſæpè per ſe, ſæpè per Epiſtolas eſt conſolatus, quando illam nunc ad injuriarum tolerantiam, nunc ad rerum omnium humanarum contemptum hortabatur. Mirè illam commendat ipſe Damianus, multa differens de eius pietate ac devotione cum vitæ auſteritate conjunctâ. Cardinalis quoq; Baronius: *Quæ quidem*, inquit, *de virtute in virtutẽ calle Chriſtianæ vitæ perfectioris incedens, indies ſancti r, Deo ſponſo cœleſti pulchrior reddita, &c. fine non diſpari tanto principio, quievit in Domino.* Et rurſum: AGNES Auguſta mater Henrici Regis, perſeverans in vitæ ſanctiſſimæ inſtituto excubandi ſacra limina Apoſtolorum Romæ in Laterano decimaquarta die menſis Decembris feliciter ex hac vita migravit, atque in Laterenſi Baſilica ad tempus ſepulta; poſt dies autem virginti duos translata eſt ad Baſilicam S Petri apud S. Petronillam. Epitaphium ei poſitum exſcripſit Vegius Antiquitatum Baſilicæ Vaticanæ conſervator.

Baron. ad an. 1077. Berthold. Conſtantien. Urſperg. in Chron. Rader. Bavar. S. To. 3. fol. 123. Bucelin. Menolog. ad 23. Dec. Albert. Stadenſ. Albert. Crantzius. Carolus Signon. Lamb. Schaffrabrugus. Theodot. Rhay in animab. illuſtr. ad 14. Decemb.

ANNO MLXXVII. AB INCARNAT. DOM. NOSTRI JESU CHRISTI. INDICT. PRIMA. ANNO V. PONTIFICATUS DOMINI GREGORII PAPÆ SEPTIMI. AGNES IMPERATRIX AUG. POST MORTEM VIRI SVI HENRICI IMP. III. ANNO XXII. DIE XIV. MENSIS DECEMBRIS, ANIMAM BONIS OPERIBUS FÆCUNDAM LATERANIS, SALVATORI SUO ATQUE OMNIUM BONORUM DEO AUCTORI REDDIDIT. ET HIC UBI ANTEA MILITAVERAT CLAVIGERO CÆLI, PRO CUIUS AMORE IBIDEM PEREGRINATA FUERAT. QUINTA DIE MENSIS JANUARII, EXSPECTANS SPEM BEATÆ RESURRECTONIS, ET ADVENTUM MAGNI DEI, MEMBRA CARNIS COMMENDAVIT IN PACE. AMEN.

Dies eius natalis, uti ex Epitaphio liquet, eſt dies 14. Decembr. Bucelinus tamen in Menologio eum retulit ad 23. ejusdem. Beatæ titulo donatur ab eodem Bucelino & Radero. Theodorus Rhay Sanctam appellat cum hoc elogio: S. AGNES *Imperatrix Gulielmi Aquitaniæ Ducis filia, Henrici IIII. huius nominis conjunx, quæ licet omni virtutum genere emineret, præcipuè tamen liberalitatis nomine erga pauperes commendata eſt; & poſt fata miraculorum gratiâ eluxit.*

Eâdem DIE XXIII. DECEMBRIS.

VEN. HILDEGARDIS ABBATISSA TIGURINA.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperatot.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Carolus Calvus Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ
|	|
Ludovicus Balbus Imperator, à quo post 5. gradus Habspurgici.	Venerabilis HILDEGARDIS Abbatissa Tigurina.

Acta Synoptica.

Bucelin. Menol. Benedict. ad 23. Decem. & in Constantia Benedictina.

POtentissimum olim fuit Virginium in civitate Tigurina, quod sub Annum 833. fundavit Ludovicus Germaniæ Rex, Ludovici Pij Imperatoris filius. In hoc sub regula D. Benedicti vixerunt duæ eius filiæ HILDEGARDIS & Bertha, quæ etiam in Abbatiali dignitate sibi invicem successerunt. De HILDEGARDE hæc habet Bucelinus: *Pietatis & humilitatis egregiæ exemplo velut fundamento, locum sanctè fundavit, & mirè exornavit.* Refert eam in suo Menologio inter Venerabiles ad diem 23. Decembr. Bucelinus, cui subscribo.

DIE

DIE XXIV. DECEMBRIS.

S. IRMINA ABBATISSA HORRENSIS.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.

Chilpericus Rex Francorum.

Clotarius II. Rex Francorum.

Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo Carolingi & ex his Habspurgici certâ & indubitatâ serie.

Dagobertus Magnus Rex.

S. Sigebertus Rex.

S. Dagobertus Rex Martyr.

S. IRMINA Abbatissa Horrensis.

Acta Synoptica.

DAgoberto Magno plerique IRMINAM credidêre progenitam; sed Dagoberto II. Sancto eam deberi, luculenter probant Henschenius & Papebrochius. Fuit illa primis adolescentiæ annis principi cuidam Hermanno desponsata, quo in ipsis nuptialibus præludiis mortuo, cùm IRMINAM flentem vidisset pater Dagobertus, blandè solari, & alium illustriorem sponsum polliceri cœpit: sed longè aliter affecta Virgo: *Ego*, inquit, *genitor amande, nedum ditiorem potentioremve priore sponsum elegi, sed omnibus dominantem, potentissimum Regem Christum, æterni Patris Filium, cui me devovi, cuius servitio me mancipabo.* Non potuit religiosissimus Rex Filiæ propositum non probare, quin potiùs promovit, & illustre Virginium ei condidit. Illud honori magnæ Virginis unicæ Tutelaris suæ sacrum esse voluit IRMINA, & Horreum appellavit, ubi plurimas genere & virtute illustrissimas Virgines congregans, earum primam egit Abbatissam. Ferventissimo Dei amore succensa, mira & stupenda in laudis divinæ augmentum excogitavit. Delicatissimum corpusculum durè tractans, multis jejuniis & afflictionibus macerabat. Orationis studio tantoperè dedita, ut totas in ea noctes transigeret. Familiarem habuit S. Wilibrordum Frisiorum Apostolum, quem amantissimè coluit, eiúsque ut spiritus Magistri directione est usa. Decessit ex hac mortali vita ad immortalem Anno 710. die 24. Decembris, cùm Regularis disciplinæ rigorem, non tam verbo, quàm exemplo suis solicitè commendâsset. Eius sacrum corpus post multos annos de sepulchro levatum, integrum repertum est, & ab omni corruptione immune. Cœnobium Epternacense, quod S. Wilibrordus construxit, IRMINÆ liberalitati debetur, conditum Anno 701. cùm ipsa esset annorum octo & triginta. Vixit itaque annis 47. cùm anno 710. decesserit.

Henschen. Exeg. Prælim. ad To. 3. Martij. & in Diatriba innovata. ad To. 3. April.

Theofrid. Epternac. in vita S. Irminæ.

Bucelin. Menol. ad 24. Decem.

Masen. Epitom. Trevirens. fol. 165.

DIE

DIE XXV. DECEMBRIS.

S. ALSENDIS VIRGO.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Richomerus Princeps, Uxor S. Gertrudis, filia Ducis Theodobaldi.

|

Gerbertha alijs Gerbirga, Uxor Ægæ vel Ægani, Majoris Domus ſub Dagoberto.

Erchinoaldus Clodovei II. Præfectus Palatij.

|

Lendiſius Major Domus Regiæ. Uxor N. ex ſanguine S. Sigismundi Regis.

|

Atticus vel Ethico Dux Alſatiæ & Alemanniæ. Uxor Berſuindes ſoror Bilhildis Reginæ

S. Adalbaldus Dux Duacenus. Uxor S. Rictrudis.

|

S. ALSENDIS vel Adelſendis cum SS. Sororibus.

Adelbertus vel Albericus Dux Alſatiæ.

|

Luitfridus Dux Alſatiæ & Alemanniæ. Uxor Hiltrudis Habſpurgica, hæres Comitatus ſine prole.

Etho Comes Briſiacæ.

|

Albericus Comes Leberthallenſis.

|

Ottopertus adoptatus ab Hiltrude, authore ſecundæ familiæ Habſpurgicorum.

Acta Synoptica.

Hucbald. Mon. in vita S. Adalbald.

Bolland. To. 1. Feb. fol. 295. & 299.

Bucelin. Menol. ad 24. Dec.

EX ſanctiſſimo connubio Adalbaldi & Richtrudis prodiêre quatuor ſanctæ proles S. Maurontus, S. Clothſendis, S. Euſebia, & minima natu S. ADALSENDIS vel ALSENDIS, quarum Euſebia apud S. Gertrudem proaviam in Hammaticenſi Cœnobio educata eſt, ADALSENDIS verò, in Marchionenſi Parthenone, poſt obitum patris unácum matre S. Rictrude, contemptis ſeculi pompis, Chriſtum ſibi ſponſum deligens, ſanctiſſimè vivens, ad cœleſtes delitias ante matrem evocata eſt, circa annum Chriſti 680. die hac 25. Decembris. De matre loquens Bollandus, ait: *Vitam Monaſticam apud Marchianenſes auſpicata, tres etiam filias ſuas in ætate adhuc tenera, uni deſpondit Chriſto.* Et Hucbaldus Monachus: *Fuit eis* (Adabaldo & Rictrudi) *primogenitus nomine Maurontus, poſtea Abbas & Levita Sanctus, & filiæ tres ſacræ Virgines: Clothſendis poſt obitum matris eius Monaſterij rectrix, ſecundùm interpretationem ſui nominis: poſt has quoque* ADALSENDIS. *Quos cùm eſſent parentes eorum juſti, & per ſe ipſos, & per familiares ſervos Dei, educaverunt & erudierunt in timore Domini, auctos ab infantia benedictione cœleſti.* Hæc ille: neque nobis plura occurrunt.

DIE

DIE XXVI. DECEMBRIS.

B. EDITHA IMPERATRIX.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Nexus I. ex Carolingis.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Ludovicus Rex Germaniæ. — Carolus Calvus Imperator.

Carolomannus Rex Bavariæ. — Ludovicus Balbus Rex.

Arnulphus Imperator. — Carolus Simplex Rex.

Luitgarda Uxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ. — Ludovicus Transmarinus Rex.

Henricus Auceps Imperator. — Carolus Dux Lotharingiæ.

Otto I. Magnus Imperator, Uxor I. B. EDITHA Imperatrix. — Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcensis.

Hadwidis Uxor Gerardi Alsatij.

Itha Uxor Radepotonis Comitis Habspurgici, à quo cæteri.

Nexus II. ad mentem Henningis.

Ermentrudis filia Luitfridi, Comitis Habspurgici, Uxor Conradi Ducis Burgundiæ.

Rudolphus I. Rex Burgundiæ.

S. Rudolphus II. Rex Burgundiæ.

S. Adelheydis Uxor II. Ottonis I. Imperatoris, cujus Uxor prior fuit B. EDITHA.

Nexus III.

Alfredus Rex Angliæ — Ludovicus Balbus Rex Francorum, Caroli Magni pronepos.

Eduardus Rex Angliæ. — Edgina, cujus maritus — Carolus Simplex Rex.

Edmundus Rex Angliæ, Uxor S. Elgiva. — Ludovicus Transmarinus Rex.

B. EDITHA Imperatrix. — Carolus Dux Lotharingiæ, cujus filia Ermingardis Namurcensis, neptis Hadwidis Lotharinga, proneptis Comitis Habspurgici, à quo cæteri ad hodiernos Archiduces.

Acta Synoptica.

Sponda. ad an 947. Hen. p.2. Germ. fol. 4. Widekind. lib. 2. Henſchen. To. 2. Martij fol. 366. Theod. Rhay. in Anim. Illuſtr. ad Geneal. D. Richetzæ.

ORta eſt EDITHA ſeu ÆDITHA ex Angliæ Regibus, Edmundo patre, ſoror Adelſtani Regis, nupta Ottoni Imperatori Magno Anno 928. cui novemdecim annis convixit. Cum Imperio mortalem vitam deſeruit Anno 947. ſeptimo Cal. Februarij, *Regina* (ut Spondanus habet) *ſanctitate præclara, quam poſt obitum claruiſſe miraculis Diethmarus eius temporis ſcriptor affirmat.* Sepulta eſt Magdeburgi in Oratorio Aquilonari Eccleſiæ Cathedralis. Eius potiſſimùm hortatu & operâ Otto maritus cum matre B. Mathilde reconciliatus fuit; & actam in exilium magno cum pœnitentiæ ſuæ ſenſu revocavit. Widekindi verba de EDITHA apponamus: EDIDIS *Reginæ dies extrema 7. Cal. Februarij celebrata eſt cum gemitu & lacrymis omnium Saxonum. Hæc nata ex gente Anglorum, non minùs ſanctâ Religione quàm Regali potentiâ pollentium ſtirpe claruit. Decem annorum regni conſortia tenuit, undecimo obijt. Saxoniam verò decem & novem annis inhabitavit.* Erat tunc Luitholphus eius filius 16. annorum, ex quo concludit Henſchenius, EDITHAM Imperatori nuptam Anno 928. Luitholphum verò natum 929. vel ſequenti. Beatam appellat Theodores Rhay, cui ſubſcribo.

DIE

DIE XXVII. DECEMBRIS.

S. GULIELMUS MAGNUS EREMITA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine junctus.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.
|
Ludovicus Pius Imperator.
|
Carolus Calvus Imperator.
|
Ludovicus Balbus Rex.
|
Carolus Simplex Rex.
|
Ludovicus Transmarinus Rex.

Albrada Uxor (ſecundum Cheſneum) Rageneldi Comitis Rouciani.
|
Ermentrudis Uxor Ottonis, dicti Gulielmi Ducis & Comitis Burgundiæ.
|
Agnes Uxor Gulielmi IV. Ducis Aquitaniæ.

Carolus Dux Lotharingiæ.
|
Ermingardis Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
|
Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij Ducis Lothatingiæ.
|
Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici, à quo cæteri ad hodiernos.

S. GULIELMUS Eremita.

B. Agnes Imperatrix, Uxor Henrici Imp. filij.

Alios nexus vide in B. Agnete Imperatrice ad 23. Decembr.

Acta Synoptica.

INgentia ſcelera GULIELMUS pari pœnitentiâ plectere conſtituit. Petri Leonis Pſeudo-Papæ veſtigia ſecutus, Leones immanitate præcurrebat. Conjugio fraternæ uxoris non impar Herodi, cœnabat unus, quod octonis in cibum ſufficeret. Ad duella non invitabat, ſed cogebat obvios, neque jam Ducem ſe Aquitaniæ putabat, niſi factionis quoque, quæ contra Innocentium Pontificem legitimum pugnabat, Dux eſſet. Mellea verba Bernardus Claræ-vallenſis ingeſſerat, fel merum retulit; minas addidit, majores audivit. Nam Bernardus Leonem indutus, ex Leone ovem fecit. Ergo ſecundùm divina, ſacrâ hoſtiâ manum armatus, ad præſtolantem pro templi foribus progreditur, & voce plusquam humana, *Hoc*, ait, *etiam contemnes improbe!* Non erat hoc loqui, ſed fulminare. Obſtupefactus voce hominis, cedit DEO: corruit humi ferox, & qui nulli antehac victas manus dederat,

Andr. Brunn. in faſt. Maſcul. Encom. Theobald. in vita. Sylvius. Sutius. Haræus in vita. Bolland. To. 2. fol. 435.

Bachet. Parodin. Sauſſay. Myræus. Renat. Choppin. lib. 1. Monaſtic. tit. 1. num. 6. &c. Hartmañ. Schedel. f. 203. Naucl. in Chron. fol. 3. generat. 41. Theod. Rhay in Anim. illuſtr. ad 10. Feb.

derat, Bernardo dedit. Miratur Aquitania, quòd Dux purpuratus expalluit, quòd fatalis Italiæ terror expavit: vacant jamjam ſigna legionum & aquilæ. GULIELMUS anachoretæ conſilio nudum corpus & caput loricâ & galeâ abſcondit, longè maximum hoſtem ſic expugnaturus. Talis ad Innocentium Pontificem, inde Hieroſolymam tendit: ibi factus eſt Petro Leonis diſſociabilis, cùm factus Leonum ſocius, antrum lacrymis implet & gemitibus, qui cælo repulſi audirentur. Sub hæc patriam repetens, dum ex itinere caſtro expugnando operam vult locare, à via ſalutis penè exerrat cœcus. Tamen eâdem nocte in viam redit, recipitque, quos iterum lacrymis concedat oculos. Mox ſolitudines montésque mutat, & à cacodæmone, qui patrem mentitus, fruſtra ad vitam veterem revocabat, verberibus immanibus cæditur. Medicinam verò fecit Virgo magna, ut tanti jam vulnera faceret GULIELMUS. Ultimò in ſtabulo Rhodis obijt, feliciùs utique quàm in palatijs vixerat. Natalem diem ejus 10. Februarij occupat, nos ei 27. Decembris hæc ſcripſimus. Plura ſuggeret Bollandus, qui accuratiſſimè diſcrevit ab invicem plures GULIELMOS confuſos in unum.

DIE XXVIII. DECEMBRIS.

B. ATHELA ABBATISSA PALATIOLI.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Clotharius Magnus Rex Francorum.

Sigebertus Rex Austrasiæ, à quo communis opinio deducit Habspurgicos.	Chilpericus Rex Francorum.	Blithildis Uxor Ansberti Senatoris, à quo rectâ & indubitatâ serie Carolingi, ex his Habspurgici.
	Clotharius II. Rex.	
	Dagobertus Magnus Rex.	
	S. Sigebertus Rex.	
	S. Dagobertus II. Rex Martyr.	

B. ADELA, vel ATHELA, Abbatissa Palatioli.	S. Irmina Abbatissa Horreensis prope Treviros.

Acta Synoptica.

BADELAM filiam fuisse Dagoberti II. Regis & Mart. probat Henschenius in Diatriba, & alibi: anteriores authores eam Dagoberto Magno attribuerunt. Ex legitimo matrimonio genuit Albericum, patrem S. Gregorij Administratoris Ultrajectini ab Anno 754. ad 776. ex cujus uno fratrum natus fuit S. Albericus patrui Gregorij in Episcopatu successor usque ad annum 784. ATHELA marito viduata, Palatiolum Cænobium de suis facultatibus condidit, cui semetipsam inclusit prima Collectarum Virginum Abbatissa. Ex ejus testamenti tabulis colligitur, quod omnium bonorum suorum hæredem instituerit Palatiolensem Ecclesiam, plerisque bonis à Pipino majore Domûs permutatione acquisitis: solam quadraginta jugerum insulam Mosæ fluminis Alberico filio reservavit, adeóque raro parentum exemplo, in partitione hæreditatis, majorem Dei, quàm filiorum curam gessit. Eadem ATHELA Apostolicum virum S. Bonifacium excepit hospitio, ejúsque disciplinæ commisit S. Gregorium nepotem suum, quantum postea Virum! id anno 720. factum censet Masenius, decennio tardiùs arbitratur Papebrochius. Tandem post vitam sanctè exactam, in præfato Parthenone Palatioli migravit ad superos, circa annũ 733. non verò 700. ut vult Bucelinus, quia adhuc Anno 731. donationem aliquam fecisse legitur Palatiolo, Anno 12. Theodorici Regis, ut notat Papebrochius agens contra Masenium. Beatæ titulum ei tribuit Bucelinus, quin & Masenius, quamvis hic videatur duas Adelas agnoscere, unam fundatricem Dagoberti I. filiam, & alteram Beatam Palatioli Abbatissam, ad annum 690.

Henschē. To. 3. Mart. Exeges. & To. 3. April. in Diatrib. innovat.

Papebroch. To. 2. April. in Propylæo. Antiquar. cap. 1.

Masen. Epitom. fol. 174.

Bucelin. Menol. ad 28. Dec.

DIE XXIX. DECEMBRIS.

B. ELISABETHA POLONA.

Habſpurgo-Auſtriacis ſanguine juncta.

GENEALOGIA.

Rudolphus I. Imperator Habſpurgicus. — Boleslaus Pudicus Rex Poloniæ.

Clementia Habſpurgica, Uxor Caroli Martelli Principis Salernitani. — Uladislaus Locticus Rex Poloniæ.

Carobertus Rex Hungariæ, ——— B. ELISABETHA Princeps Poloniæ.

Acta Synoptica.

Wadding. Lucas. in Annal. Mino. Mariana lib. 5. c. 3. Pzov. in Annal ad an. 1378. n. 4. Freyſtein in Chron. Hungar. Simon de Keza. in hiſt. Polon. Bonfin. in Annal.

CAROLO II. dicto etiam Caroberto nupta ELISABETHA juvenis maritum vitâ functum deſeruit, tota deinceps pietatis exercitijs intenta. Anno 1343. ad viſendum Andream filium deſignatum Regem Neapolitanum profecta, redux Romam divertit, ſacra Apoſtolorum limina veneratura. Ad tertium ab urbe lapidem univerſus populus, Sacerdotum & Senatorum ordo certatim in occurſum effuſus eſt, Optimates urbis, præſertim Urſini & Columnenſes, ad humanitatis officia properârunt. Obſtupuit qui eam vidit, in comitatu ornatiſſimo religiosè modeſtam, & inſignia ſanctitatis argumenta ſpirantem, cùm per ipſum iter ab orationibus non ceſſaret, profuſas interim eleemoſynas egenis diſtribuens. Urbem ingreſſa, fauſtiſſimis matronarum Romanarum acclamationibus ſalutata eſt. Plebis verò una vox fuit: *Reginæ Hungariæ feliciter! Andreæ Regis pientiſſimæ parenti feliciter! Matronæ ſanctiſſimæ feliciter!* Certè non ſacra peregrinatio, ſed ſanctitatis triumphus videri potuit hic Urbis ingreſſus. Ad D. Petri Baſilicam Pontifex cum frequenti Collegio Sacerdotum eam excepit. Ad magnam Salvatoris aram deducta, ingens Numini donativum obtulit, ſacras veſtes margaritis excultas, vaſa, candelabra aurea gemmatáque, & cætera id genus: quatuor inſuper mille ſeſtertiûm ajunt addidiſſe. Luſtravit cætera templa & ſacra Collegia, nullo ſine Regalibus donis prætermiſſo. Sudarium Salvatoris, factâ ſemper accedendi poteſtate, reverendiſſimè viſitavit: ad excolendum ejus tabernaculum multum auri argentique obtulit: ubi eam tam piè collacrymaſſe memorant, ut omni ibidem delictorum impunitate donatam plerique ſcripſerint: ejúsque Confeſſor Sacerdos graviſſimus poſt ejus obitum id vulgò prædicaſſe perhibetur. Reverſa deinde in Hungariam, Regnum Poloniæ pro Ludovico filio gubernavit, ubi Anno 1376. triſte quiddam accidit. Rixantibus enim levi de cauſa Polonis & Hungaris Cracoviæ, occubuerunt 160. Hungari, qui in Sacello ambitus S. Franciſci Eccleſiæ ſepulti ſunt, & ex eorum bonis dotatum Sacellum, quod ab eo die Sacelli Hungarorum nomen retinuit. Fundavit pientiſſima Regina Clariſſis Monaſterium in Budenſi Inſula Anno 1334. Fratribus Minoribus Monaſterium cum Eccleſia S. Nicolai in Aracha Canadienſis Diœceſis. Vitam

pro-

produxit ad annum 1381. quo ſanctè obijt die 29. Decembris, octogenariâ major, & in habitu D. Claræ, quo plerumque uſa eſt per annos triginta octo viduitatis, in Cænobio Virginum ſuæ fundationis ſepulta, ubi & miraculis dicitur coruſcaſſe. Sanctæ titulum ei tribuit Pieſpordius, licet fateatur non eſſe Canonizatam. Bonfinius eam multis commendat: *Pientiſſimam fœminam, matronarum decus unicum, prudentiæ, ac ſanctitatis exemplar* appellat. Simon de Keza ejus temporis hiſtoricus teſtatur, eam poſt mariti obitum, nunquam deſtitiſſe à ſectandis virtutibus & pietatis exercitamentis, pauperibus & egenis ſuâ manu largas eleemoſynas diſtribuiſſe: Eccleſias Holoſericeis pretioſisque paramentis, calicibus argenteis, aliisque ad uſum & ornatum pertinentibus mappis, corporalibus, velis ſuamet manu elaboratis, dotaſſe.

DIE

DIE XXX. DECEMBER.

S. LUITHARDUS COMES CLIVIÆ.

Ex Majoribus Habspurgo-Austriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

|

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator, cujus neptis Bertha fuit, Uxor Luithardi Comitis Habspurgici.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Caluus Imperator, à quo post 6. gradus Itha Lotharingica, magna avia omnium Habspurgo-Austriacorum.

Ludovicus Rex Germaniæ	Carolomannus Rex Bavariæ.
Bertha Uxor Eberhardi Comitis Cliviæ & Teisterbantij.	Arnulphus Imperator.
S. LUITHARDUS Comes Cliviæ. Uxor	Bertha filia Arnulphi Imp.

Acta Synoptica.

Gualter. Chron. Belg. de Episc. fol. 1275. Henning. P. 2. Germ. fol. 362. Stangefol Circ. Westphal. lib. 2. fol. 160. Theodo. Rhay in Anim. Illustr. Joan. Molanus ad 15. Sept. Bucelin. P. 1 Germ. de Monast.

LUITHARDUM Comitem Cliviæ, filium Eberhardi, gemino nexu per matrem & conjugem insertum Carolingis, testantur Gualterus, Henninges, & Stangefolius, quorum Gualterus disertè Sanctum appellat, ubi ait: Eberhardus Comes Cliviæ, ac Uxor ejus Bertha nobilissima matrona de Magni Caroli stirpe, & S. LUITHARDUS & Berengerus, Episcopus Tullensis eorum filij, duo Cœnobia seu congregationes instituêre: unam in Wisel Ordinis Canonicorum Regularium, ac alteram Novesij, in honorem Matris Christi, quæ nunc sunt Canonissæ. Henninges quoque licet heterodoxus, testatur LUITHARDUM fuisse Principem vitâ sanctâ & virtute præstantem, cuius tempore Dani 350. navibus piraticis Rhenum ascendentes, urbes, oppida, pagos, Trajectum videlicet, Neomagum, Cliviam, San-Troiam, Nussiam, Coloniam, Leodiam, Monasticum, &c. ferro ignéque vastârunt. Anno 878. ubi magnam habuit patientiæ messem LUITHARDUS in fortunarum suarum pariter, & subditorum deprædatione. Obijt Anno 886. uti habent Stangefolius & Henninges. At verò Theodorus Rhay obitum ad annum 887. forsan errore Typographi, quia paulò antè de eo retulit: LUITHARDUS *Abbatia Essendiensi Illustrium Virginum, cum Alfrido IV. Hildesheimensi Episcopo Anno* 867. *& Monasterio in Halenstatt Anno* 877. *fundatis*, post 44. *annorũ imperium Anno Christi* 881. *in fata concessit, à morte Albo Sanctorum adscriptus.* Nec cohærent anni Regiminis, quia parentem Eberhardum Sanctè vixisse & obijsse Anno 835. idem asserit, post quem incideret annus quadragesimus quartus Regiminis in annum 879. nisi biennio post patris obitum admotus fuisset, & hinc fortè Essendiensis fundatio ad annum 897. referenda esset; quam Anno 860. factam putat Bucellinus, appellans Essense Cœnobium quasi distinctum ab Essendiensi. Caput S. LUITHARDI religiosè asservatur in Ecclesia B. Virginis ab ipso erecta. Natalem ejus refert Joannes Molanus ad 15. Septemb. Nobis tardiùs accurit ejus notitia, oc proindie hic reposuimus.

DIE

DIE XXXI. DECEMBRIS.

B. CONRADUS SCHYRENSIS, ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS.

Ex Majoribus Habſpurgo-Auſtriacorum.

GENEALOGIA.

Carolus Magnus Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius I. Imperator.	Ludovicus Rex Germaniæ.	Carolus Calvus Imperator.
Ermingarda Uxor Ragneri Ducis Lotharingiæ.	Carolomannus Rex Bavariæ.	Ludovicus Balbus Rex.
Bertha Uxor Luithardi Comitis Habſpurgici.	Arnulphus Imperator.	Carolus Simplex Rex.
Luitfridus Comes Habſpurgicus.	Arnulphus I. Rex Bavariæ.	Lodovicus Transmarinus Rex.
Hunifridus Comes Habſpurgicus.	Arnulphus II. Dux Bavariæ, cujus ſoror Juditha avia fuit S. Henrici Imperatoris.	Carolus Dux Lotharingiæ.
Guntramus II. Comes Habſpurgicus.	Bertholdus Comes Schyrenſis.	Ermingarda Uxor Alberti I. Comitis Namurcenſis.
Lanzelinus vel Betzo Comes Habſpurgicus.	Babo I. Comes Schyrenſis.	Hadwidis Uxor Gerardi Alſatij, Ducis Lotharingiæ.
Radepoto Comes Habſpurgicus. Uxor Itha magna avia omnium Habſpurgo-Auſtriacorum.	Babo II. Comes Schyrenſis.	Itha Uxor Radepotonis Comitis Habſpurgici magna avia omnium Habſpurgo-Auſtriacorum.
	Wolframus I. Schyrenſis Comes in Abenſperg.	
	B. CONRADUS Archiepiſcopus Salisburgenſis.	

Alium Nexum vide in B. Stilla Schyrenſi. 21. *Novembr.*

Acta Synoptica.

Rader. Bavar. S. To. 2. fol. 247.

Otto Friſingenſ. lib. 7. cap. 14.

Auth. vitæ S. Gebhardi ap. Henric. Caniſ. Antiq. lect. To. 6.

Baron. ad An. 1111.

Chronic. Reicherſp.

Hund. Metropol. Salisb. fol. 9.

Aventin. lib. 5. Annal.

CORonidem Anno imponat CONRADUS Schyrenſis, alter Eccleſiæ Salisburgenſis Sylueſter, alter Athanaſius. Patrem habuit Wolframum Schyrenſem, Dynaſtam Abenſpergenſium conditorem, fratres Ottonem ac Wolframum II. à quibus paternâ hæreditate exutus ad Henricum Imperatorem confugit, is fuit V. hoc nomine, cui primùm fuit à ſacris, mox Juvavienſium Pontifex deſignatus à Paſchali Papa II. ſtolâ ſacrâ, quam Pallium vocant, Anno 1106. donatus. Quo in munere ita ſe geſſit, ut omni poſteritati exemplum pietatis, conſtantiæ, religionis immortale reliquerit. Nam primum Collegium Sacerdotum in Ordinem redegit, & legibus S. Auguſtini devinxit, ut Canonici ab Regula dicerentur. Erant in uno ſimul omnes contubernio quatuor & viginti, eadem ſupellectili, parique cultu corporis utebantur: eóque in ſtatu ſacer ille Patrum Salisburgenſium, & verè venerandus Senatus ad annos quadringentos tredecim eóque amplius duravit. Illud ergo primum fuit à CONRADO editum ſpecimen pietatis, dein cùm contra Cæſarem Schiſmaticum pro Pontifice ſtaret, tam conſtanter ſe geſſit, ut ferrum etiam jugulo intentatum recipere paratus fuerit. Romam enim cum Henrico Imperatore eſt profectus; ubi à Paſchali Papa honorificè exceptus Cæſar, conſilio ſceleratorum impulſus, ipſum Pontificem recuſantem concedere Inveſtiturarum regalia, captivum Udalrici Patriarchæ Aquileienſis cuſtodiæ tradidit. *Videns hoc* (verba ſunt Ottonis Friſingenſis) *Venerabilis Juvavienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus* CONRADUS, *qui cum Rege venerat, zelo æquitatis vicem DEI dolens factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex miniſtris Regis Henricus cognomento Caput, evaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro juſtitia mori optans, jugulum præbuit, malens, ſi minas ille ad effectum perducere voluiſſet, temporalem vitam finire, quàm tanti piaculi ſcelus diſſimulare.* Non immeritò igitur Sanctum appellat CONRADUM Baronius. Quæ verò ille poſt hanc conſtantiam paſſus ſit, vix ullâ ſtyli atrocitate explicari poſſunt. Author vitæ S. Gebhardi, incidenter agens de eo hæc profert: *Exinde odium Imperatoris, & eius fautorum in tantum incurrit, ut in eius perſecutione, ſicut de B. quondam Athanaſio legimus, totum penè conjuraverit regnum, & commoti ſint Principes terræ: nec ullus locus tutus ſupererat ad latendum, dum ad inveſtigandum eum omnes moverentur. Infra vallem Admontenſem, in cuiusdam ſpelunca montis dimidium penè annum eſt occultatus. Rurſus infra eiusdem Monaſterij cellulæ ambitum in cellario ſubterraneo, ſexdecim hebdomadibus latitavit. In cuiusdam gurgite amnis uſque ad mentum immerſus diem integrum exegit. Inde clandeſtino diſceſſu Saxoniam petens, à Magdeburgenſi Archiepiſcopo venerabili, Adilgotz nomine, officioſiſſimè ſuſceptus eſt & retentus. Qui etiam, quotquot ad ipſum* CONRADUM *Saltzburgenſem Epiſcopum occultè ob metum Cæſarianorum pedites veniebant, multis muneribus honoratos, equites remittebat, miſeratione di-*

divinâ, pace redintegratâ, Ecclesiæ à Luitpoldo Stirensi Marchione in manu forti requisitus, ad suam honorificè post novem annos redactus est sedem. Rursum Ecclesiæ propriæ strenuè invigilavit, & inter cæteros eiusdem Saltzburgensis Ecclesiæ dignos per ipsum profectus majoris Ecclesiæ Clericorum vitam in melius informavit. Denique idem Author de CONRADI morte apponit: *Memoratus autem piæ mem. Dominus* CHUNRADUS *Archiepiscopus ab initio ordinationis suæ, usque in finem vitæ suæ Ecclesiam nostram misericorditer fovens & protegens &c. quadragesimo secundo Episcopij sui Anno senex & plenus dierum V. Idus Aprilis felici fine quievit, Anno Domini* 1147. *dignus utique qui cum Nehemia DEO dicere possit: Memento mei DEUS in bono, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo DEI mei, & in cærimonijs eius. Exceptis enim duobus Monasterijs Sanctimonialium in Chiemsee & Gösse, quæ illum audire noluerunt, quæ illum contempserunt, nulla Ecclesia vel Monachorum vel Clericorum aut Sanctimonialium in toto eius Episcopio, fuit, quæ non aut sub ipso constructa, aut per eum in rebus interioribus aut exterioribus meliorata & augmentata fuerit. &c. Ipse enim dilectus est DEO & hominibus, cuius memoria in Benedictione est. Hic est divinitus directus in expiationem provinciæ Saltzburgensis, quæ tulit abominationes impietatis, & erexit nobis cornu salutis, & totius Religionis.* Hæc ille de CONRADO, quibus adde ex Hundio: Fundavit hic Archiepiscopus Anno 1121. Monasterium SS. Virginum ad D. Rupertum, quod deinceps Burchardus Cardinalis voluntate Pij Papæ II. mutavit, & ibi duodecim Presbyteros constituit. Fundavit idem Monasterium Raitenhaslach. Is quoque Chiminum templum, olim à Tassilone II. Regulo Boiorum Divo Benedicto conditum, ab Ugris in egestatem redactum, Mystis Augustinianis; itidem Mystis eiusdem Ordinis iuxta eundem tractum proximè Reichenhall D. Zenonis ædem tradidit. Gurcensi Episcopatui suam Diœcesim atque illius terminos dedit. *Vir Sanctus ac pius, sepultus est ante altare D. Ehrentrudis.* Beati titulo eum honorat Raderus. Licet verò obierit 9. die Aprilis, nos seriùs eius nacti notitiam, hoc loco reponere voluimus, Exemplar Præsulum, normam Episcoporum.

PRoduximus hactenus *Sanctos*, *Beatos*, *Beata memoriæ*, *Venerabiles*, prout quisq; apud Ecclesiam, aut probos Scriptores titulum obtinuit, omninò *Quingentos*: & intra hunc numerum substitimus, numerando etiam illos, quorum cultus simultaneus in eandem diem coincidit. Si cui plures investigare animus esset, addimus aliquot nuda nomina indicando diem (si de eo constet) genus, authores, apud quos reperiri possint, & non solùm Genealogiæ, sed & Acta Synoptica concinnari.

1. S. AFRA Monialis ex antiquis Merovingis, incertæ diei apud Henningem P. 1. Germ. fol. 19.
2. S. AGILOLPHUS Episcopus Colonienſis, cognatus S. Bonifacij Episcopi M. *die* 9. *Julij* apud Bucelinum in Menologio fol. 483. apud Gualterium de Episcopis Colonienſibus in Chronicis Chronicorum. ap. Nussienſem in Chron. Magno Belgij, fol. 31. Bolland. To. 1. Feb. fol. 372. Stangefolium lib. 2. Annal. Westphal. f. 45. & 47.
3. S. ALCMUNDUS Rex M. Anglorum stirpis, quæ Merovingis connexa. 19. *Martij*. ap. Bollandum To. 3. Mart. fol 47.
4. S. ALFREDA filia Offæ Regis Anglo-Saxonum 30. *Dec.* ap. Bucelinum Menologio fol. 891.
5. B. BARTHOLOMÆUS ex Ducibus Burgundiæ. 26. *Junij*. ap. Bucelinum Menolog. fol. 452.
6. S. BONNA seu WUNNA soror S. Bonifacij Episc. M. de quo egimus 5. *Junji*. apud Bolland. To. 2. Feb. fol. 74 Gualterium de Episc. fol. 1010. & 1269.
7. B. BRUNO Archiepisc. Colonienſis Junior 11. *Martij*. vel 24. *April*. apud Theodorum Rhay in Animabus Illustribus Cliviæ &c. fol. 42.
8. Ven. BRUNO Querfurtenſis, pater S. Brunonis M. 19. *Octob*. apud Bucelinum in Menologio fol. 725.
9. S. BURCHARDUS Episcopus Herbipolenſis, consanguineus S. Bonifacij Episcopi M. apud Gualter. de Episcop. fol. 971. & 1392. celebratur 14. *Octob*.
10. S. CEADUVALLA Rex Anglo-Saxonum *die* 20. *Aprilis*. apud Bollandum To. 1. Febr. fol. 493 & 905. & 908. & 911. & To. 2. Feb. fol. 71.
11. B. CHRISTINA Vicecomes Mediollanenſis ap. Bollandum To. 2. Feb. die 14. fol. 799.
12. S. CORBINIANUS Episcopus Frisingenſis, consanguineus S. Bonifacij Episcopi M. 8. *Septemb*. ap. Gualter. de Episc. fol. 1009. Bolland. To. 2. Feb. fol. 11. & 369. & 310. & 1095.
13. S. DEODATUS Episcopus M. ex Regio Francorum Sanguine ap. Bucelinum in Menolog. fol. 437. *die* 19. *Junij*. ap. Bolland. 3. Feb. fol. 554.
14. S. EGBERTUS Episcopus Eboracenſis 19. *Nov*. apud Bucelin. Menolog. fol. 789.
15. B. ELISABETH Soror Brunonis Episcopi M. apud Balbinum in Epitome Rer. Bohemica. fol. 151. & Bolland *die* 14. *Feb*. fol. 797.
16. B. GREGORIUS Papa V. cognatus Ottonis I. Magni Imperatoris 18. *Feb*. apud Bucelin. in Menolog. fol. 131. & Ciacon. in Vitt. Pontiff.
17. B. M. HEMMA Regina Bavariæ, Mater Caroli Crassi Imp. 26. *Januæ*. ap. Raderum Bavariæ Sanctæ To. 4. fol. 19.
18. S. KHENELMUS Rex Merciorũ 17. *Julij* ap. Bollandum To. 2. Febr. fol. 689.

19. S.

19. S. LIOBA Consanguinea S. Richardi Regis, de quo actum 7. Febr. dies eius natalis 28. *Sept.* ap. Bolland. To. 2. Feb. fol. 73. & 411. Gualter. de Episc. fol. 1394.
20. Ven. LUITHARDIS martertera S. Meinwerci Episcopi (de quo sup. actum) 1. *Aug.* apud Rhay in Animabus Illustrib. Cliviæ.
21. MANGOLDUS Abbas, Cognatus B. Hermanni Contracti (de quo 19. Julij) Comes Veringensis 18. *Febr.* ap. Bucelin. To. II. German. Sacroprophanæ. de Monaster. Isnensi fol. 199. Nussiens. fol. 87.
22. S. RATHBOLDUS Episcopus Trajectensis ex Regio Francorum sanguine. 29. *Nov.* ap. Bucelin. Menolog. fol. 811.
23. B. RECCAREDUS Rex Gotthorum in Hispaniis, frater S. Hermenegildi M. à quibusdam Sanctus appellatur: ap. Brouverum in Syderibus de S. Leandro fol. 13. & ap. Piespord. in Stemmate Austr.
24. B. REGULINDA filia Conradi I. Imperatoris, apud Bucelin Constantia Rhenana fol. 172. 179. 180.
25. S. REINOLDUS Monachus, Comes Palatinus Rheni, 7. *Januarij* ap. Bucelinum in Menologio fol. 18. Theod. Rhay. in Animab. Illustr. fol. 7. Bolland. To. 1. Jan. f. 385.
26. S. RAYMUNDUS de PENNAFOREI, ex Regibus Aragoniæ, qui cognati Austriacis, ut sæpius ostensum. *die* 6. *Januarij.* alias 23. in Breviario, vita ap. Surium, Haræum &c.
27. S. SEBBI, Rex Angliæ 29. *Aug.* apud Bucelin. Menolog. fol. 600. Bolland. To. 1. Jan. fol. 1081. & To. 3. Mattij fol. 274.
28. B. SIMON Viromanduæ Comes 30. *Septemb.* apud Henningem P. 2. Germ. fol. 26. & Bucelin. Menolog. f. 677.
29. S. SOLA, Abbas Cognatus S. Richardi Regis 10. *Decemb* ap. Bucelin Menolog. fol. 839. & in Chronol. Maria fol. 58. ap. Bolland. To. 3 Feb. fol. 554. Rader. To. 2. Bav. S. fol. 79.
30. S. SIGFRIDUS Episcopus Vexonienfis ex Regio Anglorum genere 15. *Feb.* ap. Bolland. To. 2. Feb. fol. 847. & 851. c.
31. S. SUSAMANNUS M. cognatus S. Sigfridi Episcopi. apud Bolland. sup.
32. S. TETTA, V. Abbatissa, soror Cuthredi Regis Angliæ 27. *Octob.* vel. 17. *Dec.* apud Bucelin. Menolog. fol. 143. & 738. ap. Bolland. To. 3. Feb. fol. 282.
33. S. TIBBA V. cognara SS. Kineburgæ & Khinesswithæ (de quib. sup. actum) 13. *Dec.* ap. Bucelin. Menolog. fol. 849. & Bolland. To. 1. Feb. fol. 386. & To. 1. Mart. fol. 444. & To. 3. April. fol. 721.
34. S. VIVIANUS M. Filius Ludovici Pii Imp. ex Irmingarde ap. Chifflet. in Luminib. Genealog. fol. 204.
35. SS. VINAMANNUS & UNAMANNUS MM. Cognati S. Sigfridi Episcopi Vexonienfis ap. Bolland. To. 2. Feb. fol. 847.

Sequentes apud Theodorum Rhay in Animabus Illuſtribus *Cognatos* B. Richetzæ Reginæ Poloniæ *reperies, adeóque uti illa fuit, Cognatos Habspurgo-Auſtriacis, quorum Natalem non vacat indagare, invenies:*

S. ERICUS Rex Sueciæ M- apud Rhay. fol. 96.
S. CHRISTINA Uxor S. Erici Regis. ibid.
S. EZZO Comes Palatinus Rheni, ap. Rhay. fol. 71. &. Henning. P. 2. Germ. fol. 4.
B. MATHILDIS Filia Ottonis II. Imp. Uxor B. Ezzonis. ap. Rhay.
B. ALPHONSUS Rex I. Luſitaniæ. ibid.
B. ADOLPHUS Comes Schauvenburgicus. ibid.
B. ARNOLDUS Comes Hollandiæ M. ibid.
B. BERTHA Cliviæ Comes. ibid.
S. EVERHARDUS Comes Ciſonienſis. ibid.
S. HARALDUS Rex Norvegiæ. ibid.
S. JORDANA Imperatrix Byzantina. ibid.
S. OLAUS Rex Norvegiæ. ibid.
B. PELAGIUS Rex Aſturiæ & Legionis. ibid.
S. RAYNILDIS Regina Sueciæ. ibid.
B. THEODORICUS Lotharingus. ibid.

Hi XV. *additi* ſuperioribus XXXV. *efficiunt Numerum* L. *atque adeò* Annum Sanctum Habſpurgo-Auſtriacum *exornant* Sanctis & Beatis DL. *Addent alij plures, & forſan adhuc tot, ut compleant Numerum Millenarium.*

CON.

CONCLUSIO OPERIS.

TErminum Hîc ponimus ANNO SANCTO HABSPURGO-AUSTRIACO, Diebus 365. concluſo, Sanctis, Beatis, ac Venerabilibus *Quingentis* adornato: non tamen Terminum Annis AUSTRIADUM, quibus Supremum Numen

Imperium ſine fine dedit.

Quidni? Virtutis terminus nullus eſt, niſi Æternitas. Digna Æternitate Familia, quæ pede inoffenſo decurrit Virtutis metam, in qua per mille & ultra annos nullus inventus, qui ab Eccleſiâ Romano-Catholicâ, ejúsque ſanctâ Fide receſſiſſet. Perennabit AUSTRIA, in quâ perennat *Religio* & *Pietas*: ita ſperamus, ita vovemus, & quod olim ad Conſtantinum Magnum perorabat vetus Orator, nos ad AUSTRIAM referimus Votum: *Quamobrem Te Summe rerum Sator, Te, inquam, oramus, & quæſumus, ut hunc in omnia ſæcula Principatum ſerves. Parum eſt enim, optare tantæ Virtuti, tantæque Pietati, quem longiſſimum habet vitæ progreſſum. Et certè ſumma in in Te Deus bonitas eſt, & pietas: & ideo, quæ juſta ſunt, velle debes: nec abnuendi eſt cauſa, quum poſſis. Fac igitur, ut quod optimum humano generi dediſti, permaneat æternùm: Omnésque* (AUSTRIA VERE PIA, VERE SANCTA) *in terris degat ætates.* Adde Clementiſſime DEUS AUGUSTISSIMO NOSTRO

Orat. vet. in Panegyr. Conſt.

LEOPOLDO,

ut cùm jam SOBOLES *ejus ad Reipubl. vota ſucceſſerit* NUMEROSA: *illa tamen ſit verè* BEATA POSTERITAS, *ut cùm Liberos ſuos gubernaculis Orbis admoverit*

Ipſe ſit Omnium

MAXIMUS IMPERATOR!

O. A. M. D. G.